


John Carter Brown
Library
Brown University

Fol. 2453

Pin(n)a

M 32784

DEFENSIO

PURISSIMÆ, ET INTEGERRIMÆ DOCTRINÆ

SANCTÆ MATRIS ECCLESIÆ

Per Sanctiſſimum Dòminum noſtrum, Dòminum

CLEMENTEM

DEO PROVIDENTE,

PAPAM XI.

DIVINITUS INSPIRATÆ IN CONSTITUTIONE,

Unigenitus adverſùs errores Paſchaſii Queſnel, ab eodem Sanctiſſimo Dòmino damnatos.

IN CUJUS CONSTITUTIONIS DEFENSIONEM PROPOSITIONES QUESNEL, IN PROPRIO ſenſu ab Authore intento explicantur: Earundem Propoſitionum errores deteguntur; eorumque fundamenta refelluntur: Et Catholica Doctrina Supremi Oraculi, Eccleſiæ Militantis in terris propugnatur. Opus perutile, in quo, non ſolúm Queſnel Theſes ex profeſſo, ſed etiam Baij, & Janſenij (imò Calvini, & Lutheri Hæreſiarcharum Dogmata) paſſim impugnantur, ac ſeverè diſcutiuntur. Omni Doctrinæ varietate, tum Philoſophicæ, tum Theologicæ, Scriptæ, Dogmaticæ, Scholaſticæ, ac Moralis: Sacræ Scripturæ locis, Sacrorum Conciliorum Decretis, & Sanctorum PP. Sententiis refertum, exornatum, atque dicatum

Eminentiſſimo, ac Reverendiſſimo Principi

NONIO S. R. E.

CARDINALI CUNHA,

In Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, atque Dominiis Inquiſitori Generali, &c.

AUCTORE

R. P. D. Fr. MATTHÆO AB INCARNATIONE PINNA,

Benedictino, S. Theologiæ Profeſſore Emerito, & Monaſterii S. Mariæ Montis Serrati Fluvii Januarienſis in Braſilia nunc temporis Abbate.

ULYSSIPONE OCCIDENTALI,

IN OFFICINA MUSICÆ.

Cum omnibus licentiis neceſſariis.

ANNO M.DCC.XXIX.

EMINENTISSIMO, AC REVERENDISSIMO

PRINCIPI

NONIO DA CUNHA

S. R. E. TITULI S. ANASTASIÆ PRESBYTERO Cardinali, in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis atque Dominiis Inquiſitori Generali Vigilantiſſimo, ac Integerrimo, Auguſtiſſimi Joannis V. Invictiſſimi, atque Potentiſſimi Luſitaniæ Monarchæ, de Turcarum ſuperbia, claſſe, & armis Triumphatoris Magnifici, Regio, Fidiſſimo, & Fideliſſimo Conciliario, &c.

UT *in lucem prodeat noſtra hæc* Defenſio Puriſſimæ, & integerrimæ Doctrinæ S. M. Eccleſiæ, *pro ſui defenſione ad tui Nominis umbrā, (potiùs lucē) ceu ad ſacrū aſylum, confugit protegenda, Princeps Eminentiſſime, ut indefeſſi veri-*

tatis hoſtes Catholicæ Doctrinæ Defenſionem, Tanti Nominis tutelari ſigno illuſtratam, & conſignatam aſpicientes, à calumniis, & maledictis abſtineant, quibus eam inſectari ſolent.

Neque Eminentiſſimæ Celſitatis Tuæ Apici videbitur injucunda iſtiuſmodi Protectio Defenſionis, ſuper enim (1) omnem gloriam protectio, *ad quam ingenitæ pietatis ardor, & Ingenuati Principis benefica magnitudo te impellit. Utramque mirata eſt Urbs, & veneratur Orbis; ſive dum pro deligendo Summo Pontifice (Clemente XI. vitâ functo) pietatis, & beneficentiæ tuæ inacceſſibile culmen lætanti animo Roma conſpexit: ſive cùm Orbem latere neſciunt tot virtutum radia, queis inſcrutabilis Providentia ad Eccleſiæ ſuæ ornamentum Eminentiam V. ornavit.*

(1) Iſai. cap. 4. v. 5.

Purpurati etiam honoris celſitudinem veritas Catholica, & inextinguibilis decet; noſcunt enim illi, qui Eccleſiaſticas legunt Hiſtorias, Innocentium IV. in Concilio Lugdunenſi, ut ampliſſimos Eccleſiæ Patres Purpuratos, Auguſtiores pro meritis efficeret, Rubro etiam Pileo eos nobilitaſſe (2) argumento nihil obſcuro indigitando, oportere hujus Eminentiſſimi Ordinis Antiſtites ſemper paratos eſſe, pro Fidei Defenſione ſanguinem effundere. Eminentiſſimo igitur Honori Sacri Cardinalatùs neque ad aras Catholicæ Fidei Defenſio eſt horrifica; indeque Eminentiſſima Tua Celſitas hanc Defenſionem Doctrinæ *S. M. E. neutiquam dedignatur, dum Te Catholicæ Fidei Propugnatorem haberi nullus non videt.*

(2) Æmilius lib. 7. Sab: l. 6. Enn. 9

Supremi inſuper Inquiſitoris Muneri extraneum non erit Defēſionem Doctrinæ S. M. E. *aſſumere protegendam; ad quam lubenti animo parat ingreſſum, & locum præparat qui zelo ardentiſſimo hæreſes profligat, & Chriſti Doctrinæ perſequitur inimicos, & (3) comprehendit eos, nec convertitur donec deficiant; non tantùm in Luſitaniæ Regnis, atque Dominiis ſupremum Inquiſitorem agens in rebus Fidei; verùm etiam in generali pro univerſo Orbe S. Romana Inquiſitione, cujus Eminentiſſimis Præpoſitis Te adſcriptum novimus à felicis recordationis Innocentium XIII. quippe qui Te à longo tempore pro Fide erga Deum, & Romanam Eccleſiam noverat, ac probaverat vigilantiſſimum Zelatorem.*

(3) Imitatur illud Pſal. 17. *Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar donec deficiãt.* Quod facile aptatur Sanctæ Inquiſitionis Miniſtris, juxta expoſitionem valent: ibi; *Perſequar inimicos Chriſti Judæos, & cõprehendam illos, & non ceſſabo donec conſumam eos.*

Noſtras igitur lucubrationes benigno vultu ſuſcipe, Eminentiſſime Princeps, & illo tuo venerando protege patrocinio, quo Fidei Catholicæ puritatem tueris, in cujus præſidium, atque tutelam diu, & feliciter vive.

Eminentiæ V.æ

Obſequentiſſimns ſervus, & Cliens.

Fr. Matthæus ab Incarnatione Pinna.

PRO-

PROLOGUS,

ET CAUTIONES ALIQVÆ AUCTORIS AD Lectores.

ORTHODOXIS, & Eterodoxis ſcribo. Illis diſplicère nequeo; his autem placère non cupio. Legant Pſeudo Catholici, ſed ſine ſtomacho, virus evomant, progenies Serpentis antiqui, antequam accedant ad aquas Sapientiæ ſalutaris, potatas, ac derivatas de Fontibus Catholicæ veritatis, Sacra, ſcilicet Scripturâ Sanctaque Sede Apoſtolica: ſic enim ſerpentes ſitibundi, ad fontes reptando venenum ſputant, nè dum aquis æſtum, ſitim que refrigerant, potu interim venenato vitam amittant.

Legant Catholici, pietate ducti, non tam erga Authorem hujus operulæ, ſed potiùs erga Doctrinam S. Matris Eccleſiæ, cujus filialis amor impulit ruditatem meam ad hoc obſequium, quantulumcunque ſit, S. Romanæ Sedi Apoſtolicæ exhibendum, in cujus reverentiam, ſequentes cautiones præmitto.

PRIMA.

SI quid (quod non puto) in hoc opere inveniatur, quod prudenti examine diſcuſſum, judicetur tandem, Catholicæ Fidei, Divinæ Scripturæ, aut Sacris Conciliis diſſonum; ſive oppoſitum cõmuni ſenſui Sanctorum Patrum: Ad ipſum non ſcriptum, & nunquã exaratum volo; calami celeritati, aut imperitiæ, tribuatur.

Ita quòd, præter intentionem errorem aliquem excidiſſe, cenſeatur: præſertim, cùm ſcopus totius operis ſit Defenſio Doctrinæ S. M.E. quam fideliter amplector; & confutatio errorum ab ea deviantium, quos omnes rejicio, ac damno.

Secunda.

LIcèt per Paulum V. & Urbanum VIII. Pontifices Maximos ſancitum fuerit ſubpœnis graviſſimis, nè typis mandentur abſque licentia Sedis Apoſtolicæ libri, aut compoſitiones, tractantes de Divinis auxiliis, aut etiam de Gratiâ, & libero arbitrio, quod poſteà innovarunt Summi Pontifices Innocentius X & Alexãder VII. non inde lectoribus viſum ſit in hoc volumine debitam Sedi Apoſtolicæ reverentiam in aliquo vel leviſſimè deficere. Non enim fuit

ve-

vetitum, quominus in lucem edantur tractatus, in quibus de eadem materia agitur, ſolummodo ad oſtendendam Catholicam veritatem; & ad explicanda neceſſaria, & ſcitu digna, ne in graviſſimis difficultatibus Theologus caliget: dummodo hoc fiat modeſtè, & abſque injuriâ alicujus venerabilis Scholæ, aut approbatæ Doctrinæ. Unde Platelius *num.* 603. citat ſpondanum, qui de Decreto Pauli V. ſic ſcribit: *Paulus V. diſputationes de auxiliis conticeſcere juſſit, ſanxit que poſtmodum utriſque, dum aliud decerneretur, liberum eſſe ſuam ſententiam in Scholis modeſtè tueri, ſed ſine damnatione alterius partis.* Præterea ut teſtatur Petrus Ledeſma (cujus verbis utar) in Præfatione ad tract de Auxiliis; *Clemens VIII. propter doctrinæ utilitatem, ac neceſſitatem Theologis conceſſit de hac materia diſputare, ut conſtat ex literis teſtimonialibus Cardinalis Madrucii, quas ego (inquit) vidi. Omnibus tamen præcepit ut à notâ, & cenſura oppoſitæ ſententiæ abſtineant.* Id ipſum erat expreſſum in Decreto Pauli V. juxta publicationem, quæ Hiſpali facta eſt, ut conſtat ex Leonardo apud Platelum.

De inde de præfatis materiis in præſenti volumine, nil agimus directé, & ex profeſſo; ſed ſolummodo remotè, & indirecté, prout obiter diſputamus de principiis, quæ concurrunt ad conſtitutionem gratiæ efficacis, & auxilii congrui; hoc autem modo nunquam fuit prohibitum typis dare libros, aut tractatus de Gratiâ, & Auxiliis efficacibus, ut tenent Doctores, nullo dempto, & probat quotidiana praxis, nam de iiſdem materiis per totam ferè Theologiam indirectè diſputatur.

Tertia.

Quoties in hoc opere (impugnando propoſitiones in Conſtitutione *Unigenitus* variis cenſuris *reſpectivè* damnatas) aſſerimus hanc ſignatè propoſitionem, eſſe hæreticam; illam determinatè impiam; alteram verò falſam, &c. in iſtiuſmodi cenſurarum applicatione non procedimus, quaſi exploratam habeamus Summi Pontificis mentem, ad has cenſuras aptandas. Igitur interpretativè ſolummodo procedimus; & hoc non auctoritativà, aut definitivâ interpretatione; ſolius enim Legislatoris eſt leges, & ſtatuta ita interpretari, & exponere. *Ex cap. Sicut, §. ex his, 11. quæſt. 1. cap. cùm veniſſem, de judic. cap. Inter alia, de Sene: excommunicat: L. ſi Imperialis Maieſtas, L. Leges Sacratiſſimæ, Cod: de legibus, leg. Non ambigitur, ff. eod: tit: Abb. in cap: Ex parte 3 de verborum ſignific:* Noſtra ergo interpretatio eſt ſolùm probabilis, & opinativa, de ipſis propoſitionibus, in ſe ipſis ſpectatis, judicando, & ſentiendo, quantum privatæ mentis intelligentiæ permittitur: quòmodo à Theologis Decreta Pontificia, Concilia, & ipſamet Sacra Pagina exponi ſolent.

His præmiſſis, Pie, & Catholice Lector, qualiacunque fuerint in hoc libro, quæ ferulâ non indigeant, in honorem Dei cedant, & in obſequium Sanctæ Matris Catholicæ, & Romanæ Eccleſiæ primò, de inde, Tui. *Vale.*

CENC-

CUNCTI LECTURI MONITUM.

Præſcium te habere velim (Prudens Lector) volumen hoc, à novem jam annis abſolutiſſimum, lucem quærere; cùm antea, nec unus quidem, nobis in Braſilia occurreret Auctor, qui in hac Apoſtolica Conſtitutione *Unigenitus* calamum imbibiſſet.

Nec defuit per id temporis, qui Romæ proſcriptas in præfata Bulla propoſitiones, pro viribus impugnaret: Unde ſupervacaneum duxi eaſdem iterum ad examen, ac vexamen revocare. Igitur laborem noſtrum, ac volumen, oblivioni tradidi, antea denatum, quàm natum. Adfuit verò, qui me importuné impulit, ut librum extumularem. Et nunquid (dicebant)eaſdem propoſitiones,a Pio V.& Gregorio XIII. prædamnatas, Urbanus VIII. iterum rejicere dubitavit? Errores Janſenii, quos Innocentius Papa X. rejecerat, ab Alexandro VII. damnatos etiam comperimus. Quid ergo mirum, ſi impugnatas aliquando propoſitiones, noviter adoriamur? A' domeſticis exemplum, & argumentum deſumo. Doctorum, qui præceſſére, tot in re dogmaticà volumina, mentem, & ſtudia non diſtraxerunt Doctiſſimi Abbatis Reding, Eximii Caramuelis, Sapientiſſimi Aguirre, & aliorum, Benedictini Cæli luminarium, qui poſtea Calvini, Baii, & Janſenii, tenebras profligarunt ſcriptis ad miraculum eruditis.

Interea Gallicanus populus, cognomento Chriſtianiſſimus, Conſtitutionem *Unigenitus* cum ſumma totius Eccleſiæ laude, & gaudio venerata eſt, ad maximam totius Galliæ felicitatem, juxta illud à tot ſæculis prædictum,& comprobatum.

Par erit, & toto florebit Gallia Mundo,
Donec adhærebunt Lilia Pontifici.
Par erit,& puro fulgebit Gallia flore,
Dum claves cingent Lilia Pontificis.

Inde

Inde, abſré videbatur Defenſio, adverſario in ſocium recepto. Cùm autem viderim SS. D. N. Benedicti Papæ XII. feliciter Regnantis Conſtitutionem, quæ incipit *Demiſſas preces* datam Romæ die 6. Novemb. 1724. adverſùs calumnias, queis nonnulli Apoſtolicæ Auctoritati detrahebant, ægrè ferentes, quæ in ſalutari Conſtitutione *Unigenitus* ſunt decreta: contumaciam adhuc vigère, aut repullulare agnoſcens, ipſam impugnare, defenſionem que Doctrinæ S. M. Eccleſiæ publicà luce donare, neutiquam dubitavi. Ut porſit, Omnipotens faveat.

LI-

LICENÇAS
DO SANTO OFFICIO.

POde-ſe imprimir o Livro intitulado Defenſio Puriſſimæ, & Integerrimæ Doctrinæ S. Matris Eccleſiæ, e depois de impreſſo tornarà para ſe conferir, e dar licença que corra, ſem a qual naõ correrà, Lisboa Occidental 5. de Junho de 1725.

Rocha. Alancaſtre. Cunha. Teyxeyra. Sylva. Cabedo.

LICENÇA DO ORDINARIO.

POde-ſe imprimir o livro intitulado Defenſio puriſſimæ, & Integerrimæ Doctrinæ S. Matris Eccleſiæ, e depois de impreſſo tornarà para ſe conferir, e dar licença que corra, ſem a qual naõ correrà. Lisboa Occidental 26. de Setembro de 1726.

Dom Joaõ Arcebiſpo.

DO PAÇO.

QUe ſe poſſa imprimir viſtas as licenças do Santo Officio, e Ordinario, e depois de impreſſo tornarà à Meza para ſe conferir, e taxar, que ſem iſto naõ correrà. Lisboa Occidental 31. de Março de 1727.

Sylva. Teyxeyra. Bonicho.

VIS.

V Iſto eſtar conforme com o ſeu original, pòde correr Lisboa Occidental, 29. de Julho de 1729.

Rocha. Alancaſtre. Cunha. Teyxeyra. Sylva. Cobedo.

P Ode correr, Lisboa Occidental, 30. de Julho de 1729.

Dom Joam Arcebiſpo.

T Ayxaõ eſte Livro em papel [illegible] oo Lisboa Occidental, 1. de Agoſto de 1729.

Galvaõ. Teyxeyra. Bonicho.

INDEX

INDEX

CAPITUM, ET SECTIONUM, QUÆ IN HOC VOlumine continentur.

PRævié appoſita eſt Diſputatio Prooemialis, *in quâ excitantur* Quæſtiones ſequentes.

Quæſtio Prima. Utrùm Summus Pontifex è Cathedra loquens, pro definiendis rebus, quæ ad Fidem pertinent, etiam extra Concilium, infallibilitate gaudeat? pag. 2.

Quæſtio Secunda. Utrùm Summus Pontifex in Decretis morum poſſit errare? pag. 9.

Quæſtio Tertia. Utrùm à Sententiâ Summi Pontificis ad futurum Concilium poſſit appellari? pag. 11.

Quæſtio Quarta. Utrùm de Fide ſit hunc Romanum Pontificem, Beatiſſimum D.D. Clementem XI. regnantem feliciter, eſſe verum Chriſti Vicarium, & legitimum Petri Succeſſorem? pag. 13.

DEFENSIONIS PURISSIMÆ, ET INTEGERRIMÆ Doctrinæ Sanctæ Matris Eccleſiæ.

CAPUT I.

Conſtitutio Pontificiâ: *Unigenitus*, proponitur: cenſuras, quas continet contra damnatas propoſitiones, præſens caput exponit; & quomodo ipſæ cenſuræ, ſeu notæ cuilibet propoſitioni, ſint adhibendæ, pag. 17.

CAPUT II.

Exponitur ſenſus primæ ex damnatis propoſitionibus, ipſius venenum detegitur; & quânam cenſurâ digna ſit oſtenditur, pag. 50.

** CAP.

CAPUT III.

Defenditur doctrina Sanctæ Matris Eccleſiæ, damnantis hanc primam propoſitionem, & alias ipſi affines, quæ omnes impugnantur, pag. 56.

SECTIO I.

Impugnatur, & rejicitur falſitas, quæ in primà iſtius propoſitionis parte continetur, pag. 57.

SECTIO II.

Eadem propoſitio impugnatur adhuc quo ad primam partem ex alio abſurdo ibidem reperto, p.67.

SECTIO III.

Eadem Catholicæ doctrinæ veritas oſtenditur variis rationibus, pag. 74.

SECTIO IV.

Enervantur argumenta adverſariorum, pag. 82.

SECTIO V.

Secunda pars primi præfati erroris aſſumitur impugnanda, pag. 86.

SECTIO VI.

Prædamnati hujus erroris fundamenta ſolvuntur, pag. 91.

SECTIO VII.

Diſcutiuntur, & rejiciuntur poſtrema illa verba ejuſdem propoſitionis: *Superba paupertas, & ſegnis indigentia, hoc eſt, generalis impotentia ad laborem, ad Orationem, & ad omne opus bonum*, pag. 98.

SECTIO VIII.

Solvuntur argumenta, quæ adverſúm doctrinam præcedentem poterunt inſurgere, pag. 102.

CAPUT IX.

Circa ſecundam, tertiam, & quartam ex damnatis propoſitiones, pag. 109.

SECTIO I.

Excluditur generalis illa neceſſitas habitualis ad omnes actus ſupernaturales, pag. 110.

SECTIO II.

Tertiæ, & quartæ propoſitionis ſenſus exponitur, quæ inſuper impugnatæ corruunt, pag. 115.

SECTIO III

Reſpondetur argumentis, quæ adverſús præcedentem doctrinam

nam poterunt inſurgere, pag. 125.
CAPUT V.
Exponitur quinta propoſitio, quæ ab Eccleſiâ juſtè damnatur, pag. 132.
CAPUT VI.
Impugnatur falſa illa doctrina in ſextâ, & duabus ſequentibus propoſitionibus contenta, pag. 141.
SECTIO I.
Primum aſſertum oſtenditur, pag. 142.
SECTIO II.
Secundum aſſertum, *num.* 2. hujus capitis contentum defenditur, pag. 149.
SECTIO III.
Solvuntur objectiones, quæ pro doctrinæ oppoſitæ confirmatione poterunt excogitari, pag. 155.
SECTIO IV.
Aſſertiones tertia, & quarta, *ad num.* 2. hujus capitis appoſitæ, comprobantur, pag. 160.
CAPUT VII.
Expugnantur ſequentes aliæ propoſitiones ex damnatis à nonâ uſque ad vigeſimam primam, hinc, indeque incluſivè, pag. 166.
SECTIO I.
Oſtenditur fundamentum doctrinæ Sanctæ Matris Eccleſiæ, præfatas propoſitiones damnantis, pag. 170.
SECTIO II.
Neceſſitas gratiæ ſufficientis, & auxilij, ſine quo non, oſtenditur variis argumentis ex Sacro Textu, & Patribus excerptis, pag. 174.
SECTIO III.
Objectiones adverſus doctrinam præcedentem ſolutæ, pag. 181.
SECTIO IV.
Aliæ objectiones ſolvuntur, pag. 189.
SECTIO V.
An efficacitas Divinæ gratiæ creatam libertatem comprimat, pag. 196.
SECTIO VI.
Proponitur, & refellitur præcipuum adverſariorum fundamentum, pag. 203.

SECTIO VII.
Reſpondetur aliis argumentis, pag. 209.
SECTIO VIII.
Propoſitiones XII. & XIII. accuratè diſcutiuntur, itemque aliæ his affines, pag. 216.
SECTIO IX.
Diluuntur fundamenta adverſariorum, pag. 231.
SECTIO X.
Extricantur alia argumenta, quæ adverſús noſtram ſententiam objiciuntur ex authoritatibus, & ratiociniis, pag. 239.
SECTIO XI.
Diſcutiuntur aliquæ difficultates ad complementum præcedentis doctrinæ, pag. 246.
CAPUT VIII.
Exponitur ſenſus propoſitionum XXII. XXIII. XXIV. ac XXV. & earum errores impugnantur, pag. 253.
SECTIO I.
Præcedentes errores corriguntur, pag. 254.
SECTIO II.
Reſpondetur argumentis adverſariorum, pag. 259.
CAPUT IX.
Propoſitiones XXVI. XXVII. XXVIII. & XXIX. explicantur, ut refellantur, pag. 269.
CAPUT X.
Explicantur, & confutantur ſequentes quatuor propoſitiones, pag. 276.
CAPUT XI.
Duarum ſequentium propoſitionum ſenſus aperitur, & impugnatur, Doctrina Sanctæ Matris Eccleſiæ eas proſcribentis defenditur, pag. 284.
CAPUT XII.
Impugnantur propoſitiones XXXVI. & XXXVII. pag. 297.
CAPUT XIII.
Examinantur, & corriguntur propoſitiones XXXVIII. & aliæ quatuor ſequentes, quæ in ſenſu illi adhærent, pag. 305.
SECTIO I.
Utrùm impiorum actiones eo ipſo peccaminoſæ ſint, & malæ? pag. 308.

SEC-

SECTIO II.
Occurritur adverſariorum objectionibus, pag. 312.
CAPUT XIV.
Oſtendens inſaniam propoſitionis XLIII. pag. 316.
CAPUT XV.
Quid ſentiendum ſit circa propoſitionem XLIV. & alias eundem errorem continentes? pag. 324.
SECTIO I.
Explanata doctrina præfatarum propoſitionum teſtimoniis irrefragabilis veritatis refellitur, pag. 330.
SECTIO II.
Utrùm influxus gratiæ ſanctificantis, ſeu Charitatis ſupernaturalis ſit effectivum principium, omnino requiſitum, ut actiones humanæ evadant non malæ moraliter, aut bonæ intra ſtatum naturæ? pag. 333.
SECTIO III.
Utrùm actiones humanæ, hoc eſt, quæ fiunt deliberatæ, in Deum referri debeant, ſeu fieri propter Deum ſummé dilectum, Charitate ita referente, & ordinante? pag. 337.
SECTIO IV.
Refelluntur argutiæ (potiùs argutationes) adverſariorum, pag. 345.
CAPUT XVI.
Qualis ſit ſenſus propoſitionum LI. & LII. & quid circa illas ſentiendum ſit? pag. 252.
CAPUT XVII.
Exponuntur, & expunguntur ſequentes quatuor propoſitiones, pag. 364.
CAPUT XVIII.
Profligatur error propoſitionis LVII. pag. 373.
CAPUT XIX.
De errore propoſitionis LVIII. pag. 376.
CAPUT XX.
Examinatur, & refellitur propoſitio LIX. pag. 380.
CAPUT XXI.
Oſtenditur error propoſitionum LX. & aliarum uſque ad propoſitionem LXIV. & earum falſitas impugnatur, pag. 384.
SECTIO I.
Propugnantur Catholicæ doctrinæ aſſertiones, pag. 385.
SEC-

SECTIO II.

Infringuntur argumenta adverſariorum, pag. 396.

CAPUT XXII.

Rejicitur falſa doctrina propoſitionis LXV. pag. 406.

CAPUT XXIII.

Exponuntur fundamenta doctrinæ Sanctæ Matris Eccleſiæ, damnantis ſequentes propoſitiones, pag. 415.

SECTIO I.

Impugnatur uterque error in LXVI. propoſitione contentus, pag. 416.

SECTIO II.

Reſpondetur objectionibus adverſariorum, pag. 421.

SECTIO III.

Falſitas propoſitionis LXVII. fit manifeſta, pag. 424.

CAPUT XXIV.

Exponitur, & refutatur propoſitio LXVIII. pag. 430.

CAPUT XXV.

Rejicitur propoſitio LXIX. pag. 439.

CAPUT XXVI.

Propoſitio LXX. confutatur, pag. 447.

CAPUT XXVII.

Impugnatur, & rejicitur error propoſitionis LXXI. pag. 454.

CAPUT XXVIII.

Propoſitio LXXII. & ſex aliæ ſequentes, eadem labe infectæ, exponuntur, atque rejiciuntur, pag. 461.

SECTIO I.

Quinam homines ad Eccleſiam dicendi ſint pertinere? p. 463.

SECTIO II.

Expenduntur aliqua ad complementum doctrinæ præcedentis, pag. 470.

SECTIO III.

Deteguntur alij errores, qui in præcedentibus propoſitionibus laterevidentur, pag. 476.

CAPUT XXIX.

Refellitur error propoſitionis LXXIX. & aliarum ſequentium uſque ad propoſitionem LXXXV. incluſivè, pag. 481.

SECTIO I.

Sacram Scripturam non eſſe pro omnibus oſtenditur (contra doctrinam præcedentium errorum) ex Scriptura, Sanctis

Pa-

Patribus, & variis etiam rationibus, pag. 483.

SECTIO II.

Veritas doctrinæ Catholicæ in præſenti oſtenditur aliis rationibus, pag. 487.

SECTIO III.

Reſpondetur argumentis adverſariorum, pag. 493.

CAPUT XXX.

De errore propoſitionis LXXXVI. pag. 497.

CAPUT XXXI.

Arcana ſequentium propoſitionum deteguntur, & extirpantur, pag. 502.

CAPUT XXXII.

Propoſitio LXXXIX. in proprio ſenſu explicatur, & remiſſivé impugnatur, pag. 507.

CAPUT XXXIII.

Confutatur propoſitio XC. pag. 509.

SECTIO I.

Summus omnium Paſtor, qui Chriſti Vicarium agit in terris, gaudet juriſdictione, poteſtate, & authoritate immediaté à Chriſto accepta; quæ reliquæ Catholicorum communitati data non eſt, neque illi aliquo modo eſt ſubjecta, ſive ſubordinata, pag. 511.

SECTIO II.

Proponuntur, & exploduntur adverſariorum cavillationes, pag. 514.

CAPUT XXXIV.

Exploditur propoſitio XCI. pag. 525.

CAPUT XXXV.

Explicantur, & refutantur ſequentes duæ propoſitiones, p. 532.

CAPUT XXXVI.

Diſcutitur propoſitio XCIV. pag. 537.

CAPUT XXXVII.

Error propoſitionis XCV. aperitur, pag. 546.

CAPUT XXXVIII.

Deteguntur errores ſequentium propoſitionum, pag. 552.

CAPUT XXXIX.

Confutantur ſequentes propoſitiones, pag. 556.

CA-

CAPUT XL.

Refellitur propoſitio CI. pag. 562.

Literæ SS. D. N. D. Clementis Papæ XI. adverſus eos, qui Conſtitutioni *Unigenitus* debitam obedientiam præſtare recuſaverint, pag. 569.

DISPUTATIO PROŒMIALIS

IN DEFENSIONEM DOCTRINÆ S. M. ECCLESIÆ contentæ in Conſtitutione *Unigenitus.*

In quâ ſtatuuntur fundamenta ad infallibilitatem Doctrinæ Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, omnino tenendam agiturque de Appellatione ad futurum Concilium Generale.

1 QUIA veracitatem infallibilem Supremi Oraculi totius Eccleſiæ in terris nunc Militantis, propugnandam, ac defendendam aſſumpſi, eam non modò ſupponere debeo cum Catholicis Doctoribus, verùm etiam contra Neotericam pravitatem enucleare neceſſarium duxi. Difficultatum, & quæſtionum, quæ in Eccleſia Catholica moventur, extat Summus Pontifex Tripus, & Cortina (non Delphici Apollinis) veri Numinis, reſponſa fundentis per illum, quem conſtituit Magiſtrum abſque fallibilitatis periculo docentem. Et quoniam hoc eſt unum ex præcipuis fundamentis Dogmaticæ Theologiæ, ab eo examinando diſtrahitur mens, ut via feliciter præparetur ad noſtram hanc Defenſionem Doctrinæ S. M. Eccleſiæ.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrùm Summus Pontifex è Cathedrà loquens, pro definiendis rebus, quæ ad Fidem pertinent, etiam extra Concilium infallibilitate gaudeat?

Propoſitæ quæſtioni reſpondetur affirmative, cum Communi D. D.

2 COmmunis reſolutio Catholicorum, eſt affirmativa. Sic D. Thomas 2. 2. *q.* 8. *art.* 10. *& q.* 11. *art.* 2. *ad* 3. *&* 4. *contra gent. cap.* 79. *& in Opuſc.* 1. *contra errores Græcorum, c.* 33. *& à cap.* 65. *uſque ad* 70. eum ſequuntur ejus Diſcipuli. Bellarm. *Lib.* 4. *cap.* 3. *tract.* 2. *de Author. Papæ cap.* 9. Turrecremata *Lib.* 2. *c.* 109. Oſius *Lib.* 2. *contra Brenum, cap.* 18. Dried. *Lib.* 4. *de Dogmat. cap.* 3. *part.* 3. Uvaldens. *Lib.* 2. *Fidei c.* 47. *&* 48. Echius *tract. de Primatu Petri Soto, in Apolog, cap.* 83. Victoria *relect. de Poteſt. Eccleſ.* Rhophéſis *art.* 28. *contra Luther.* Poncius in Curſu Theolog. *diſp.* 28. *q.* 2. *art.* 8. *Concluſ.* 9. *num.* 13. Sylvius in Controverſi. *Lib.* 4. *q.* 2. *art.* 8. Arriaga *tom.* 5. *diſp.* 9. *ſect.* 4. *num.* 22. Amicus *tom.* 4. *diſp.* 7. Caramuelius in Theologia fundamentali, *tom.* 1. *fundam.* 4. *num.* 246. Diana *tom.* 11. *in append. tract.* 2. *de infallibilitate Decretorum Romani Pontifi extra Concil. reſol.* 2. Frater Antonius Peres *in Pentateuc. Fidei volum.* 5. *dub. ultim. cap.* 1. *num.* 1. Comptonus *tom.* 2. *Theolog. diſp.* 22. *ſect.* 5. *num.* 3. Et hanc concluſionem eſſe de Fide tenet cum communi Doctorum, atque Sanctorũ Patrum noſter citatus Antonius Peres, Noſter Caramuelius cognomento Eximius, loco ſuprà memorato, aſt *num.* 249. cui ſubſcripſerunt innumeri Authores relati ab Eximio Doctore, inter quos extant ex Benedictina Familia Alphonſus Peres, Angelus Manrique, & Petrus Oviedo.

Præſens reſolutio dicitur de Fide.

3 Rationem fundamentalem datæ reſolutionis deſumunt Sancti Patres, ac Doctores ex illis verbis Chriſti Domini *Luc.* 30. *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* In his autem verbis Petro fuit promiſſum quòd ejus fides nunquam eſſet defectura, tum in ſe per actus elicitos, tum erga Eccleſiam per doctrinam, quà ut Magiſter totam Eccleſiam doceret, & quà etiam fratres confirmaret. Non aliter interpretantur Sancti Patres Chriſti promiſſiones aliis in locis Petro, & cõſequẽter Chriſti Vicariis factas:

Chriſti promiſſio Petro, & ſucceſſoribus de Fide nunquam defectura.

ſactas: videlicet *Matth.* 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſùs eam.* Et ejuſdem Matth. ultimo: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* Et Joannis 14. *Alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum.*

4 Teneamus igitur ex teſtimoniis relatis Petrum, & ejus ſucceſſores è Cathedra docentes, de rebus, quæ ad Fidem pertinent, non poſſe actum elicere, quo ſe, aut Eccleſiam decipiant, & hoc propter ſpecialem aſſiſtentiam Spiritùs Sancti. Id confirmatur primò; quia aliàs non diceretur Eccleſia ab Apoſtolo 1. *ad Timot.* 3. *columna, & firmamentum veritatis*: non enim ſtaret firma veritas in Eccleſiæ capite, ac Magiſtro.

Cur Eccleſia dicatur columna, & firmamentum veritatis?

5 Confirmatur ſecundò. Quia certum eſt Catholicis, & Hæreticis dari in Eccleſia aliquam regulam firmam, & infallibilem, pro dirimendis controverſiis in materiis Fidej; hæc autē regula nulla eſſe poteſt, niſi Summus Pontifex: ergo ipſe in definiendis rebus, quæ ad Fidem pertinent, eſt firma, & infallibilis regula. Minor probatur primò. Quia, niſi teneatur Summum Pontificem, eſſe vivam regulam ad controverſias ſolvendas, ſupereſt quòd Scripturam, aut Sacras Traditiones pro regula infallibili teneamus; hoc autem ſuſtinere non licet: primò, nam & ipſæ controverſiæ fortaſſe erunt deductæ ex mala interpretatione Scripturæ, aut ex non intelligentia alicujus traditionis. Secundò, quia, ut dicemus *cap.* 30. *ſ.* 2. Sacræ Scripturæ ſunt obſcuriſſimæ, & Sacræ traditiones multoties ſunt dubiæ: ergo neque Scripturæ, neque traditiones poſſunt diſſolvere lites circa controverſias in materiis Fidei.

Summus Pontifex eſt firma regula in controverſiis circa Fidem.

6 Probatur eadem minor ſecundò: quia ad Summum Eccleſiæ Paſtorem, tanquam ad Oraculum infallibile, pro dictis controverſiis ſolvendis mos fuit recurrere, in omni ætate, ac loco: nam de controverſiis circa Paſchæ celebrationem à multis Conciliis Provincialibus deciſio petita fuit à Victore Papa, anno Chriſti 198. ut refert Euſebius *Lib.* 5. *Hiſtor. Eccleſiaſt. c.* 23. & ſequentibus. Negante Novatiano Eccleſiam poſſe à peccatis abſolvere eos, qui poſt Baptiſmum ſunt lapſi, litem extinxit Cornelius Papa anno 255. juxta Baronium *circa eundem annum.* Sylveſter Papa anno 319. apud Baronium, inquirentibus: Utrùm in Deo eſſent tres Per-

Mos fuit Eccleſiæ omni tēpore ad Papam recurrere pro deciſione in cōtroverſiis Fidei.

ſonæ realiter diſtinctæ? Reſolvit affirmativè contra Sabellium, unicam Perſonam in Divinis agnoſcentem. Aſſerente Neſtorio Epiſcopo Conſtantinopolitano in Chriſto duas eſſe perſonas; reſolutio explorata fuit à Cæleſtino Papa anno 454. Et quia Eutyches cum Dioſcoro docebant contra communem doctrinam, naturam humanam, ac Divinam in Chriſto poſt unionem in unicam coaluiſſe, veritatem poſtulavit Eccleſia à Leone Papa, ut videtur ex Gabriele Vaſquio *tom. 1. in 3. p. Div. Thom. diſp.* 14. Docentibus Macedonianis Spiritum S. Deum non eſſe, vera contra illos doctrina à Damaſo Papa fuit inſpirata, & confirmata. In quibus, & aliis controverſiis, quas omitto, ſemper veritas, & reſolutio à Summis Eccleſiæ Doctoribus, Paſtoribus, & Oraculis ſunt traditæ, pro utràque ex univerſo Orbe recurrentibus, qui circa dogmata Fidei quæſtiones movebant.

Mos venerabilis Baccalaureis Theologis in Pariſienſi Academia.

7 Confirmatur tertiò ex quàdam Catholica, & venerabili conſuetudine, quæ viget in Academia Pariſienſi, ex vi cujus Baccalaurei in diſputationibus Theologicis reſponſuri, prævié proteſtantur ſe nil contra Decreta Sedis Apoſtolicæ, ac Romanæ aſſerere velle, vel defendere; quòd ſi aliquid inter diſputandum adverſùs memorata Decreta exciderit, ignorantiæ, immemoriæ, aut linguæ celeritati ſit attribuendum. Sic refert Andreas Duvallius Theologus Sorbonicus *tract. de Pont. p. 2. q. 1.*

Loqui ex Cathedra quid ſit?

8 Reſpondent Janſeniſtæ hanc doctrinam veram eſſe, ſi intelligatur de Summo Pontifice in Synodo Generali definiente, non verò extra Concilium. Huic reſponſioni favent aliqui Lovanienſes, ut rejiciant Bullam Urbani VIII. adverſùs errores Janſenij. Unde ſtatuunt Summum Pontificem ex Cathedra loqui in Synodo Generali. Sed *contra primò*, loquitur enim Summus Pontifex ex Cathedra, quoties ut caput Eccleſiæ, & illius, Magiſter, toti Eccleſiæ loquitur, docendo dogmaticé, quid tenendum: ſic Doctores communiter. Sic Theologica Facultas Univerſitatum Pariſenſis, & Salmanticenſis apud Eximium Caramuelium *Theolog. Fundament. tom. 1. Lib. 1. fundam. 4. num.* 246. *& ſequent.* juxta editionem Lugduni anno 1676.

9 *Contra ſecundò*: Quia ſoli Petro, (& conſequenter ejus

ejus ſucceſſoribus) non autem Concilio, aut cum ejuſdem dependentia, à Chriſto dictum eſt: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Itemque: *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Ergo aſſiſtentia Spiritùs Sancti, & infallibilitas in definitionibus Fidei, ſoli Petro, & ſucceſſoribus ejus independenter à Concilio promiſſa eſt.

Soli Petro in à dependenter Concilio Generali promiſſa eſt aſſiſtentia Spiritûs Sancti.

10 *Contra tertiò.* Quia Decreta Conciliorum non habent infallibilitatem, niſi Papâ approbante, & confirmante: ergo infallibilitas in definiendo, & aſſiſtentia Spiritùs Sancti ſtat ex parte Summi Pontificis. *Contra quartò.* Eſſet enim maximum inconveniens, ſi pro Decretis dogmaticis à Summo Pontifice ſtatuendis Concilium Generale eſſet congregandum: Concilium nanque Generale rariſſimé poteſt congregari, expenſis, bellis, & aliis impedimentis obſtantibus. Hoc patet, quia Synodus Tridentina, quanvis interveniente maxima Summorum Pontificum ſolicitudine, non niſi difficillimé valuit congregari; cùm enim (ut inquit noſter Paulus III. in Bulla Indictionis) pace ad id opus eſſet, omnia inventa ſunt odiis, & diſſenſionibus plena, diſſentientibus præſertim Principibus inter ſe. Maneret igitur Eccleſia longo tempore, non ſolùm dubiis, ſed erroribus plena, quorum deciſio inveniri non poſſet ex difficultate ad Synodum congregandam.

Decreta Conciliorum cõfirmantur à Papa, ut infallibilitate gaudeant.

11 *Contra quintò.* Quia Eccleſia tota tenetur obedire Summo Pontifici, ac ſtare pro ejus definitionibus etiam extra Concilium; ille ergo in iis definitionibus errare non poteſt. Probatur conſequentia; nam ſi Pontifex extra Concilium definiens poteſt errare, poteſt etiam Eccleſia ei non obedire. Probatur antecedens; quia Summus Pontifex eſt Prælatus ſupremus totius Eccleſiæ, ut ex dicendis *cap.34. ſect.1.n.2.* conſtabit, etiam extra Concilium: ergo univerſa Eccleſia illi debet parere.

Eccleſia debet obedire Papæ, etiam extra Concilium, definienti.

Reſpondetur objectionibus.

12 Objectio prima. Summus Pontifex, ut perſona particularis, poteſt errare circa Fidem; ergo etiam ut Magiſter totius Eccleſiæ. Probatur antecedens primò; quia promiſſio illa Chriſti ad Petrum de ejus fide indefectibili non videtur facta, niſi reſpectivé ad Eccleſiam docendam de Cathedra; unde non ſolùm dictum eſt, *Luc.* 30. *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*; ſed etiam additum eſt immediaté: *Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Probatur antecedens ſecundò. Quia Summus Pontifex poteſt à Pontificatu deponi ob peccatum hæreſis, ut tenet communis opinio, quam tradit Caietanus *Opuſc. de authorit. Papæ, & Concil. à cap.* 17. & deinceps, Canus *Lib.* 6. *de Locis Theologicis cap. ultimo ad* 11. Sotus *in* 4. *d.* 22. *q.* 2. *art.* 2. §. *Dubium autem eſt.* Bannes, Joannes Malderus, Turrianus, & alij. Ergo ideò eſt, quia ſaltem ut perſona particularis, in hæreſim poteſt incidere. Probatur conſequentia facilé. Semel enim admiſſo quòd Summus Pontifex poſſit errare in Fide, nil prohibet, quòd eundem errorem Eccleſiam doceat per deceptionem.

Summus Pont. neque ut perſona particularis errare poteſt in Fide.

13 Reſpondetur primò, & certiùs negando antecedens cum Bellarmino *Lib.* 4. *de Rom. Pont. cap.* 6. & Suar. *diſp.* 7. *ſect.* 6. cui opinioni accedit Pighius apud Amic. *tom.* 4. *diſp.* 6. *ſect.* 7. *num.* 238. Id firmatur *primò*, quia nullus Pontifex, etiam ut perſona particularis, fuit hucuſque hæreſis inuſtione notatus; pro quo lege Peres citatum. *Secundò*, nullo enim pacto permittet ſuprema Providentia ut aliquando incidat in hæreſim, qui veritatem ſemper docere debet ex officio. *Tertiò*, quia abs violentia ſic poteſt interpretari, abſque ullà reſtrictione promiſſio illa Chriſti Domini apud Lucam 30. ad Petrum, & ejuſdem ſucceſſores. Unde corruit prima antecedentis probatio: Neque ſecunda urget: quanvis enim Summus Pontifex deponendus foret, ſi in hæreſim incurreret, non ſequitur illum poſſe incurrere. Sic enim dicitur quòd, ſi Deus non eſſet in uno loco, non poſſet operari in eo; non tamen inde ſequitur poſſe Deum in aliquo loco non eſſe. Dato tamen antecedente, adhuc negatur conſequentia, non enim poſſet Summus Pon-

Pontifex ut totius Eccleſiæ Magiſter docens è Cathedra errare in Fide, propter ſpecialem aſſiſtentiam Spiritûs Sancti,ut colligitur ex verbis Lucæ in argumento adductis,& ex dictis *num.*3. & aliis. Hic ſecundus reſpondendi modus objectionem ſolvit: ſed primus magis mihi arridet.

14 Objectio ſecunda. Aſſiſtentia Spiritûs Sancti non fuit promiſſa Summis Pontificibus pro rebus circa Fidem definiendis temeraria præcipitatione,ſed more humanæ prudentiæ id autem fit prudenter,ſi Summus Pontifex,antequam controverſias Fidei definiat, Doctores ac Patres conſulat, quæ quidem veritatis diſcuſſio accuratiori modo, ut res exigit, fit in Concilio: ergo extra Concilium Summus Pontifex non gaudet ſpeciali aſſiſtentiâ Spiritûs Sancti.

15 Reſpondetur *primò*: aſſiſtentiam Spiritûs Sancti Summis Pontificibus fuiſſe promiſſam, quo ad ſubſtantiam,præſcindendo à conſultatione Doctorum; unde illa omiſſa, quanvis definitio Summi Pontificis non foret prudens, foret infallibilis. Ideo Caſtro Palaus *tom.*1.*tract.*4.*diſp.*1.*puncto* 5. §.2.*n.*12. inquit non eſſe neceſſariam hanc diligentiam, ut Pontifex certò, & infallibiliter definiat, ſed ut prudenter procedat. Idem docet Valentia 2.2.*q.*1.*art.*10.§.*Ad* 4. Franciſcus del Caſtillo in *Lib.*3.*Sent.tom.*2.*diſp.*16.*ſect.*6.*num.*21. Valentinus, Tanerus, Pinaloſa. Imò Joannes Uvigers *in* 2.2.*tract.de Pontif.q.*1.*a*, 10.*num.*189. cui ſubſcribo, concludit quòd, licèt Summus Pontifex ex Cathedra definiret per ſe ſolum ſine præviâ diſcuſſione, talis definitio non ſolùm eſſet infallibilis, ſed nec temeraria habenda, aut imprudens: eſt enim præſumendum quòd occurrens negotium, non requireret ampliorem indaginem; & quòd Summus Pontifex ſic ſapienter proceſſerit, & rem definierit, ex peculiari inſtructione, & inſtinctu Spiritûs Sancti, cujus aſſiſtentia nunquam defectura, Pontifici promiſſa eſt à Chriſto, unde Spiritu Sancto per Pontificem ſic alloquente, dicendum eſſet: *Spiritus ubi vult ſpirat, & vocem ejus audis, ſed neſcis unde veniat, aut quò vadat. Ex Joan.* 3. Et juxta hanc doctrinam veré Catholicam, magis enim in Dei promiſſione fidens, quàm in hominum conſilio, ac Doctorum placitis, reſpondendum eſt *ſecundò*, negando ſuppoſitum in antecedente argumenti præjacti.

Non eſt neceſſe quòd Summus Pont. Doctores conſulat; ut ejus definitio in rebus Fidei ſit infallibilis.

Neque Pôtifex imprudenter procedere dicêdus eſt, omittens conſultationem DD.

16 Reſ-

16 Reſpondetur *tertiò*, quód ut Summo Pontifici prudenter, & more humano procedenti Spiritus Sanctus aſſiſtat, ſufficit quòd ante definitionem audiantur Doctores, quanvis non in publicum cœtum congregati: ut docent communiter Theologi cum Suar. Dian. Amico, & aliis. Et adde ſufficere quòd Summus Pontifex ante definitionem Eminentiſſimos Cardinales conſulat, in quorum gremio venerabili, Doctrina fulget, ſapientia rutilat, Zelus Dei inextinctus, & Fidei Catholicæ ardet, & in quos Spiritus Sanctus ſpeciali afflatu reſpicit, tanquam præcipuos Eccleſiæ Patres, ac Lumina.

17 Objectio tertia. Si Pontifex extra Concilium haberet infallibilem aſſiſtentiam Spiritùs Sancti, nec poſſet errare; ſequeretur inutilia eſſe Concilia in Eccleſia; hoc autem dici nequit, cùm ſit oppoſitum praxi totíus Eccleſiæ: tenendum igitur definitiones Summi Pontificis tantúm in Conciliis eſſe infallibiles. Maior probatur, multa enim in Eccleſia Concilia congregata ſunt ad hæreſes condemnandas; eſſent autem inutilia, ſi extra Concilium Pontifex poſſet loqui de Cathedrà, & cum aſſiſtentià Spiritùs Sancti.

Neceſſitas, & utilitas Conciliorum Generalium.

18 Reſpondetur negando ſequelam maioris, & probationem illius: quanvis enim Concilia generalia non ſint ſimpliciter neceſſaria ad dogmata Fidei definienda, nam in tribus primis Eccleſiæ ſæculis definita ſunt multa dogmata, & multæ hæreſes damnatæ à Summis Pontificibus, nullo congregato Concilio; adhuc tamen Concilia generalia ſunt utilia, & poſſunt eſſe abſolutè neceſſaria. Utilia quidem; ut res Fide Divinà in Concilio à Papa definita habeat maiorem eredibilitatis evidentiam. Item ut hæreſes evidentiùs conterantur, & efficaciùs evellantur. Tandem ut in Concilio Fidei Articuli faciliùs ab univerſá Eccleſià acceptentur. Sunt etiam aliquando neceſſaria ipſa Concilia generalia; nam ſi tempore ſchiſmatis electores non conveniant in electione Papæ, ad Concilium generale pertinet controverſiam decidere, nullus enim alter modus humanus ſupereſt ad id.

QUÆS-

QUÆSTIO SECUNDA.

Utrùm Summus Pontifex in Decretis morum poſſit errare.

19 DEcretorum circa mores duplex eſt genus: aliquot enim Decreta pendẽt ex facto; ut v.g. quòd hic debeat à dignitate deponi, & quòd ille injuſtè fuerit excommunicatus. Alia Decreta pendent à Jure, ſpectant enim ad perfectum regimen totius Eccleſiæ; ut quòd Baptiſmus non ſit reiterandus. In Decretis primi generis, quæ pendent ex ſolo facto, Pontifex errare poteſt. Et in hoc omnes Doctores conveniunt. Ratio eſt, quia in his Decretis procedit Pontifex ut merus Judex Eccleſiaſticus, ac per conſequens more humano, ductus diſquiſitione, & teſtimonio humano: ergo non procedit ex afflatu, & aſſiſtentia Spiritûs Sancti.

S. Pontifex poteſt errare in Decretis morũ, quæ ſolum factum reſpiciunt.

20 Non tamen poteſt errare Summus Pontifex in Decretis definitivis, hoc eſt, præcipientibus, vel prohibentibus circa mores toti Eccleſiæ rem aliquam intuitu æternæ ſalutis. Ita Canus *Lib.5. de locis Theolog. cap.5. q. poſtremâ, conc.*1. Bannes 2.2. *q.*1. *art.*10. *in brevioribus comment dub.*6. Bellarm. *Lib.*4. *de Romano Pontif. c.* 5. Valent *de Objecto Fidei diſp.*1. *q.*1. *p.*7. §.40. Malderus *dubit.*6. Suar. *diſp.* 5. *ſect.*8. Turrianus *diſp.*16. *dub.*2. Sylvius *Lib.*4. *de Controv. q.*2. *art.*13. Amicus *tom.* 4. *diſp.* 7. *ſect.* 2. *num.*56. Diana, Peres ſuprà relati, & communiter Doctores Catholici.

In Decretis juris, circa mores non poteſt S. Pontifex errare.

21 Ad probationis hujuſce concluſionis præ oculis habeamus v. g. doctrinam Alexandri VII. damnantis illam Propoſitionem: *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi præceptorum Divinorum, ad eas virtutes pertinentium.* Similiter illam Innocentij XI. docentis: *illum qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non teneri ad reſtitutionem iſtius damni illati.* In his igitur, & ſimilibus, quæ ad mores pertinent, doctrinis nequit Pontifex errare: *primò*, quia in his, quæ attinent ad ſalutem, erraret omnis Eccleſia, quæ ſtare debet doctrinâ ſui ſupremi Magiſtri; ac inde corrueret illa Chriſti promiſſio: *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* *Secundò*: quia Summus Pontifex in præ-

S. Pontifex in Decretis morũ, etiam loquitur de Cathedra.

prædictis loquitur de Cathedra, ideſt, toti Eccleſiæ, eam docendo; juxta præmiſſa *num.* 8. ergo nequit errare, ut conſtat ex relatis. *Tertiò*: Quia ſi in his Summus Pontifex poſſet errare, poſſet, & in dogmatibus ad Fidem ſpectantibus. De fide enim eſt vitia eſſe turpia, propterea que fugienda; virtutes verò eſſe honeſtas, & ideo amplectendas: ſi autem Pontifex circa mores erraret, doceret contra Fidem, aut virtutes eſſe turpes, aut vita eſſe honeſta: aliter non erraret in doctrina morum. Et eſt notandum hanc infallibilem veritatem in Decretis morum competere Summo Pontifici, etiam extra Concilium; *primò*, ut conſtat ex aliquot fundamentis appoſitis num. 10. & 11. *Secundò*, quia Petro abſolutè, & extra Concilium à Chriſto dictum eſt: *Joannis*: 21. *Paſce oves meas*, hoc eſt, morum, ac doctrinæ pabulo.

22 Opponitur. Summus Pontifex damnando hanc propoſitionem: *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali*; non tollit ejus intrinſecam probabilitatem: ergo talis propoſitio probabilitate intrinſeca adhuc manet probabiliter vera, ac per conſequens doctrina Pontificia damnans relatam propoſitionem, ſolùm eſt probabiliter vera, non infallibilis. Probatur antecedens; quia reſolutio Pontificia non inducit quòd ante declarationem, illa propoſitio careret intrinſecis fundamentis: ergo non tollit illius intrinſecam probabilitatem. Admiſſo autem quòd illa damnata propoſitio ſit probabiliter vera, jam doctrina Pontificia manet probabiliter falſa: non enim eſt infallibiliter vera, ſed vera opinativè cum formidine partis oppoſitæ propter ejuſdem intrinſeca fundamenta.

23 Reſpondetur: verum eſſe, Summum Pontificem damnantem illam propoſitionem, ſolum extrinſece tollere ejus probabilitatem: non tamen ſequitur poſſe errare, aut ejus doctrinam eſſe fallibilem; imò nec ſequitur, damnantam propoſitionem, adhuc manere intrinſecè probabilem. Nam antequam propoſitio damnetur à Summo Pontifice, præcedunt examina, & diſcuſſiones, ejus intrinſecam improbabilitatem omnino demonſtrantes, Spiritu Sancto Duce, ac Luce. Unde in formà diſtinguitur antecedens: Summus Pontifex damnando eam propoſitionem, non tollit ejus intrinſecam probabilitatem; per illam externam damnationem,

Declaratio Pōtificia quomodo improbabilē reddat propoſitionem, quam damnat.

conc.

conc.per præcedentes diſcuſſiones,aperientes fallaciam,in qua damnanda propoſitio erat fundata , negatur antecedens. Hinc ad probationem antecedentis dicendum eſt declarationem Pontificiam inducere, præfatam propoſitionem, ante damnationem, nulla habuiſſe firma, & vera fundamenta, ſed tantùm ſophiſtica, & fallacia: ac proinde ab eà tollere omnem intrinſecam probabilitatem.

24 Colligitur ex dictis nullum Summum Pontificem de Cathedra loquentem circa Fidem,aut mores unquam erraſſe. Falſo ergo, ex invidia Hæreticorum,ex mala inteligentia facti, aut ex errore hiſtoriæ, legitur erraſſe aliquos Summos Pontifices: pro quo videantur Amicus *tom.*4. *diſp.*7.*ſect.*1.Antonius Peres in Pentateucho Fidei *volum*: 5. *dubio ultimo*, ubi Summos Pontifices erroris notà inuſtos, circa Fidei aut morum doctrinam, ab hac ignominia vindicant, & à contumelia defendunt.

Nullus S. Pontifex erravit loquens è Cathedra.

QUÆSTIO TERTIA.

Utrum à Sententià Summi Pontificis ad futurum Concilium poſſit appellari?

25 OMnium Doctorum reſolutio negativa eſt:unde excōmūicātur in Bulla Cœnæ Domini, omnes, & ſingulæ perſonæ appellantes à ſentētiis Papæ ad futurū Concilium generale, his verbis. *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos cujuſcunque ſtatùs, gradùs, & conditionis fuerint, Univerſitates verò, Collegia, & Capitula quocunque nomine nuncupentur, interdicimus; ab Ordinationibus, ſeu mandatis noſtris, ac Romanorum Pontificum pro tempore exiſtentium, ad univerſale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio,vel favore appellatum fuerit.* Quæ Conſtitutio antequam à Pio V. in Bulla Cœnæ poſita eſſet, in jure Jam fuerat inſerta, eſt enim decima, ejuſdem in ordine.

In Bulla Cœnæ (& extra illam) excommunicātur appellantes à Summo P. ad futurum Concilium Generale.

26 Iſtiuſmodi appellationes à variis Summis Pontificibus prohibitas eſſe legimus: ſcilicet ab Innocentio in capitulo *Nemo*, & à Symacho Papa *in cap. Aliorum*, ab Antero *in cap. Facta*, & tandem à Gelaſio *in cap.Ipſi ſunt canones,& c.Cuncta per modum* 9. *q.* 3. Sic etiam Pius II. expreſſé docuit illicitum eſſe à Sum-

Idem prohibetur à Pio II. in Congregatione Mantuana.

à Summo Pontifice appellare, habità ad hanc conſtitutionem Mantuana Congregatione; in qua dictus Pontifex de conſilio Cardinalium, & cunctorum Prælatorum, & omnium utriuſque Juris Doctorum, Romanam Curiam tunc temporis ſequentium, planis, & efficaciſſimis rationibus præfatas appellationes tanquam erroneas, & deteſtabiles damnavit; ac ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœnis,& interdicti præcepit, ne aliqua perſona cujus vis dignitatis, ſive etiam Univerſitas, aut Collegium quovis prætextu, vel colore ab ordinationibus,ſententiis,ſeu mandatis Papæ, ad futurum Concilium provocaret, ut habetur in Bulla ejuſdem Summi Pontificis, quæ incipit *Execrabilis.*

27 Fundatur hæc reſolutio communis in duobus: & eſt primum,quia in appellatione à Papa ad Concilium Generale, cōmittitur Sacrilegium contra Summi Pontificis Primatum in univerſo Orbe: nam iſta appellatio eſt quædam rebellio palliata, & continet ſpeciem ſchiſmatis contra Summum Pontificem; ideoque Julius II. & Pius II. ſtatuerunt, ut ita appellantes, tanquam ſchiſmatici, & de Fide malè ſentientes haberentur: ut referunt Sylveſter in V. *Excommunicatio, 7. num.93.verſ.* 57. Tabiena V. *Excommunicatio 7. circa medium*, Caietanus V. *Excommunicatio cap.* 25. Ledeſma 2.4.*q.*26.*art.*2. Sebaſtianus Medices *in Summa peccat. capital. tit.*9.*q.*78.*n.*13.noſter Sayrus de *Cenſuris Lib.* 3. *cap.*6.*num.*2.

Sacrilegium eſt contra perſonã Papæ ab eo appellare.

28 Secundum fundamentum eſt, quia appellatio, propriè eſt, *de Judice inferiori ad ſuperiorem provocatio*, ut cum Summiſtis docet Goffredus *in tit. de Appellat.* & expreſſè Gloſſa *in cap. Non putamus* in verbo *officiali: de Conſuetud. Lib.* 6. Aſt Summus Pontifex eſt totius Eccleſiæ,ac Reipublicæ ſpiritualis Princeps Supremus: ergo ab illo non licet, nec poteſt appellari. Maior eſt certa apud utriuſque Juris Interpretes: minor eſt de fide, & ex dicendis *cap.* 34. *ſect.* 1. *n.* 2. patebit: conſequentia rectè colligit. Confirmatur, quia non ex alio fundamento,in Jure Civili eſt prohibitum, ne quis à Principe, vel à Senatu, in rebus ſæcularibus appellet; *l. prima, ff. à quibus appellare non licet.* Dato tamen (per maximum abſurdum) quòd à Summo Pontifice poſſet appellari, in cauſis, & ſententiis tantum modo de facto,nihil circa materiam juris imbibentibus; non ideo poſſet

Appellatio quid ſit?

A Principe, vel Senatu appellari non poteſt.

poſſet appellari ab eo in Decretis circa dogmata Fidei, aut morum prolatis. Ratio eſt: quia pro his gaudet Summus Pontifex ſpeciali, & infallibili aſſiſtentiâ Spiritùs Sancti, ut diximus. Vel ergo appellatio foret pro veriori doctrina, purio- rique veritate invenienda; vel non? Primum dici nequit, nam abſque Spiritu Sancto, per Summum Pontificem Eccleſiæ loquente, veritas non invenitur. Secundum non licet ſuſtinere, perperam enim eſſet, pro doctinâ purâ à veritate ad mendacium provocare.

Perperam eſſet extra Spiritum S. quærere veritatem aut à veritate ad mẽdacium appellare.

QUÆSTIO QUARTO.

Utrùm de Fide ſit; hunc Romanum Pontificem, Beatiſſimum D. D. Clementem XI. regnantem hucuſque feliciter, fuiſſe verum Chriſti Vicarium, & legitimum Petri ſucceſſorem?

29 AFfirmat P. Viva *4. p. Curſûs Theologici diſp. 2. q. 3.* ex preſſé loquens de memorato Pontifice regnante, his verbis: ***Dicendum itaque, eſſe materiale Fidei objectum, quòd Clemens XI. ſit verus Chriſti Domini Vicarius.*** Hæc reſolutio eſt omnino certa ac tenenda; eſtque communis inter D. D. uno vel altero ex antiquis dempto. Sic Lug. *de Fid. diſp. 5. ſect. 13. §. 5. n. 316.* Suares *de Fide diſp. 5. ſect. 8. n. 12.* Ovied. *de Fid. controv. 4. punct. 7. num.* 86. Hurtado de Mendoça *de Fid. diſp. 37. ſect. 3.* Arriaga *tom. 5. diſp. 7. ſect. 8. num.* 50. Tannerus *tom. 3. diſp. 1. q. 1. dub. 5 num.* 146. Caſtro Palaus *tom. 1. tract. 4. diſp. 1. punct. 5. §. 2. n. 9.* Amicus *tom. 3. diſp. 6. ſect. 5. n. 152.* Gerunda *de Epiſcopo tom. 2. l. 5. diſp. 3. n. 56.* Valentia *tom. 3. diſp. 1. q. 1. punct. 7. in qu. 5. §. 39.* Comptonus *tom. 1. Theol. diſp. 22. ſect. 3. num. 6.* Diana *tom. 11. in appẽd. tract. 2.* & paſſim alij.

30 Pro reſolutione aliqua ſunt prænotanda. Primum: hanc quæſtionem ſolùm excitari, circa Pontificem qui tanquam Clemens XI. pro vero Chriſti Vicario, ab univerſâ Eccleſiâ pacificè eſt acceptatus. Si enim ſit dubium, prudenter fundatum, de validitate electionis unius Pontificis; tunc certum eſt, non eſſe de fide, eum eſſe verum Chriſti Vicarium, & legitimum Petri ſucceſſorem. Secundum prænotandum, eſt.

Senſus quæſtionis.

31 Concluſionem Theologicam, deductam ex duabus

Et de fide certa illa concluſio, quæ deducitur ex unà præmiſſa de fide, & a1à evidenter notà.

præmiſſis, unâ de fide; alterà evidenter notà (evidentià morali, ſimpliciter dictà) eſſe objectum materiale Fidei, ac inde de Fide credendam. Et hoc probatur; non enim poteſt negari talis concluſio, quin præmiſſa illa de Fide, etiam negetur: nam ut negetur concluſio Syllogiſmi rectè diſpoſiti, aliqua præmiſſa eſt prius neganda; non tamen poteſt negari prudenter, præmiſſa nota evidentià morali, eſt enim per ſe patens, & manifeſtè clara: ergo ſolùm erit neganda præmiſſa illa de fide, cùm ſit obſcura, & non per ſe manifeſta. Exemplum appono. Petrus legit librum Evangeliſtæ Matthæi, cujus Evangelij authoritatem volens probare, conſtruit hunc Syllogiſmum: Quidquid narratur in libro Evangelij, eſt de fide certum; hic liber, eſt Evangelij: ergo quidquid narratur in eo, eſt de fide. Si Petrus velit negare conſequentiam, prius negabit illam præmiſſam de fide: ergo in illà negabit conſequentiam de fide, quæ cum illa eſt identificata. Probatur antecedens: non enim negabit aliam præmiſſam, quæ patet evidentià morali; non enim poterit negare eſſe librum Evangelij, quem videt, Evangeliſtæ Matthæi eſſe librum.

Probatio noſtræ reſolutionis.

32 Modò in probationem noſtræ reſolutionis, efficio hunc Syllogiſmum: Omnis Pontifex canonicè electus, eſt verus Chriſti Vicarius, & legitimus Petri ſucceſſor: Clemens XI. fuit Pontifex canonicè electus: ergo fuit verus ſucceſſor Petri,& Chriſti Vicarius. Hæc concluſio deducta eſt ex primà præmiſſa de Fide,& ex ſecundà evidenti,morali evidentià:ergo eſt de Fide talis concluſio.

33 Poteſt noſtra reſolutio tripliciter confirmari: *primò* ex Decreto Martini V. in Concilio Conſtantienſi, ſtatuente, quòd ſuſpecti de hæreſi interrogentur, An hic Papa, (*ejuſdem nomine expreſſo*) qui pro tempore eſt, ſit verus Petri ſucceſſor? *Secundò*, quia æqualiter ſequeretur, non eſſe de Fide, hoc vel illud Generale Concilium, Tridentinum v. g. eſſe verum, & legitimum Concilium, cum non magis conſtet de ejus veritate,& validitate,quàm de canonica,vera,& legitima electione Clementis XI. *Tertiò*, quia ſequeretur non eſſe de Fide S.Pium V. S. Anddream de Avellino,& alios ab eodem Pontifice Canonizatos, & in Sanctorum numerum relatos, eſſe verè Beatos, in cæleſti Patria collocatos. Si enim præfatus

Pius V. Andreas Avelinus, Felix à Cantalitio. Catharina de Bononia, canonizantur à Clem. XI. die 22. Maij, an. 1712.

Cle-

Clemens non eſſet verus Pontifex, in hoc poſſet errare; & non eſſet de Fide eos eſſe veré Beatos, ſi non eſſet de Fide Clementem XI. eſſe verum Summum Pontificem: quem Deus, Summo Pontificatu per annos circiter XXI. dignè, atque fideliter functum, ad æternam evehat Beatitudinem.

DEFENSIO PURISSIMÆ, ET INTEGERRIMÆ DOCTRINÆ Sanctæ Matris Eccleſiæ, contentæ in Bullà SS. D. N. CLEMENTIS PAPÆ XI. QUÆ INCIPIT UNIGENITUS.

CAPUT PRIMUM

Conſtitutio Pontificia Unigenitus *proponitur: Cenſuras, quas continet contra damnatas propoſitiones, Præſens caput exponit; & quomodo ipſæ cenſuræ, ſeu Notæ cuilibet propoſitioni ſint adhibendæ.*

NIHIL eſt, quod Summi Paſtoris mentem magis abſorbeat, quàm aſſidua illa cura, quâ in Eccleſià Dei ſemper invigilando cuſtodit vigilias noctis ſuper gregem ſuum; nè fortè adverſarius ille Diabolus, qui tanquam leo, rugiens circuit quærens quem devoret, in caulam Domini irruens, ſimplices oves rapiat, furetur, & mactet: aut

 veniens

veniens inimicus homo, in medio tritici valeat ſuperſeminare zizaniam. Hinc, quo primum tempore ad aures Beatiſſimi D. N. D. Clementis Papæ XI. pervenit zizaniam per aliquot Galliarum partes diſſeminatam eſſe inter ſalutare Divinæ Scripturæ triticum, in aliquot Voluminibus, quorum titulus *Le Noveau Teſtament en François, &c.* Conteſtantibus, non tantùm plurimis Galliarum Prælatis, verùm etiam Chriſtianiſſimo Ludovico XIV. Francorum Rege, non dum vivis erepto; maior eſt, quàm quod dici valeat, impenſio, & cura, quâ ejuſdem Beatiſſimi Patris mens tota fuit in evellendis zizanijs, quo ad uſque in faſciculos alligaret eas comburendas publico Fidei theatro, quod Alma Urbs, Sacra Roma, non ſine dolore inſpexit, & abſque lacrymis non vidit. Nec tantùm; ut inſuper Chriſti Fideles rugientem leonem, & aſtum ſerpentis antiqui, poſſint effugere, Sacro ſuo diplomate, unam ſupra centum propoſitiones, quas in præfatis Libris inventas damnavit, Orbi Orthodoxo notas, fugiendas, atque deteſtandas expoſuit. Quæ cùm nobis præſentis voluminis præbeant argumentum, in ejus frontiſpicium prædictam Sanctiſſimi Domini Noſtri Bullam ſuper præfatis apponere duximus neceſſariũ, ut pote ad reliqua præviam, & requiſitam.

SANC-

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI DOMINI CLEMENTIS DIVINA' PROVIDENTIA' PAPÆ XI.

BULLA PRO DAMNATIONE quamplurium propoſitionum excerptarum ex libro, cujus inſcriptio *Le noveàu Teſtament en François, &c.*

CLEMENS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM Dei. Univerſis Chriſti Fidelibus Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

I. UNIGENITUS Dei Filius, pro noſtrà, & totius Mundi Salute filius hominis factus, dum Diſcipulos ſuos doctrinâ veritatis inſtrueret, univerſamque Eccleſiam ſuam in Apoſtolis erudiret, præſentia diſponens, & futura proſpiciens,

ciens, præclaro, ac ſaluberrimo documento nos admonuit, ut attenderemus à falſis Prophetis, qui veniunt ad Nos in veſtimentis ovium, quorum nomine potiſſimùm demonſtrantur, Magiſtri illi mendaces, & in deceptione illuſores, qui ſplendida pietatis ſpecie, prava dogmata latenter inſinuantes, introducunt Sectas perditionis ſub imagine Sanctitatis, utque faciliùs incautis obrepant, quaſi deponentes lupinam pellem, & ſe ſe Divinæ legis ſententiis, velut quibuſdam ovium velleribus obvolventes, Sanctarum Scripturarum, adeóque etiam ipſius Novi Teſtamenti verbis, quæ multipliciter in ſuam, aliorumque perditionem depravant, nequiter abutuntur, antiqui ſcilicet, à quo progeniti ſunt, mendacij Parentis exemplo, ac magiſterio edocti, nullam omnino eſſe ad fallendum expeditiorem viam, quàm, ut ubi nefarij erroris ſubintroducitur fraudulentia, ibi Divinorum verborum prætendatur authoritas.

II. His nos verè Divinis monitis inſtructi, ubi primum, non ſine intimà cordis noſtri amaritudine, accepimus librum quendam Gallico idiomate olim impreſſum, & in plures Tomos diſtributum, ſub titulo: *Le Noveáu Teſtament en François, avec des reflexions morales ſur chaque verſet, &c. A Paris* 1699. Aliter veró *Abregè de la morale de l' Evangile, des Actes des Apoſtres, des Epiſtres de S. Paul, des Epiſtres Canoniques, &*

de

de le Apocalypſe, ou Penſées Chretiennes ſur le Texte de ces Livres Sacrez, &c. A Paris 1693. *&* 1694. tametſi aliàs à Nobis damnatum, ac re verà Catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariam permiſcentem, adhuc tamen tanquam ab omni errore immunem à pluribus haberi, Chriſti fidelium manibus paſſim obtrudi, ac non nullorum nova ſemper tentantium conſilio, & operà ſtudioſé nimis quaquaverſum diſſeminari, etiam Latinè redditum, ut pernicioſæ inſtitutionis contagium, ſi fieri poſſit, pertranſeat de gente in gentem, & de Regno ad populum alterum, verſutis hujuſmodi ſeductionibus, atque fallaciis creditum Nobis Dominicum Gregem in viam perditionis ſenſim abduci, ſummopere doluimus; adeòque Paſtoralis non minus curæ noſtræ ſtimulis, quàm frequentibus Orthodoxæ Fidei Zelatorum querelis, maximè verò complurium Venerabilium Fratrum, præſertim Galliæ Epiſcoporum, literis, ac precibus excitati, gliſcenti morbo, qui etiam aliquando poſſet in deteriora quæque proruere, validiori aliquo remedio obviam ire decrevimus.

III. Et quidem ad ipſam ingruentis mali cauſam providæ noſtræ conſiderationis intuitum convertentes, perſpicué novimus ſummam hujuſmodi libri perniciem, ideo potiſſimùm progredi, & invaleſcere, quòd eadem intus lateat, & velut improba ſanies, non niſi

ſecto

ſecto ulcere foras erumpat, cùm liber ipſe primo aſpectu legentes ſpecie quàdam pietatis illiciat; molliti enim ſunt ſermones ejus ſuper oleum; ſed ipſi ſunt jacula, & quidem intento arcu ad nocendum parata, ut ſagittent in obſcuro rectos corde. Nihil propterea opportunius, aut ſalubrius præſtari á Nobis poſſe arbitrati ſumus, quám ſi fallacem Libri doctrinam generatim ſolummodo á Nobis hactenus indicatam, pluribus ſingillatim ex eo excerptis propoſitionibus, diſtinctiùs, & apertiùs explicaremus, atque univerſis Chriſti Fidelibus noxia zizaniorum ſemina è medio Tritici, quò tegebantur, educta, velut ob oculos exponeremus. Ita nimirum denudatis, & quaſi in propatulo poſitis, non uno quidem, aut altero, ſed plurimis, graviſſimiſque, tum pridem damnatis, tum etiam novè adinventis erroribus, planè confidimus, benedicente Domino, fore ut omnes tandem apertæ jam, manifeſtæque veritati cedere compellantur.

IV. Idipſum maximè è re Cotholica futurum, ſedandis præſertim in florentiſſimo Galliæ Regno exortis ingeniorum variè opinantium, jamque in acerbiores ſciſſuras protendentium diſſidiis apprimè proficuum: conſcientiarum denique tranquillitati perutile, & propemodum neceſſarium, non modò præfati Epiſcopi, ſed & ipſe inprimis Chariſſimus in Chriſto Filius noſter Ludovicus Francorum

Rex

Rex Chiſtianiſſimus, cujus eximium in tuendá Catholicæ Fidei puritate; extirpandiſque erroribus zelum ſatis laudare non poſſumus, ſæpiùs Nobis eſt conteſtatus; repetitis propterea verè piis, & Chriſtianiſſimo Rege dignis officiis, atque ardentibus votis à Nobis efflagitans, ut inſtanti Animarum neceſſitati prolata quantociùs Apoſtolici cenſurá judicij conſuleremus.

V. Hinc adſpirante Dòmino, ejuſque cæleſti ope confiſi, ſalutare opus ſedulò, diligenterque, ut rei magnitudo poſtulabat, aggreſſi ſumus, ac plurimas ex prædicto libro, juxta ſuprà recenſitas, reſpectivè editiones, fideliter extractas, & tum Gallico, tum Latino idiomate expreſſas Propoſitiones á compluribus in Sacra Theologia Magiſtris; primò quidem coram duobus ex Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctę Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, accuratè diſcuti; deinde verò coram Nobis, adhibito etiam aliorum plurium Cardinalium conſilio, quàm maxima diligentiâ, ac maturitate, ſingularum inſuper propoſitionum, cum ipſo met libri textu, exactiſſimè factâ collatione, pluries iteratis Congregationibus, expendi, & examinari mandavimus. Hujuſmodi autem propoſitiones ſunt, quæ ſequuntur, videlicet.

I. *Quid*

I. *Quid aliud remanet Animæ, quæ Deum, atque ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum, & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas, & ſegnis indigentia, hoc eſt generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?*

II. *JESU Chriſti gratia, principium efficax boni cujuſcunque generis, neceſſaria eſt ad omne opus bonum; abſque illà non ſolùm nihil fit, ſed nec fieri poteſt.*

III. *In vanum Dòmine præcipis, ſi tu ipſe non das quod præcipis.*

IV. *Ita Dómine; omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis, eadem operando in illo.*

V. *Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inſerviunt, niſi ad illud magis obdurandum.*

VI. *Diſcrimen inter fœdus Judaicum, & Chriſtianum eſt; quód in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in ſuá impotentiá; in iſto veró Deus peccatore dat quod jubet, illum ſuá gratiá purificando.*

VII. *Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati,, imponendo ipſi ſuam legem? Quæ veró felicitas non eſt admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat quod petit à nobis.*

VIII. *Nos non pertinemus ad novum fœdus, niſi in quantum participes ſumus ipſiûs novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.*

IX. *Gratia Chriſti eſt gratia ſuprema, ſine quà confiteri Chriſtum nunquam poſſumus, & cum quá nunquam illum abnegamus.*

X. *Gra-*

X. Gratia eſt operatio manùs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.

XI. Gratia non eſt aliud, quàm voluntas Omnipotentis Dei jubentis, & facientis quod jubet.

XII. Quando Deus vult ſalvare Animam quocunque tempore, quocunque loco effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei.

XIII. Quando Deus vult Animam ſalvam facere, & eam tangit interiori gratiæ ſuæ manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit.

XIV Quantumcunque remotus à ſalute ſit peccator obſtinatus, quando JESUS ſe ei videndum exhibet lumine ſalutari ſuæ gratiæ, oportet ut ſe dedat, accurrat, ſeſe humiliet, & adoret Salvatorem ſuum.

XV. Quando Deus mandatum ſuum, & ſuam æternam locutionem comitatur unctione ſui ſpiritûs, & interiori vi gratiæ ſuæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.

XVI. Nullæ ſunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil reſiſtit Omnipotenti.

XVII. Gratia eſt vox illa Pátris, quæ homines interiùs docet, ac eos venire facit ad JESUM Chriſtum; quicunque ad eum non venit, poſtquam audivit vocem exteriorem Filij, nullatenus eſt doctus à Patre.

XVIII. Semen verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper affert fructum ſuum.

XIX. Dei gratia nihil aliud eſt, quám ejus Omnipotens voluntas; hæc eſt idea, quam Deus ipſe nobis tradit in omnibus ſuis Scripturis.

XX. Vera gratiæ idea eſt, quòd Deus vult ſibi á

nobis obediri, & obeditur : imperat, & omnia ſunt : loquitur tanquam Dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt.

XXI. *Gratia JESU Chriſti eſt gratia fortis, potens, ſuprema, invincibilis, utpote quæ eſt operatio voluntatis Omnipotentis, ſequela, & imitatio operationis Dei incarnantis, & reſuſcitantis Filium ſuum.*

XXII. *Concordia Omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipſius voluntatis conſenſu demonſtratur illico nobis in Incarnatione, velut in fonte, atque Archetypo omnium aliarum operationum miſericordiæ, & gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes à Deo ſunt, ſicut ipſa originalis operatio.*

XXIII. *Deus ipſe nobis ideam tradidit omnipotentis operationis ſuæ gratiæ; eam ſignificans per illam, quá creaturas é nihilo producit, & mortuis reddit vitam.*

XXIV. *Juſta idea, quam Centurio habuit de Omnipotentiá Dei, & JESU Chriſti in ſanandis corporibus ſolo motu ſuæ voluntatis, eſt imago ideæ, quæ haberi debet de Omnipotentia ſuæ gratiæ in ſanandis Animabus á cupiditate.*

XXV. *Deus illuminat Animam, eam ſanat æquè ac corpus ſolá ſuá voluntate; jubet, & ipſi obtemperatur*

XXVI. *Nullæ dantur gratiæ, niſi per Fidem.*

XXVII. *Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum.*

XXVIII. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori,*

peccatori, eſt peccatorum remiſſio.

XXIX. *Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia.*

XXX. *Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum ſalvantur infallibiliter.*

XXXI. *Deſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum; pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.*

XXXII. *JESUS Chriſtus ſe morti tradidit ad liberandum pro ſemper ſuo Sanguine Primogenitos, id eſt, Electos, de manu Angeli exterminatoris.*

XXXIII. *Proh quantum oportet bonis terrenis, & ſibimet ipſi renuntiaſſe ad hoc, ut quis fiduciam habeat ſibi, ut ita dicam, appropriandi Chriſtum JESUM, ejus amorem, mortem, & myſteria, ut fecit Sanctus Paulus dicens: Qui dilexit me, & tradidit ſemet ipſum pro me.*

XXXIV. *Gratia Adami non producebat, niſi merita humana.*

XXXV. *Gratia Adami eſt ſequela creationis, & erat debita naturæ ſanæ, & integræ.*

XXXVI. *Differentia eſſentialis inter gratiam Adami, & ſtatûs innocentiæ, ac gratiam Chriſtianam eſt: quód primam unuſquiſque in propriâ perſonâ recepiſſet; iſta veró non recipitur, niſi in perſona JESU Chriſti reſuſcitati, cui nos uniti ſumus.*

XXXVII. *Gratia Adami ſanctificando illum in ſemet ipſo, erat illi proportionata: gratia Chriſtiana, nos ſanctificando in JESU Chriſto, eſt Omnipotens, & digna Filio Dei.*

XXXVIII. *Peccator non eſt liber, niſi ad ma-*

lum, ſine gratia Liberatoris.

XXXIX. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum; ardoris, niſi ad ſe præcipitandum; virium, niſi ad ſe vulnerandum. Eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.*

XL. *Sine gratia nihil amare poßumus, niſi ad noſtram condemnationem.*

XLI. *Omnis cognitio Dei etiam naturalis, etiam in Philoſophis Etnicis, non poteſt venire, niſi á Deo, & ſine gratia non producit, niſi præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum loco affectuum, adorationis, gratitudinis, & amoris.*

XLII. *Sola gratia Chriſti reddit hominem aptum ad Sacrificium Fidei; ſine hoc nihil niſi impuritas, nihil niſi indignitas.*

XLIII. *Primus effectus gratiæ baptiſmalis eſt facere ut moriamur peccato; adeò ut ſpiritus, cor, ſenſus non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus Mundi.*

XLIV. *Non ſunt, niſi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes noſtræ naſcuntur; Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, & Amor, quo nos ipſos, ac Mundum diligimus; qui quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum ſit malus.*

XLV. *Amore Dei in corde peccatorum, non amplius regnante, neceſſe eſt ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat.*

XLVI. *Cupiditas, aut charitas uſum ſenſuum bonum, vel malum faciunt.*

XLVII.

XLVII. *Obedientia legis profluere debet ex fonte; & hic fons eſt charitas. Quando Dei amor eſt illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum eſt; quod apparet exterius; alioquin, non eſt, niſi hypocriſis, aut falſa juſtitia.*

XLVIII. *Quid aliud eſſe poſſumus, niſi tenebræ, niſi aberratio, & niſi peccatum ſine Fidei lumine, ſine Chriſto, & ſine charitate?*

XLIX. *Ut nullum peccatum eſt ſine amore noſtri, ita nullum eſt opus bonum ſine amore Dei.*

L. *Fruſtra clamamus ad Deum: Pater mi, ſi Spiritus charitatis non eſt ille, qui clamat.*

LI. *Fides juſtificat, quando operatur; ſed ipſa non operatur, niſi per charitatem*

LII. *Omnia alia ſalutis media continentur in Fide, tanquam in ſuo germine, & ſemine; ſed hæc Fides non eſt abſque amore, & fiducia.*

LIII. *Sola charitas Chriſtiano modo facit actiones Chriſtianas per relationem ad Deum, & JESUM Chriſtum*

LIV. *Sola Charitas eſt quæ Deo loquitur, eam ſolam Deus audit.*

LV. *Deus non coronat, niſi Charitatem, qui currit ex alio impulſu, & ex alio motivo, in vanum currit.*

LVI. *Deus non remunerat niſi Charitatem, quoniam Charitas ſola Deum honorat.*

LVII. *Totum deeſt peccatori, quando ei deeſt Spes; & non eſt Spes in Deo, ubi non eſt amor Dei.*

LVIII. *Nec Deus eſt, nec Religio, ubi non eſt Charitas.*

LIX. *Oratio impiorum eſt novum peccatum; & quod Deus illis concedit, eſt novum in eos judicium.*

LX. *Si ſolus ſupplicij timor animat pœnitentiam, quó hæc eſt magis violenta, eó magis ducit ad deſperationem.*

LXI. *Timor non niſi manum cohibet, cor autem, tandiu peccato addicitur, quandiu ab amore juſtitiæ non ducitur.*

LXII. *Qui à malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt reus coram Deo.*

LXIII. *Baptizatus adhuc eſt ſub lege ſicut Judæus, ſi legem non adimpleat, aut adimpleat ex ſolo timore.*

LXIV. *Sub maledicto legis nunquam fit bonum, quia peccatur ſive faciendo malum, ſive illud, non niſi ob timorem evitando.*

LXV. *Moyſes Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis mortui ſunt abſque eo quód ullum Deo dederint filium, cùm non effecerint, niſi mancipia per timorem.*

LXVI. *Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipſum venire, cum brutalibus paſſionibus, neque adduci per inſtinctum naturalem, aut per timorem, ſicuti beſtiæ, ſed per Fidem, & per amorem, ſicuti filij.*

LXVII. *Timor ſervilis non ſibi repræſentat Deum, niſi ut Dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem.*

LXVIII. *Dei bonitas abbreviavit viam ſalutis claudendo totum in Fide, & precibus.*

LXIX. *Fides, uſus, augmentum, & præmium Fidei totum eſt donum puræ liberalitatis Dei.*

LXX. *Nunquam Deus affligit innocentes, & afflictiones ſemper ſerviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.*

LXXI. *Homo ob ſui conſervationem poteſt ſe ſe diſpenſare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.*

LXXII. *Nota Eccleſiæ Chriſtianæ eſt, quód ſit Catholica, comprehendens, & omnes Angelos Cæli, & omnes electos, & juſtos terræ, & omnium ſeculorum.*

LXXIII. *Quid eſt Eccleſia, niſi cœtus Filiorum Dei manentium in ejus ſinu, adoptatorum in Chriſto, ſubſiſtentium in ejus perſoná, redemptorum ejus ſanguine, viventium ejus Spiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri ſeculi?*

LXXIV. *Eccleſia, ſive integer Chriſtus, Incarnatum Verbum, habet ut Caput; omnes veró Sanctos, ut membra.*

LXXV. *Eccleſia eſt unus ſolus homo compoſitus ex pluribus membris, quorum Chriſtus eſt Caput, vita, ſubſiſtentia, & perſona; Unus ſolus Chriſtus compoſitus ex pluribus Sanctis, quorum eſt Sanctificator.*

LXXVI. *Nihil ſpatioſius Eccleſiá Dei, quia omnes Electi, & Juſti omnium ſeculorum illam componunt.*

LXXVII. *Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, & membro Chriſti, ceſſat interius habere Deum pro Patre, & Chriſtum pro Capite.*

LXXVIII. *Separatur quis à Populo electo, cu-*

jus figura fuit Populus Judaicus, & caput eſt JESUS Chriſtus, tam non vivendo ſecundùm Evangelium, quàm non credendo Evangelio.

LXXIX. *Utile, & neceſſarium eſt omni tempore, omni loco, & omni perſonarum generi ſtudére, & cognoſcere ſpiritum, pietatem, & myſteria Sacræ Scripturæ.*

LXXX. *Lectio Sacræ Scripturæ eſt pro omnibus.*

LXXXI. *Obſcuritas ſancta Verbi Dei non eſt laicis ratio diſpenſandi ſe ipſos ab ejus lectione.*

LXXXII. *Dies Dominicus á Chriſtianis debet ſanctificari lectionibus pietatis, & ſuper omnia Sanctarum Scripturarum. Damnoſum eſt velle Chriſtianum ab hac lectione retrahere.*

LXXXIII. *Eſt illuſio ſibi perſuadere: quòd notitia Myſteriorum Religionis non debeat communicari fœminis lectione Sacrorum librorum. Non ex fœminarum ſimplicitate, ſed ex ſuperba virorum ſcientia ortus eſt Scripturarum abuſus, & natæ ſunt hæreſes.*

LXXXIV. *Abripere è Chriſtianorum manibus novum Teſtamentum, ſeu eis illud clauſum tenere, anferendo eis modum illud intelligendi, eſt illis Chriſti os obturare.*

LXXXV. *Interdicere Chriſtianis lectionem Sacræ Scripturæ, præſertim Evangelij, eſt interdicere uſum luminis filiis lucis, & facere ut patiantur ſpeciem quandam excommunicationis.*

LXXXVI. *Eripere ſimplici Populo hoc ſolatiū jungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ, eſt uſus contrarius praxi Apoſtolicæ, & intentioni Dei.*

LXXXVII. *Modus plenus ſapientiâ, lumine, & charitate eſt dare Animabus tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati, petendi ſpiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minus ſatisfacere juſtitiæ Dei, antequam reconcilientur.*

LXXXVIII. *Ignoramus quid ſit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus ſtatim reſtitui poſſeſſioni bonorum illorum, quibus nos peccatum ſpoliavit.*

LXXXIX. *Quartus decimus gradus converſionis peccatoris eſt, quòd, cùm ſit jam reconciliatus, habet jus aſſiſtendi Sacrificio Eccleſiæ.*

XC. *Eccleſia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Paſtores, de conſenſu ſaltem præſumpto, totius Corporis.*

XCI. *Excommunicationis injuſtæ metus nunquã debet nos impedire ab implendo debito noſtro. Nunquam eximus ab Eccleſiá, etiam quando hominum nequitià videmur ab ea expulſi, quando Deo JESU Chriſto, atque Eccleſiæ per charitatem affixi ſumus.*

XCII. *Pati potiùs in pace excommunicationem, & anathema injuſtum, quàm prodere veritatem, eſt imitari Sanctum Paulum; tantum abeſt, ut ſit erigere ſe contrá authoritatem, aut ſcindere unitatem.*

XCIII. *JESUS quandoque ſanat vulnera, quæ præceps primorum Paſtorum feſtinatio infligit ſine ipſius mandato. JESUS reſtituit quod ipſi inconſiderato zelo reſcindunt.*

XCIV. *Nihil peiorem de Eccleſiá opinionem ingerit ejus inimicis, quám videre illic dominatum exerceri ſupra fidem Fidelium, & foveri diviſiones propter*

res,

res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.

XCV. *Veritates eô devenerunt, ut ſint lingua quaſi peregrina pleriſque Chriſtianis, & modus eas prædicandi eſt veluti idioma incognitum; adeo remotus eſt à ſimplicitate Apoſtolorum, & ſupra communem captum Fidelium; neque ſatis advertitur quòd hic defectus ſit unum ex ſignis maximè ſenſibilibus ſenectutis Eccleſiæ, & iræ Dei in filios ſuos.*

XCVI. *Deus permittit ut omnes Poteſtates ſint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non poſſit, niſi Divinæ Gratiæ.*

XCVII. *Nimis ſæpe contingit membra illa, quæ magis ſanctè, ac magis ſtrictè unita Eccleſiæ ſunt, reſpici, atque tractari, tanquam indigna, ut ſint in Eccleſiá, vel tanquam ab eá ſeparata; ſed Juſtus ex Fide vivit, & non ex opinione hominum.*

XCVIII. *Status perſecutionis, & pœnarum, quas quis tolerat tanqum hæreticus, flagitioſus, & impius, ultima plerumque probatio eſt, & maximè meritoria utpote quæ facit hominem magis conformem JESU Chriſto.*

XCIX. *Pervicacia, præventio, obſtinatio in nolendo, aut aliquid examinare, aut agnoſcere ſe fuiſſe deceptum, mutat quotidie quoad multos in odorem mortis, id, quod Deus in ſuá Eccleſiá poſuit, ut in eà eſſet odor vitæ, v. g. bonos libros, inſtructiones, ſancta exempla, &c.*

C. *Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, perſequendo veritatem, ejuſque Diſcipulos. Tempus hoc advenit............ Haberi, & tractari à Religio-*

nis

nis Miniſtris, tanquam impium, & indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in ſocietate Sanctorum, eſt hominibus piis morte corporis mors terribilior. Fruſtra quis ſibi blanditur de ſuarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis, perſequendo flammâ, ferroque viros probos, ſi propria paſſione eſt excæcatus, aut abreptus alienâ, propterea quòd nihil vult examinare. Frequenter credimus ſacrificare Deo impium, & ſacrificamus Diabolo Dei ſervum.

CI. *Nihil Spiritui Dei, & Doctrinæ JESU Chriſti magis opponitur, quàm communia facere juramenta in Eccleſia, quia hoc eſt multiplicare occaſiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis, & efficere ut nomen, & veritas Dei aliquando deſerviant conſilio impiorum.*

VI. Auditis itaque tum voce, tum ſcripto Nobis exhibitis præfatorum Cardinalium, aliorumque Theologorum ſuffragiis, Divinique in primis luminis, privatis ad eum finem, publiciſque etiam indictis precibus, implorato præſidio: omnes, & ſingulas Propoſitiones preinſertas, tanqum falſas, & captioſas, male ſonantes, piarum aurium offenſivas, ſcandaloſas, pernicioſas, temerarias, Eccleſiæ, & ejus praxi injurioſas, neque in Eccleſiam ſolum, ſed etiam in Poteſtates ſeculi contumelioſas, ſeditioſas, impias, blaſphemas, ſuſpectas de hæreſi, ac hæreſim ipſam ſapientes, necnon hæreticis, & hæreſibus, ac etiam Schimati

ti faventes, erroneas, hæreſi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam hæreticas, variaſque hæreſes, & potiſſimùm illas, quæ in famoſis Janſenij Propoſitionibus, & quidem in eo ſenſu, in quo hæ damnatæ fuerunt, acceptis, continentur, manifeſtè innovantes, reſpectivé, hác noſtrá perpetuò valiturá conſtitutione declaramus, damnamus, & reprobamus.

VII. Mandantes omnibus utriûſque ſexûs Chriſti fidelibus, nè de dictis Propoſitionibus ſentire, docere, prædicare aliter præſumant, quàm in hác eádem Noſtrá Conſtitutione continetur; itá ut quicunque illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis etiam diſputativé, publicé, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, Eccleſiaſticis cenſuris, aliiſque contra ſimilia perpetrantes à Jure ſtatutis pœnis ipſo facto abſque aliá declaratione ſubjaceat.

VIII. Cæterùm per expreſſam præfatarum Propoſitionum reprobationem, alia in eodem libro contenta, nullatenus approbare intendimus; cùm præſertim in decurſu examinis complures alias in eo deprehenderimus Propoſitiones illis, quæ, ut ſuprà, damnatæ fuerunt, conſimiles, & affines, iiſdemque erroribus imbutas; nec ſanè paucas, ſub imaginario quodam, veluti graſſantis hodie perſecutionis obtentu,

inobe-

inobedientiam, & pervicaciam nutrientes, eaſque falſo Chtiſtianæ patientiæ nomine prędicantes: quas propterea ſingulatim recenſere, & nimis longum eſſe duximus, & minimè neceſſarium; ac demum, quod intolerabilius eſt, Sacrum ipſum Novi Teſtamenti Textum damnabiliter vitiatum compererimus, & alteri dudum reprobatæ Verſioni Gallicæ Montenſi in multis conformem, à vulgatà veró editione, quæ tot ſeculorum uſu in Eccleſia probata eſt, atque ab Orthodoxis omnibus pro authenticà haberi debet, multipliciter diſcrepantem, & aberrantem; plurieſqne in alienos, exoticos, ac ſæpe noxios ſenſus non ſiné maximá perverſitate detortum.

IX. Eundem propterea librum, utpote per dulces ſermones, & benedictiones, ut Apoſtolus loquitur, hoc eſt ſub falſá piæ inſtitutionis imaginè, ſeducendis innocentium cordibus longe accommodatum, ſive præmiſſis, ſive alio quovis titulo inſcriptum, ubicunque, & quocunque alio idiomate, ſeu quávis editione, aut verſione hactenus impreſſum, aut in poſterum (quod abſit) imprimendum, auctoritate Apoſtolicá tenore præſentium iterum prohibemus, ac ſimiliter damnamus; quemadmodum etiam alios omnes, & ſingulos in ejus defenſionem, tam ſcripto, quàm typis editos, ſeu forſan [quod Deus avertat] edendos libros, ſeu libellos, eorumque lectionem, deſcriptio-

nem, retentionem, & uſum omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus ſub pœna excommunicationis per contra facientes ipſo facto incurrenda, prohibemus pariter, & interdicimus.

X. Præcipimus inſuper venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis; necnon hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, ut contradictores, & rebelles quoſcunque per cenſuras, & pœnas præfatas, aliaque Juris, & facti remedia, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, brachii ſecularis auxilio, omnino coerceant, & compellant.

XI. Volumus autē, ut earundem præſentiū tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſticà cōſtitutæ munitis, eadem fides prorſus adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

XII. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis, & interdictionis infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo decimo tertio, ſex-

to

to Idus Septembris, Pontificatûs noſtri anno decimotertio.

J. Card. Prodatarius.

Fr. Oliverius.

Viſa de Curia. L. Sergardus.

Loco ✠ Plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

L. Martinetus.

Anno à Nativitate Domini Noſtri JESU Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo decimo tertio, Indictione ſextâ die verò decima Septembris, Pontificatûs Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Clementis, Divinâ Providentià Papæ XI. anno decimo tertio, ſupradictæ Literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad Valvas Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis, per me Petrum Romulatium, Apoſtolicum Curſorem.

Antonius Placentinus Magiſter Curſorum.

§.

Exponitur quomodo ſint intelligendæ, & applicandæ Cenſuræ, quibus in ſuprà relatà Conſtitutione feriuntur damnatæ illæ CI. Propoſitiones.

1 IN hac Bullà, ſi attenté legatur, duo cenſurarum genera invenientur; quarum unâ ſunt fulguriti quotquot præſenti Sanctitatis ſuæ Conſtitutioni reſtiterint. Aliâ verò ipſæmet propoſitiones feriuntur: unde breviùs; prima contra perſonas rebelles, atque contradicentes eſt, ut patet ex ſuprà ſcriptis *num. VII.* Secunda verò cenſura, ſive nota in ipſas propoſitiones eſt; eas ſcilicet damnans atque rejiciens, prout videtur *num. VI.* ac etiam *num. IX.* ubi expreſſiùs, non tantùm propoſitiones damnantur, quantum liber ille, à quo ipſæ fuerunt excerptæ, condemnatur, atque prohibetur.

Cenſuræ, & pœnæ, quæ in præcedenti Conſtitutione reperiuntur.

2 Igitur per cenſuras primi generis adverſús fautores, ac defenſores præfatarum propoſitionum, omnes qui his damnatis propoſitionibus adhærere, ac ſubſcribere non pertimeſcunt, excommunicationis pœnam ipſo facto incurrunt, ut patet ex Bulla num. VII. Præterea admittentes aliquam propoſitionem ex his, quæ in propoſita Bulla hæreticæ fuerint inventæ, incidunt in excommunicationem Bullæ Cœnæ *can.* 1. quæ etiam excommunicationis ſententia in ipſo jure Canonico ſæpiùs comperitur *cap. Ad abolendam, cap. Excommunicamus* 1. & 2. *tit. in Decret. & in* 6.

3 Deinde abſque alia declaratione ſubjacent ipſo facto, videlicet ex contumacia, & inobedientia, aliis pænis à Jure ſtatutis contra ſimilia perpetrantes, ut dicitur *num. VII.* hujus Conſtitutionis. Quænam autem ſint iſtæ pœnæ incurrendæ? Vide Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. Sanctarel *de hær, cap.* 18. noſtrum Sayr. Mol. Dian. variis in locis, neque enim hoc pertinet ad noſtrum inſtitutum pro præſenti loco.

4 Propriùs ergo inveſtigandum ſumo qualiter accipienda ſit unaquæque ex notis ſive cenſuris, quibus damnantur relatæ propoſitiones? Declarantur enim illæ centum, & una propoſitiones, omnes, & ſingulæ, tanquam falſæ, captioſæ, malè ſonantes, piarum aurium offenſivæ, ſcandaloſæ, perni-

pernicioſæ, ac temerariæ. Reprobantur in ſuper, ut Eccleſiæ, & ejus praxi injurioſæ, & in ſæculares Poteſtates etiam contumelioſæ. Tādem pro ſeditioſis, impiis, blaſphemis, ſuſpectis de hæreſi, hæreſim ſapientibus, hæreticis, & hæreſibus, & ſchiſmati faventibus, erroneis, hæreſi proximis, pluriès damnatis, ac demum etiam hæreticis: Quod manifeſtum eſt ex *num. VI.* hujus Bullæ.

5 Ad reſolutionem; Dico ex doctina Ocham. 1. *part. Dialog. Lib.* 2. Covarrub. *Lib.* 3. *variar.* Torrenſ. *de Trinit.* Magni Suar. de *Fid. diſp.* 19. Eximij noſtri Caramuel. in ſuo *Hercul. Logic,* itemque ex quæ docent Turrecrem. Caſtr. Malder. Cano, Turrian. & alij. Illa propoſitio dicitur falſa, quæ ſuo objecto eſt difformis, ſicuti illa eſt vera propoſitio, quæ objecto ſuo conformis eſt; ſiquidem, ab eo quòd res eſt, vel non eſt, propoſitio evadit vera, aut falſa, ut ſumitur ex Ariſtot. variis in locis. Tunc autem propoſitio ſuo objecto conformari dicitur, ſi illud ut in ſe eſt repræſentet, ſi verò aliter, quàm eſt in ſe, illud repræſentet, difformari dicitur. Ideo enim eſt vera iſta propoſitio: dantur tres Perſonæ Trinitatis, eſt enim ſuo objecto conformis, illud ut in ſe eſt repræſentans. Falſa verò eſt hæc alia: in Chriſto Domino dantur duæ Perſonæ, Divina ſcilicet, & humana: eſt enim ſuo objecto difformis, non enim illud repræſentat, prout eſt in ſe, in veritate objectivà. Propoſitio captioſa (hæc enim eſt alia cenſura, quâ reprobantur propoſitiones, de quibus in præſenti nobis agendum eſt) propoſitio, inquam, captioſa illa dici ſolet, quæ eſt plena dolo; atque ad decipiendum inventa; de quibus Gell. inquit: *non eſſe captioſis quæſtionibus reſpondendum.* Quòd verò hæc ſit propria captioſæ propoſitionis intelligentia, ſatis liquet ex ipſamet termini iſtius ſignificatione, quæ ad propriam intelligentiam non parùm videtur conducere; cùm enim agitur de aliquarum cenſurarum interpretatione, quibus annotantur propoſitiones, de nominum tantùm ſignificatione diſputatur, ut inquit noſter citatus Caramuel.

Quænam ſit propoſitio falſa.

Quænam propoſitio dicatur captioſa.

6 Dicuntur etiam præfatæ illæ propoſitiones & malè ſonantes, & piarum aurium offenſivæ. Quæ quidem notæ inter ſe coincidere non dubito; dicuntur enim ad convertentiam; omnis nanque propoſitio malè ſonans, etiam piarum aurium

 offen-

Propoſitionis maleſonantis, & piarum aurium offenſivæ intelligentia.

offenſiva eſt; ſimiliter propoſitio, quæ pias aures offendit, malè ſonare dicitur. Iſtiuſmodi ſunt quamplures propoſitiones æquivocæ, quæ in uno ſenſu ſunt veræ, & debent admitti; in alio verò ſenſu rejiciendæ ſunt, utpote hæreticæ. Exemplum habetur in iſtâ propoſitione: *Noſtris operibus juſtificamur*, quæ poteſt reddere duplicem ſenſum, Catholicum, & hæreticum. Si enim ſenſus illius ſit nos mereri juſtificationem, eamve accipere noſtris operibus, falſa, & hæretica erit procul dubio; ait enim Apoſtolus *ad Roman.* 3.24. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius*: Et infrà: *Arbitramur juſtificari hominem per Fidem ſine operibus legis. Et ad Epheſ.* 2. 8. *Gratiâ ſalvati eſtis per Fidem, non ex operibus.* Si autem ſenſus præjactæ propoſitionis ſit, nos ex operibus bonis factis ex gratia, ampliorem gratiam juſtificantem mereri, Catholicus ſenſus erit; fatemur enim cum Apoſtolo ſecundam juſtificationem, id eſt, augmentum gratiæ, conferri nobis à Deo propter bona opera, quibus id meremur; unde *Jacob.* 2. 24. *Videtis quoniam ex operibus juſtificatur homo*; & ſolùm negamus primam juſtificationem eſſe ex noſtris meritis. Quod utrunque inſinuaſſe videtur Div. Thom. 1. 2. *q.* 114. *a* 5. *Nullus poteſt ſibi mereri primam gratiam.* Hîc notandum eſt quòd, ſi ex duplici ſenſu propoſitionis, alicujus primarius ſit hæreticus, & ſecundarius ſit Catholicus, talis propoſitio non dicetur pias tantùm aures, ſed qualeſcunque offendere. Aliter verò. Si primarius ſenſus Orthodoxus, ſecundarius autem ſit hæreticus, dicitur propoſitio piarum tantùm aurium offenſiva. Hinc deduces propoſitionem illam ad exemplum ſuprà adductum indifferenter prolatam, quatenus ex antecedentibus, aut conſequentibus ſciri nequeat, uter ſenſus intendatur à proferente, piarum aurium offenſivam eſſe, ac malè ſonantem: graviore autem cenſurâ dignam eſſe, & pro hæreticâ judicandam, ſi ab aliquo, Pelagianum ſapiente, proferatur.

Qualis nam ſit ſcandaloſa propoſitio.

7 Propoſitio ſcandaloſa (tales enim ſunt aliquot ex damnatis in præfatâ Conſtitutione) illa eſt, quæ cum maximo ſcandalo aliquid affirmat, aut negat contra commune judicium Eccleſiæ aliter tenentis, & recipientis, cùm tamen hoc ipſum non ſit de Fide, imò neque ad ipſam poſſit pertinere. Tales ſunt quamplures in materiis moralibus propoſitiones, quæ perinde

rinde à Sanctâ Sede Apoſtolicâ damnatione merito feriuntur, tanquam communi Doctorum judicio, & Eccleſiæ acceptioni contrariæ, conſequenterque ſcandaloſæ. Et quia præ oculis forte habeo propoſitiones illas, quas felicis recordationis Alexander VII. Summus Pontifex damnavit, ex eis aliquas in exemplum adduco. *Peccata in confeſſione omiſſa, ſeu oblita, ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti confeſſione exprimere.* Item: *Qui facit confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.* Has propoſitiones, ad mores potiùs, quàm ad Fidem pertinere planum eſt; opponi inſuper communi Eccleſiæ doctrinæ, non eſt minus evidens: unde quis ſanæ mentis negare poterit maximum ex illarum approbatione, & prolatione ſcandalum exoriri?

8 Pernicioſæ inſuper, ac temerariæ judicantur memoratæ propoſitiones. In cujus captum ſciendum eſt: illam propoſitionem eſſe, ac dici pernicioſam, quæ in perniciem colliminat, tum temporalem, tum ſpiritualem. Quæ utraque pernicies reperitur non ſolùm ſeorſim, ac disjunctivè in aliquibus propoſitionibus, verùm etiam conjunctim in unâ tantùm, ut patet in audaci illa propoſitione aliquorum in Gallia aſſerentium. *Romanos Pontifices ſucceſſores Alexandri VII. fautores extitiſſe cauſæ Janſenianæ*, unde adderent ad obſervantiam Apoſtolicarum Conſtitutionem ſufficere exteriùs jurare, & ore tenùs defendere, quæ præcipiebant, ac definiebant; interius tamen, & in corde liberum cuique eſſe ſentire ut vellet. Ex quibus pernicies non parum deploranda animis ingerebatur, nulla enim obedientia præſtaretur eo eventu Romano Pontifici niſi ficta, & falſa, & qui hominibus viderentur Summo Pontifici obedire, eſſent coram Deo Apoſtolicarum conſtitutionum tranſgreſſores. Ecce ſpiritualis pernicies. Neque temporalis in eodem deliramento poſſet latere, occaſſionem præbente ad diviſiones, diſcordias, nec minus ad bonorum jacturam, iis omnibus, qui tanquam Apoſtolicæ Conſtitutionis violatores deprehenderentur. Propoſitio temeraria nuncupatur illa, in qua aliquid ſtatuitur contra doctrinam receptam, & approbatam; cùm tamen ad ipſam propoſitionem ſtatuendam fundamentum aut nullum, aut valdè leve reperiatur. Exemplum eſt in ſequenti propoſitione damnatâ tanquam temeraria ab

Pernicioſa, & temeraria propoſitio quænam dicatur

Ale-

Alexandro VII. in Congregatione Romanæ Inquiſitionis die 30. Januarij anno 1659. *Concilium Tridentinum non obligat Regulares in Galliâ ad obtinendas approbationes ab Epiſcopis, ut Sæcularium confeſſiones audire poſſint; neque ex illius Concilij authoritate privilegia Regularium reſtringi poſſunt, cùm in Galliâ receptum non ſit, neque etiam Bulla Pij IV. pro conformatione illius Concilij promulgata.* Quæ quidem propoſitio meritò pro temerariâ judicatur, nullo enim, aut leviſſimo fundamento communem Doctrinam deſerens, novam in re graviſſimâ ingerit ſententiam.

9 Jam ad ſequentes illas notas, quas iiſdem propoſitionibus Sanctæ Romanæ Sedis Judicium irrefragabile infligit his verbis: *Eccleſiæ, & ejus praxi injurioſas, neque in Eccleſiam ſolùm, ſed etiam in Poteſtates Sæculi contumelioſas, ſeditioſas, impias, blaſphemas.* Quibus, ut vides, injurioſæ dicuntur iniquæ illæ propoſitiones: quapropter dicendum venit, qualis ſit propoſitio injurioſa, atque contumelioſa; utrumque enim in idem tendere ſatis apertũ eſt, etiam juxta utriuſque cẽſuræ etymon.

Qualis propoſitio cenſeatur contumelioſa, ſive injurioſa?

10 Dico igitur illam propoſitionem injurioſam, & contumelioſam dici, quæ aliquam injuriam, ſive contumeliam in proximum continet; injuria enim eſt actio contra proximum: contumelia verò aſſertio, quâ quis malum culpæ injurioſè in proximum coram profert, ut cum communi docet Caetanus. Hinc facili, aut nullo negotio ſtatues; propoſitionem blaſphemam eam eſſe, quæ injuriam in Divina impingit, & honorem Deo debitum ſubſtrahit, ut patet ex *Matth.* 12. *Marc.* 3. *& Luc.* 12. Unde Auguſtinus *de Morib. Manichæ. cap.* 11. inquit, *Blaſphemiam non dici, niſi cùm quis mala verba de Deo dicit.* Noſter Caramuel: ſuprà citatus *num.* 5. propoſitionem contumelioſam dividit in injurioſam, ſeditioſam, & blaſphemam; injurioſam illam dicit, quæ aliquid contra privatam perſonam aſſerit: ſeditioſam, quæ contra publicam, aut communitatem; qui enim aut non eſſe obediendum Cæſari aſſereret, aut ſubſidia ſolvenda eſſe negaret peccaret (inquit) in Rempublicam ipſam, poſſetque ut ſeditioſus caſtigari. Blaſphemam denique illam dicit, quæ contra Divinam Perſonam contumelias profert.

Propoſitio blaſphema.

11 Primum, & tertium placet; ſecundum autem nequit non diſplicêre. Ut enim aliqua propoſitio dicatur ſeditioſa,

ſat

ſat eſt quòd ſeditionem concitet, atque commoveat; & ſi nullam proferat contumeliam docet enim Cicero: *Lib. 6. de Republ. Seditionis propietatem à diſceſſione Civium dictam eſſe, quòd ſecrſim eant alij ad alium: eſt enim propriè, cùm populo diſcordante, itur ad maius.* Una tantùm explicanda ad hunc locum ſupereſt impia, propoſitio: Quæ propriè, & in rigore illa intelligitur, quæ ſcelerata, & nefaria, ut cùm quis Deo, patriâ, & parentibus male meretur, aut verò de iis, qui parentum loco ſunt: ut paret, ex Cicer. 5. *Tuſcul. Vituperare quiſquam, inquam, vitæ parentem, & hoc parricidio ſe inquinare audet, & tam impiè ingratus eſſe.* Idem 2 *de naturâ: non ſolùm indoctè, ſed etiam impie facit, ſi Deos eſſe neget.* Mart. *in l.* his verbis. §. 1. *de hær. inſt. Filius meus impiiſſimus, malè de me meritus.* Quibus omnibus attentè perſpectis, ex primis Ciceronis verbis colliges nequitiam propoſitionis, & impietatem, ſi in parentes conſpiret, aut etiam in Deum, ut patet ex aliis ipſius verbis adductis. Unde colligitur idem eſſe ſentiendum de propoſitione contra patriam, & eos, qui ſunt loco parentum, impiè prolatâ.

Qualis propoſitio dicatur impia.

12 Adhuc explicandæ remanent ſeveriores aliæ notæ, & cenſuræ, quibus ultimò feriuntur deteſtabiles illæ propoſitiones à Sancta Sede Apoſtolica noviter damnatæ: videlicet ſuſpectæ de hæreſi, ac hæreſim ipſam ſapientes. Nec non hæreticis, & hæreſibus, ac etiam ſchiſmati faventes. Hæreſi proximæ pluries damnatæ; ac demum hæreticæ, variaſque hæreſes, ac potiſſimùm illas, quæ in famoſis Janſenii propoſitionibus damnatæ fuerunt, innovantes. Sint igitur ſequentes aſſertiones pro uniuſcujuſque explicatu.

13 Propoſitio, quæ ſuſpecta de hæreſi dicitur, non parum affinitatis habet cùm illis propoſitionibus, quæ male ſonantes, & piarum aurium offenſivæ judicantur, de quibus ſuprà *num.* 6. egimus. Siquidem etiam propoſitio, quæ ſuſpecta dicitur de hæreſi, malè ſonat, & pias aures offendit, quod nemo dubitat. Specialiùs tamen id invenitur in ſuſpectâ de hæreſi propoſitione, quòd ſit quædam enuntiatio æquivoca, quæ virtualiter ſaltem ſenſum hæreticum præ ſe ferat cum animo inſinuandi illum: unde facilè creditur non ſolùm poſſe illam propoſitionem hæreticè exponi, verùm etiam hoc ipſum à proferente intendi, in quo tantùm à male ſonante, & piarum

Propoſitio ſuſpecta de hæreſi.

aurium

aurium offenſiva propoſitione diſcriminatur. Hoc autem exemplificari poteſt, ſi quempiam Lutheranæ religionis Sectatorem ſupponamus aientem: *Chriſtus eſt in Cælo æquè ſimul, & in Hoſtiâ conſecratâ.* Eſt æquivoca propoſitio. Catholici id credimus, id fatemur; docemur enim in Sanctiſſimo Euchariſtiæ convivio Chriſtum eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter, ſicuti in Cælo eſt per converſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & vini in Sanguinem; unde converſionem hanc Tranſubſtantiationem appellamus. Lutherani verò, & ſi nobiſcum aſſerant Chriſtum eſſe in Euchariſtiâ, panis deſitionem negant, imò illius conſervationem protervè defendunt, addentes Chriſtum eſſe in hoc Sacramento per quandam veluti immenſam exiſtentiam, quâ ſimul ubique eſt in Cælo, in terrâ, in Sacramento, & reliquis: unde Ubiquſtæ, ſive Ubiquetarij ſunt dicti; & in eodem ſenſu docent Chriſtum in Cælo eſſe, & in Euchariſtiâ, & ita intelligi curant in adductâ ad exemplum propoſitione.

Lutheranorum error circa Euchariſtiam.

14 Hæreſim ſapiens propoſitio à non paucis, neque indoctis viris confunditur cum ſuſpectâ de hæreſi propoſitione, ut videri eſt apud Suar. *opere de tribus virtutibus diſp.* 19 *ſect.* 2. *n.* 16. Alij eandem à maleſonante indiſtinguunt, prout tradit ipſe citatus Suar. *num.* 17. Subſcribo tamen Caramuelio in *Hercul. Log. Labore* 3. *part. ulterior. art.* 5. Ad cujus mentem clariſſimam propoſitio ſapiens hæreſim illa erit, quæ alicui veritati opponitur, non quidem fide certæ, ac definitæ expreſſè; attamen ab univerſa Eccleſiâ receptæ, tanquam ſi foret definita. Et ratio iſtiuſmodi expoſitionis eſt: quia, ſicut Fidem ſaperet illa propoſitio, quæ licèt ab Eccleſiâ non eſſet definita expreſſè, eſſet veluti de Fide ab Eccleſiâ recepta, ita ſimiliter quæ huic ex diametro opponatur, ſapiens hæreſim rectè, & conſequenter dicenda erit.

Propoſitio hæreſim ſapiens.

15 Né autem propoſitionis hæreſim ſapientis ita expoſitæ exempla exulare videantur, ſequens adduco. Certiſſimum eſt, non poſſe errare Summum Pontificem in Beatificatione Sanctorum. Ita quòd, contrarium aſſerere, ſcandaloſum, temerarium, & impium ſit, ut docent Turrian. 2.2.*d.*17.*dub.*2. Caſtro Palaus *tom.*1.*tract.*4.*diſp.*5.*punct.*5. Megal. *v.* Canonizatio, *num.* 1. Arriag. 2.2.*tom.*6.*diſp.*9.*ſect.*6. Amicus *tom.*5.*diſp*

7.*ſect.*

*7.ſect.4.num.*99. & eſt communis omnium Theologorum ſententia. An verò præfixa Concluſio ſit de Fide, ac definita? Variant Aucthores, quidam enim cum Turrian. Caſtro Pal. & Megal.citatis;quibus accedunt Angel. Rocca de *Canonizat.c* 38. Contilorius *de Canonizat. cap.*2.*num.*4. Lezan.*in Conſult.*1.*num.*50. Peña, Tuſio, Baldellus, & alij acriter defendunt noſtram in exemplum propoſitionem eſſe de fide. E contrà verò, negant veritatem illam eſſe de fide Amic. Joan. de S. Thom. 2.2. *diſp.*9.*art.*2. Arriag. *tom.*5.*de Fide Spe, &c. diſp.*9 *ſect.*6. Dian. *tom.*12.*tract.*2.*reſol.*19. & alij. En propoſitio certiſſima, quæ licèt non ſit de fide, prout judicatur ab AA.adductis pro hac ultima ſententia, eſt tamen veluti de fide ab omnibus recepta, ita quòd nec unus id ipſum negare videatur. Temeraria aliqua propoſitio, quæ hanc receptiſſimam veritatem negaret, aſſerens Summum Pontificem poſſe decipi, aut decipere in alicujus Beatificatione, rectè juxta Caramuel diceretur ſapiens hæreſim, quia deſtrueret propoſitionem Fidem ſapientem; hoc eſt non de fide expreſſé definitam; receptam verò pro definità expreſſé.

16. Propoſitiones hæreticis, & hæreſibus, ac etiam ſchiſmati faventes quænam appellentur, ex ipſis terminis liquet, neque in eis exponendis reperitur aliqua difficultas, quæ ullà explicatione careat. Conſtat enim eas propoſitiones, quæ aliquam doctrinam involvunt, unde poſſit extrahi confirmatio, quà hæretici hæreſes ſuas valeant amplius roborare, eaſdem rectè dici hæreticis, & hæreſibus faventes. Schiſma, ſeparatio eſt ab Eccleſiæ unitate, juxta Caetan. *in Summula verb. Schiſma.* propoſitio igitur, ex quà ſchiſma, hoc eſt, ſeparatio ab Eccleſià, aut oriri, aut orta ingraſſari poſſit, diceretur propoſitio ſchiſmati favens. Propoſitio Hæreticis, hæreſibus, aut Schiſmati favens.

17. Dicitur hæreſi proxima propoſitio illa, ex quà ſi admittatur, hæreſis infallibiliter infertur. Pro hujus faciliori captu ſequentem propoſitionem appono,quæ in ordine eſt 72. ex reprobatis ab Urbano VIII. die 6. Mart. anno 1641. jamdudum prædamnatis a S. Pio V. die 1. Octob. anno 1567. itemque a Gregor. XIII. die 29. Junij anno 1579. videlicet: *Motus pravi concupiſcentiæ ſunt pro ſtatu hominis vitiati prohibiti præcepto:* Non concupiſces. *Unde homo eos ſentiens, & non conſentiens, tranſ-* Propoſitio hæreſi proxima.

tranſgreditur præceptum. Non concupiſces. Ex hac propoſitione rectè infertur: Ergo homo in hac vita etiam cum auxilio gratiæ non poteſt obſervare omnia præcepta legis Divinæ; patet in hoc Syllogiſmo. Homo non poteſt obſervare præcepta, quæ ejus poteſtati, & libertati minimè ſubduntur: ſed motus prohibiti per illud præceptum: *Non concupiſces*, non ſubduntur poteſtati, & libertati hominis: ergo homo non poteſt obſervare illud præceptum, eos motus fugiendo, ſecluſo conſenſu. Rectè igitur præter alias cenſuras tanquam hæreſi proxima notatur illa propoſitio, ex ipſa enim in Calviniſmum itur: docebat enim impiiſſimus Calvinus totius legis Divinæ obſervantiam eſſe impoſſibilem.

Error calvini circa legis obſervantiam.

18 Hæreſis ſeu hæretica propoſitio: eſt aſſertum evidenter, atque directè oppoſitum Fidei Articulo. Eſt omnium ferè Doctorum, ſi Caramuelium excipias; docet enim hanc definitionem non hæreſi, ſed errori in Fide potiùs convenire: unde hæreſim dicit. Aſſertio, quam Deus revelavit eſſe falſam. Et nunquid utraque definitio non eadem? Quidquid Deus revelavit eſſe falſum, ſi verum eſſe aſſeratur, aſſertum erit evidenter, atque directè Fidei Articulo oppoſitum, & ſimiliter, quidquid eſt oppoſitum Articulo Fidei, neceſſariò creditur fuiſſe à Deo ut falſum revelatum. Patet in hac propoſitione: *Aliquis homo non eſt Deus*, deſignato Chriſto, quam in rigore non hæreſim eſſe nominandam, ſed errorem in Fide contendit Caram. Aſſentior ejus affirmationi, non enim dubito hanc ipſam propoſitionem errorem eſſe in Fide; verùm addo eam inſuper eſſe hæreticam; toties enim à Deo revelatum eſt eam eſſe falſam, quoties irrefragabilibus oraculis, prædicatum eſt, Chriſtum verum Deum eſſe. Exinde eſt quòd in Jure hæreſes nominantur errores in Fide, ſicuti è converſo, errores in Fide appellantur hæreſes, ut conſtat ex *cap.* Sed addendam §. Illum, & *cap.* Excommunicamus 2. §.ult. *de Hæretic.* & in *cap.* Accuſatus. §. 2. *de Hæret. in* 6. Neque noſtra longè abeſt à Doctrinà Caram: fatetur enim inter Hæreſim, & Errorem in Fide in foro externo dari parvam, aut nullam differentiam.

Propoſitio hæretica, ſeu hæreſis.

19 Ex his apertum etiam manet quid de erroneà propoſitione ſentiendum ſit, quam cum hæretica confundunt

Adrian.

Adrian. 1. *p. q.* 1. *de Confeſſ.* Torrenſ. de *Trinit. q.*32.*a* 4. Suar. & (quod ſuprà dixi) creditur eſſe omnium Doctorum. Manent igitur expoſitæ omnes cenſuræ, quibus centum & una illæ propoſitiones in Bulla *Unigenitus* feriuntur; quod autem in memorata Bulla dicitur; has ipſas propoſitiones fuiſſe pluries damnatas, & hæreſes potiſſimùm illas, quæ in famoſis Janſenij propoſitionibus damnatæ fuerunt; manifeſté innovare, nulla explicatione egent.

Quænam propoſitio dicatur erronea?

20 Igitur per ſequentia capita iſtius libri plené pro viribus oſtendemus propoſitionum illarum virus execrabile, & quàm merito ab Apoſtolica Sede cenſuræ ictu fulguriantur, unicuique propoſitioni notam ipſa dignam applicando. Neque enim omnibus, & ſingulis propoſitionibus, omnes, & ſingulæ cenſuræ aptari, aut convenire poſſunt: ſiquidem non omnes ſunt hæreticæ; non omnes blaſphemiam continent; nec tandem omnes in ſæculi Poteſtates contumelias proferunt. Unde, ut dicitur in eadem Bulla, damnantur, & reprobantur præfatæ propoſitiones tot notis, & cenſuris reſpectivé; quia, ut inquit Suar. *tom.* 1. *de Grat. Prolegom.* 6. *cap.* 2. ſuper cenſuram Pii V. & Gregor. XIII. in aliquas propoſitiones, partim naturæ, partim gratiæ, nimium tribuentium, aut detrahentium; particula *reſpectivè* ideo apponitur, quia non omnes partes cenſuræ in ſingulas aſſertiones cadunt, ſed cum proportione, & diſtributione. Né autem noſtra interpretandi ràtio aliena videri poſſit, â propria veritate cenſuræ propriam mentem apertiſſimé demonſtrat ipſemet Beatiſſimus Papa in literis adverſùs eos, qui ejuſdem Sanctitatis conſtitutioni *Unigenitus* debitam obedientiam præſtare recuſarunt, aut recuſaverint. In Bulla enim, quæ incipit *Paſtoralis Officij* Romæ expedita anno milleſimo ſeptingéteſimo decimo octavo, & Ulyſſipone occidentali nuper edita, inquit Summus Pontifex: *Plures noxios articulos ex eodem libro excerptos, cenſuris varijs, quas reſpectivè, ut aiunt, hoc eſt, ſinguli aliquam ſaltem earum merebantur, notatos pro hujus Sanctæ Sedis more proſcripſimus.*

Cenſuræ propoſitionũ *reſpectivè* aptantur.

Cõſtitutio *Paſtoralis Officij*, ad finem hujus libri apponitur.

21 Appoſita igitur conſtitutione *Unigenitus*; viſiſque in eadem venenatis propoſitionibus; notatis inſuper ipſarum cenſuris, prout in titulo hujus capitis promiſſum fuerat; nunc

fraudelentiam earundem propoſitionum,& cenſurarum æquitatem *reſpectivè* oſtendere incipiamus in defenſionem Puriſſimæ, & integerrimæ Doctrinæ Sanctæ Matris Eccleſiæ.

CAPUT II.

Exponitur ſenſus primæ ex damnatis propoſitionibus; ipſius venenum detegitur; & quànam cenſurâ digna ſit, oſtenditur.

PROPOSITIO I.

Quid aliud remanet Animæ, quæ Deum, & ipſius gratiam amiſit; niſi peccatum; & peccati conſequutiones, ſuperba paupertas, & ſegnis indigentia; hoc eſt, generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?

1 DAmnatarum propoſitionum ſenſum, ac fraudulentiam detegere difficile quidem eſt, illarum enim innovatores: *Magiſtri illi mendaces ſunt, & in deceptione illuſores,* (ut inquit Summus Pontifex in relata Bulla) *qui ſplendida pietatis ſpecie prava dogmata latenter inſinuantes, introducunt ſectas perditionis ſub imagine ſanctitatis; utque faciliùs incautis obrepant, quaſi deponentes lupinam pellem; ſe ſe Divinæ legis ſententiis, velut quibuſdam ovium velleribus obvolventes, Sanctarum Scripturarum, adeòque etiam ipſius novi Teſtamenti verbis, quæ multipliciter in ſuam, aliorumque perditionem depravant, nequiter abutuntur.* Unde Catholicæ Eccleſiæ Meridiana Lux Auguſtinus, tot Hæreticorum vehemens Profligator, *lib.* 2. *quæſt. Evang. c.* 40. inquit: *Nulla porrò falſa doctrina eſt, quæ non aliqua vera intermiſceat. Vera ergo falſis inordinatè permixta, in unà diſputatione, vel narratione hominis, tanquam in unius corporis colore apparentia.* Inde ergo quò magis veritatibus propoſitionum falſitas obnubilatur, eò magis inſcrutabilis fit. Cùm autem à S. RomanaSede ad maximum totíusEccleſiæ beneficium depravatæ doctrinæ fallacia, jam nobis indicata ſit, & noxia Zizaniorum ſemina e medio tritici, quo tegebantur, ſint educta, ea clariùs oſtendere in Domino ſatis confidimus.

2 Prima propoſitio, videlicet: *Quid aliud remanet animæ,*

quæ

quæ Deum, atque ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum, & peccati conſequutiones ſuperba paupertas, & ſegnis indigentia: hoc eſt generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum? Et eſt iſtiuſmodi propoſitionis ſenſus; quòd per peccati commiſſionem anima denudetur à cunctis bonis, & nil in ea remaneat: niſi peccatum: quod indicant priora illa verba: *Quid aliud remanet niſi peccatum?* Quòd ſi inferas: ergo neque fides remanet in peccatore, amiſſo per peccatum dono charitatis, & gratiæ; rectè concludis; neque aliud inſinuatur in ea, quam exponimus propoſitione. Et ne errandi in hoc ipſo nobis facultas tribuatur, id ipſum planè perhibetur ab Auctoribus relatarum propoſitionum; clariſſimè enim propoſitione 52. inquiunt: *Omnia alia ſalutis media continentur in Fide, tanquam in ſuo germine, & ſemine; ſed hæc Fides non eſt abſque amore, & fiducia.* Ubi notanda ſunt poſtrema illa verba: *Fides non eſt abſque amore*; maximè enim noſtram intelligentiam confirmant, quatenus ex primà, de qua agimus, propoſitione colligimus: animam à cunctis bonis ſpoliari, etiamque à Fide per amiſſionem gratiæ, ſive amoris Dei.

Senſus primæ propoſitionis.

Primus error hujus propoſitionis.

Fidem remanere in anima poſt peccatum negatur in hac propoſitione.

3 Et ne inconſequenter procedere iidem Auctores videantur, addunt: hominem per peccatum ſeparari ab Eccleſia tanquam ſi Judæus eſſet. Conſequenter quidem diſcurrunt: rectè enim infertur eſſe extra Eccleſiam omnes, qui per peccatum Fidem, amiſerunt. Unde propoſitione 8. dicitur: *Nos non pertinemus ad novum fœdus, niſi in quantum participes ſumus ipſius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.* Et propoſitione 63. id habetur: *Baptizatus adhuc eſt ſub lege, ſicut Judæus, ſi legem non adimpleat.* Idem colligitur ex 77. & 78. propoſitionibus: in quarum prima legimus: *Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, & membro Chriſti, ceſſat interiùs habere Deum pro patre, & Chriſtum pro capite.* In altera verò: *Separatur quis à populo electo, cujus figura fuit populus Judaicus, & caput eſt Jeſus Chriſtus, tam non vivendo ſecundùm Evangelium, quàm non credendo Evangelio.* Idem implicitè involvitur propoſitionibus 74. 75. & 76. in ipſis enim intra ſpatioſum Eccleſiæ gremium Juſti ſolummodo, non autem peccatores, agnoſcuntur.

4 Similiter præfata prima propoſitio, ſpe remanere nequit

Negatur etiam remanere ſpem in animâ ſine gratiâ.

in animâ poſt peccatum: tanquam ſi habitus ſpei cum peccato univerſim eſſet incomponibilis: aut neceſſariò connecterentur amiſſio gratiæ, & ſpei dimiſſio. Hoc indubitanter patet ex propoſitione 57. ubi: *Totum deeſt peccatori quando ei deeſt ſpes,& non eſt ſpes in Deo,ubi non eſt amor Dei.* Docet inſuper hæc propoſitio omnia opera peccatoris peccata eſſe; quod evidenter demõſtratur per illa verba: *Quid aliud remanet, niſi pecatũ,& peccati conſequutiones?* Quod eſt apertum ex ſequentibus propoſitionibus 38. *Peccator non eſt liber, niſi ad malum, ſine gratia liberatoris*; 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum: ardoris, niſi ad ſe præcipitandum: virium, niſi ad ſe vulnerandum; eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.* 40. *Sine gratiâ nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.* 41. *Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philoſophis Ethnicis, non poteſt venire niſi à Deo: & ſine gratiâ non producit niſi præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum; loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.* 42. *Sola gratia Chriſti reddit hominem aptum ad ſacrificium Fidei; ſine hoc nihil niſi impuritas, nihil niſi indignitas.* 45. *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, neceſſe eſt ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat.* 48. *Quid amplius eſſe poſſumus, niſi tenebræ, niſi aberratio, & niſi peccatum, ſine Fidei lumine, ſine Chriſto, & ſine charitate?* 49. *Ut nullum peccatum eſt ſine amore noſtri; ita nullum eſt opus bonum ſine amore Dei.* 59. *Oratio impiorum eſt novum peccatum, & quod Deus illis concedit, eſt novum in eos judicium.* Poſtremò contenditur in eadem propoſitione, dari in homine, poſt peccatum generalem quandam impotentiam ad omne opus bonum, quod non ſolùm clariſſimis verbis conſtat in ultimâ iſtius propoſitionis parte, ibi: *Generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum*; verùm inſuper ex ſuprà congeſtis propoſitionibus; & præcipuè ex 38. 39. 40. & 48. propoſitionibus.

Aſſeritur in hac propoſitione prima omnia opera peccatoris peccata eſſe.

Concluditur in eadem propoſitione dari in homine poſt peccatum generalem impotẽtiam ad omne opus bonum.

5 Colligitur ex dictis; præter alia abſurda, quæ ad aptiora loca reſervantur, duo præcipua ex hac primâ propoſitione oriri, veluti duo horrenda, & fugienda monſtra. *Primum* eſt: In anima per peccatum ſolùm remanere peccatum ipſum, & ipſius conſequutiones: *Secundum* eſt: animam per amiſſionem gratiæ inertem, & impotentem eſſe ad omne

Errores præcipui hujus propoſitionis.

opus

opus bonum; ſolùmque habere ad peccandum, & ad ſe vulnerandum vires. Utrumque errorem, & alios, qui inter diſputandum innoteſcent, per ſubſequentia capita confutabimus.

6 Quæres; quanam cenſuræ inuſtione debeat annotari præſens prima propoſitio? Reſolutio. In primis eam eſſe falſam minimè dubitandum cenſeo. Patet, quia veritati opponitur, ut ex dicendis conſtabit; & inſuper ex eo quòd ſit objecto ſuo difformis; unde falſa merito dicenda eſt, juxta ea quæ *num.* 5. diximus. Et præterquam quòd captioſa ſit, eſt enim plena dolo; & ad decipiendos Catholicorum animos ſub ſpecie virtutis inventa: eſt inſuper pernicioſa, temeraria, & impia. Probatur quòd ſit pernicioſa. Quia ex hac falſa doctrinâ facilè inducerentur homines poſt delictum commiſſum ad ceſſandum ab omni virtutum ſtudio, id attendentes, quòd in eis poſt peccatum nil aliud remaneat præter peccatum, & peccati conſequutiones. Imò à quocunque opere bono foret ipſis laudabiliter abſtinendum, né in peccatum ipſo facto inciderent. Et præſertim, ſemel admiſſa illa generali impotentiâ ad omne opus bonum, implicatorius redderetur conatus ad quodvis bonum; eſſet enim tendere in merum impoſſibile, ex impotentiâ ad illud: non minus quàm ſi aliquis, non obſtante impotentiâ ex parte naturæ, & ſenſûs, conaretur Deum videre intuitivè ſolis viribus naturæ abſque ſupernaturali adjumento, aut oculis corporeis Deum intueri. Has autem ſequelas in perniciem cedere nullus ſanæ mentis dubitabit; ac proinde neque illam propoſitionem, unde eas oriri conſpicimus, eſſe pernicioſam. Quòd temeraria ſit, probatur: quia in re maximi momenti, & ponderis in qua tot conſcientiæ illaqueari poſſunt, abſque digno fundamento procedit. Probatur denique quòd ſit impia: ex eo quòd ſcelerate, atque nefariè conſpirat contra Sanctam Matrem Eccleſiam, oppoſitum docentem; male ſentiendo de illo puriſſimo doctrinæ lacte, & pabulo, quo Sancta Catholicorum Mater ipſoſmet ejuſdem parvitatis aſſertores in præſenti, & uuiverſos alios filios ſuos per tot retro ſæcula nutrivit, & aluit.

Primæ propoſitionis cenſuræ.

7 Gravior dubitatio: Utrùm ſit heræſi proxima favens,

hæretica, aut pluries damnata? Reſpondeo aſſertivê quoad omnes partes. Probo evidéter quòd ſit hæreſi proxima hæc propoſitio, quæ in ordine prima eſt inter damnatas. Hæreſi proxima propoſitio illa eſt, quæ ſemel admiſſa, infallibiliter parat diſcurſum ad alias hæreticas propoſitiones; ſed ex hac prima propoſitione admiſſa quamplures pullulant planè hæreticæ, atque ut tales damnatæ: ergo hæreſi proxima eſt hæc propoſitio prima. Maior præfixi Syllogiſmi eſt ipſa hæreſi proximæ propoſitionis acceptio, ut dicitur præcedenti *cap. num.* 17. Si autem minor fiat certa, conſequentia rectè colligit in *Darii* tertio modo primæ figuræ. Probo igitur minorem evidenter. Ex hac primà propoſitione inferuntur quamplures illæ, quas ad præſens caput revocavimus *num.* 3. 4. tanquam ex prima propoſitione pullulantes; neque hoc fateri erubeſcunt adverſarij; atqui memoratæ propoſitiones ſunt hæreticæ: ergo ex hac primâ propoſitione damnata inſurgunt hæreticæ propoſitiones. Diſſidium in minori ſolummodo fortaſſe erit; quam tamen ut probem, quaſdam Michaelis Baij propoſitiones huc maximé ſpectantes revoco, videlicet.

Aliæ ejuſdem propoſitionis cenſuræ.

Propoſitiones Baii.

8 Propoſitio 16. *Non eſt vera legis obedientia, quæ fit ſine charitate.*

25 *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia.*

27 *Liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio non niſi ad peccandum valet.*

28 *Pelagianus eſt error dicere, quòd liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.*

34 *Omne, quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt.*

36 *Cum Pelagio ſentit qui boni aliquid naturalis, hoc eſt, quod ex naturæ ſolis viribus ortum ducit, agnoſcit.*

37 *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitioſa eſt cupiditas, quà Mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum Sanctum in corde diffuſà Deus amatur.*

39 *In omnibus ſuis actibus peccator inſervit dominanti cupiditati.*

62 *Non niſi Pelagiano errore admitti poteſt uſus aliquis liberi arbitrij bonus, ſive non malus, & gratiæ Chriſti injuriam facit qui ita ſentit, & docet.*

Has

9 Has propoſitiones, ſi ut decet examinemus, eas ejuſdem frumenti eſſe cum *num.* 3. 4. citatis propoſitionibus, ex primaque deductis, rectè inveniemus: in utriſque enim docetur, omnia peccatoris opera peccata eſſe; neque aliquid in ſe bonum oriri ab homine in peccato exiſtente, & gratiâ deſtituto. Atqui (ſubſumo nunc in probationem minoris illius poſtremi Syllogiſmi) atqui iſtæ nunc relatæ Baij propoſitiones ſunt hæreticæ: ergo & illæ, quarum ſenſus idem. Quòd autem iſtæ Michaelis Baij propoſitiones veré pro hæreticis habeantur, patet non tantùm ex Bullis Pij V. Gregorij XIII. & Urbani VIII. qui eas tanquam hæreticas (reſpectivé tamen) condemnarunt; verùm inſuper ex judicio Pariſienſis Academiæ, quæ communi Theologicæ facultatis calculo eas tanquam hæreſis veneno infectas rejicit. Cùm enim præfatus Baius, apud Lovanienſes, S. Theologiæ Profeſſor has (præter alias) tradidiſſet concluſiones, quas aliquorum zélo examinandas, & judicandas ab Academia Pariſienſi viſum eſt; poſt rem expenſam, hæreſeos inuſtione evaſerunt die 27. Junij, anno 1560. ut refert Dionyſius Pictavius *tom.* 3. *Theologicorum Dogmatum lib.* 5. Neque dicant adverſantes cenſuram hanc eſſe ſuppoſititiam; oppoſitum enim conſtat ex Stephano Decamps *lib.* 2. *de Hæreſ. Janſeniana cap.* 4. itemque ex alijs Auctoribus: præſertim verò ex ipſo Baio id planè atteſtante in quadam Epiſtola ad P. Antonium Sablonium Franciſcani Ordinis per Flandriam, tunc Provincialem.

10 Præterea inferebatur ex hac prima propoſitione damnata, in anima poſt peccatum neque Fidem remanere, neque ſpem, ſic enim procedit: *Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum?* Et hoc apertiùs confirmatur propoſitione 52. 57. ex damnatis, ut latiùs expendi *num.* 2. 4. hujus capitis: ſed iſtæ illationes ſunt hæreticæ: ergo propoſitio eas originans erit proxima hæreſi. Minor quàm facilé probari poteſt ex Concilio Tridentino aliter ſentiente, atque definiente: nam *Seſſ.* 6. *de Juſtificatione cap.* 15. Sic ſtatuitur: *Aſſerendum eſt, non modò infidelitate, per quam & ipſa Fides amittitur, ſed etiam quocunque alio mortali peccato, quanvis non amittatur Fides.* Ubi notanda ſunt illa verba: *Per quam & ipſa Fides amittitur*; itemque illa: *Quanvis non amittatur Fides.* Ex qui-

quibus evidenter patet Fidem per ſolam infidelitatem, neque per aliud peccatum amitti poſſe. Severiùs autem, & rigoroſiùs procedit Concilium citatū *Canone* 28. ibi: *Si quis dixerit, amiſſá per peccatum gratiá, ſimul & Fidem ſemper amitti, aut Fidem, quæ remanet, non eſſe veram Fidem, licèt non ſit viva; aut eum, qui Fidem ſine charitate habet, non eſſe Chriſtianum; anathema ſit.* De quo videri poteſt Covar. *in cap. Alma p.* 1. *in initio.* Neque de ſpe aliter eſſe ſentiendum rationis conformitas, & indiſparitas pro nunc ſatis oſtendit.

Aliæ tandem cenſuræ, eidem propoſitioni applicantur.

11 Hinc nullo negotio colligitur quantum hæreſibus, & hæreticis faveat hæc prima propoſitio. Neque aliquem latêre poteſt quantam ſchiſmati, defectionique ab Eccleſia præbeat occaſionem. Quòd præterea ſit etiam hæretica ex ſequentî capite demonſtrabitur; ubi etiam, an pluries damnata?

CAPUT III.

Defenditur doctrina Sanctæ Matris Eccleſiæ, damnantis hanc primam propoſitionem, & alias ipſi affines, quæ omnes impugnantur.

1 Falſa hujus propoſitionis doctrina, variis etiam ex damnatis, iterum repetitur; in id potiſſimùm tendens, quòd in Animà, quæ per peccatum, Divinam gratiam amiſit, nil amplius virtutis, aut boni remaneat; imò reperiatur in illa quædam generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum. Neque in alia abſurda progredi deſiſtens; libertatem, non niſi ad malum, agnoſcit in peccatore: unde omnia peccatoris opera peccata dicit; eò dementiæ veniens, ut orationem etiam impiorum novum peccatum afferat; & in eos novum judicium, quidquid Deus illis concedit. Hæc impia deliramenta, clariùs confutabimus, ſi per aliquot ſectiones ea diſtribuamus.

SEC-

SECTIO I.

Impugnatur, & rejicitur falſitas, quæ in prima iſtius propoſitionis parte continetur.

2 INterrogando aſſerit prima pars præfatæ propoſitionis nihil remanere in Anima, quæ Deum, & ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum. Quam aſſertionem corruere nullus dubitabit, ſi adhuc poſt amiſſam gratiam, permanere in Anima virtutes aliquas demonſtraverimus, peccato non oppoſitas, neque ejus coexiſtentiæ. Iſtiuſmodi ſunt, præter morales virtutes, Theologicæ illæ virtutes; una charitate dempta, peccato maximè oppoſita. Pro cujus pleniori ſcitu. Poſt peccatum conſervâtur in Anima plures virtutes morales, & Theologicæ.

3 Notandum eſt primò: virtutem in communi ſumptam eſſe qualitatem, aut habitum exiſtentem in rationali animo ad actus honeſtos, & bonos inclinantem. Notandum ſecundò: Hanc ita definitam virtutem adæquatè dividi ratione objecti, in Theologicam, & moralem. Theologicæ virtutis, hæc eſt definitio: *Habitus ſupernaturalis infuſus à Deo, quo creatura rationalis elevatur in Deum, in ipſum directè, & immediatè tendens.* Hujuſmodi autem ſunt tantùm tres, videlicet: Fides, Spes Charitas; quæ ad Deum nos dirigunt credendo, ſperando, diligendo. Virtus moralis ita bene deſcribitur: *Habitus inclinans ad honeſtè vivendum, & ad regulas morum conformiter.* Inter virtutes morales præcipuæ ſunt iſtæ: Prudentia, Fortitudo, Juſtitia, Temperantia: ad eas morales omnes virtutes reducunt *Authores*: qua propter Divus Gregorius Papa *Job.* 1.2. *Moral.* 27. eas comparat quatuor angulis domûs Job, quos ventus domũ everſurus concuſſit, ibi: *In quattor angulis domûs iſta ſubſiſtit, quia in his quatuor virtutibus tota boni operis ſtructura conſurgit.* D. Auguſtinus Ambroſium ſecutus, quatuor fluviis Paradyſi eaſdem virtutes comparat: *Nemo prohibet intelligi Paradyſum Vitam bonorum; & quatuor ejus flumina quatuor virtutes: Prudentiam, Fortitudinem, Temperantiam, & Juſtitiam.* Iſtæ virtutes, quas Morales nuncupavimus, Cardinales etiam appellari ſolent, præſertim à tempore Divi Ambroſij; & rectè; ſunt enim inter omnes morales principaliores, primariæ,

Definitio virtutis, ejuſque diviſio.

Cur Morales virtutes dicantur Cardinales?

riæ, & veluti Cardinales, quibus cæteræ volvuntur, unde Divus Proſperus 3. *via contempl.* eas principales nominat.

4 Præmittendum eſt inſuper ratione principij rectè dividi virtutem, in acquiſitam, & infuſam. Infuſa virtus eſt illa, quæ à Deo infunditur, quales ſunt tres illæ Theologiæ virtutes; nimirum, Fides, Spes, & Charitas, ut patet ex Clemente V. in Conc. Viennenſi, & refertur in Clementina unica *de Summa Trinitate, & Fide Catholica.* Virtus acquiſita, eſt quæ per actus frequentatos acquiritur, ut ſe habent prædictæ virtutes morales. Et hic advertunt communiter Auctores quòd licèt aliquando virtus acquiſita immediatè à Deo infundatur, nec ideo dicenda erit virtus per ſe infuſa, ſed per ſe acquiſita, & per accidens tantùm infuſa; ſiquidem illiùs cauſa propria ſemper erit conſuetudo, & exercitatio, quanvis hujuſmodi habitus à Deo poſſit infundi. Et hæc differentia reperitur inter utramque virtutem; quòd virtus ſuapte naturâ infuſa, nullatenus poſſit ab aliá cauſa, quàm à Deo produci, acquiſitá verò non tantùm acquiri poſſit, ſed & infundi à Deo. Hîc excitare ſolent Auctores: utrùm præter virtutes morales acquiſitas ſint & aliæ morales ſuapte naturâ infuſæ? Negat Henr. *Quodlib. 6. q.* 12. Scot. *in* 3. *diſt.* 36. *q.* 1. §. *Contra hoc eſt Auguſt.* Durand. *in* 3. *diſt*: 33. *q.* 6. Reſolutio affirmans eſt Divi Thomæ 1.2. *q.* 63. *à* 3. *&* 4. Caiet. & plurium ex Angelici Præceptoris Diſcipulis. Item Div. Bonavent. *in* 3. *diſt.* 33. *à* 3. *q.* 4. *Richard. a* 1. *q.* 2. Palud. *q.* 1: *a* 2. *in tertia opinione* Antonin. *in* 4. *p. Theolog. tom.* 1. *c.* 1. §. 3. Veg. *lib.* 7. *ſuper Concil. c.* 24. Quibus neceſſariò animadverſis, ſit pro defenſione doctrinæ irrefragabilis, & contra virus peſtiferum execrandi dogmatis.

Virtutis diviſio in acquiſitam, & infuſam.

CONCLUSIO UNICA.

5 IN Animâ, quæ per peccatum Divinam gratiam amiſit, adhuc remanent virtutes morales acquiſitæ, ſive per accidens infuſæ. Quoad primam partem eſt communis inter Diſcipulos Angelici, & Subtiliſſimi Doctoris. Quoad ſecundam aliquod diſſidium, quanvis parvi momenti, reperitur. Qui enim conſtituunt virtutes morales infuſas ſimul cum charitate, ſimul inquiunt cum illa amitti. Et iſtiuſmodi

modi connexionis tota ratio hæc eſt. Quia ſicut hæ virtutes infunduntur amicis Dei cum charitate ipſa, tanquam ornamenta ipſius charitatis, ita cum ea amitti debent. Unde Divus Thomas 1.2. *q.* 65. *a* 2.& *quæſt.* 71. *a* 4. docet quòd, licèt in homine peccatore maneat actus aliquis virtutis moralis infuſæ hoc eſt, ex eadem ratione honeſtatis, tamen dicendum eſt illum non elici connaturaliter à potentia per habitum, ſed per ſolum auxilium, ſupplente Deo efficacitatem habitûs.

Utrùm virtutes morales per accidens infuſæ cum charitate amittantur, charitate amiſſa.

6 Verùm diſſenſio nulla eſt in re, ſed tantùm in modo exponendi illam. In re enim ſatis conveniunt omnes habitus illos virtutum moralium adhuc manere in homine, amiſſá per peccatum charitate; & ſola eſt dubitatio. An iſti habitus ſine charitate habeant veram rationem vertutis? Divus Thomas negat, & pro ſua ſententia Divum Auguſtinum advocat, qui multis in locis docuit in infidelibus nullas reperiri virtutes, quæ in veritate ſint tales; præcipuè *lib.* 13. *de Trinit. c. ultimo ſub finem:* & *lib.* 5. *de Civit. c.* 12. & *lib.* 19. *c.* 25. Item *lib.* 4. *contra Julian. c.* 3. Scotus verò è contra *in* 3. *diſt.* 36. *q. unica* §. *De tertio articulo*; & §. *Contra hoc eſt Auguſtinus*. Gabriel *q. unica*, *art* 2. *in* 4. *p. articuli Concluſione unica* docent præfatos habitus acquiſitos, à charitate nudatos per peccatum adhuc retinere veram rationem virtutis, licèt non perfectam. Quidquid ſit de exponendi modo ad veritatem rei ſic procedo.

Concluſionis noſtræ probatio.

7 Habitus virtutis moralis neque pendet à gratiæ coexiſtentia, neque peccato repugnat; ergo perperam aſſeritur in Anima, quæ per peccatum Deum, & ipſius gratiam amiſit, nihil remanere niſi peccatum. Siquidem ly nihil, niſi peccatum, eſt terminus excluſivus etiam habituum virtutum moralium. Probo antecedens, & primò, quòd virtutis moralis habitus, ſive acquiſitus, ſive per accidens infuſus, á coexiſtente charitate independeat. Quia ſi talis dependentia daretur, vel eſſet tanquam à ſuá cauſá efficiente, vel ut à cauſá materiali, vel ut à formali cauſá, vel denique ut à cauſá finali, nullo ex his modo habitus virtutis moralis dependet à gratiæ conſortio: ergo.

8 Probatur independentia virtutis moralis à gratiâ coexiſtente, veluti ab efficiente. Probatur inquam; quia principium effectivum habitûs cujuſcunque nullum aliud eſſe poteſt,

teſt, niſi potentia, & actus, quibus producitur ab ea potentia; ita tamen quòd per potentiam, & actus producat Petrus v. g. habitum legendi, currendi, nec minus habitum prudentiæ, fortitudinis, &c. Petrus, ſive ejus ſuppoſitum (actiones enim juxta Ariſtotel. ſunt ſuppoſitorum) ad productionem talis habitûs concurrit ut principium effectivum *quod*; potentia ut principium activum remotum & *quo*; actus verò, tanquam activum principium, *quo*, & proximum. Igitur, quòd habituum effectivum principium ſit actus ipſiuſmet potentiæ, cujus fuerit habitus, pluſquam certum eſt inter AA. id enim quaſi indubitabile eſt ipſis, cùm omnes in eo conveniant cum Divo Thoma Scot. Almayn. Okam. Suar. in *Metaph. diſp.* 44. *Sect.* 8. *n.* 6. *Vaſq.* 12. *diſp.* 79. *c.* 9. *num.* 39. & aliis; qui ſic probant, quia habitus (loquor de acquiſitis) ſunt veluti ſemina, quæ ab actibus relinquuntur ad alios actus producendos: ergo actus tanquam productiva principia agnoſcunt.

Habitus ſolùm producitur effectivè à potentiis, & actibus.

9 Quòd etiam à potentiis producantur illarum habitus, eſt Durandi *in* 3. *diſt.* 33. *q.* 2. & verius fundamentum eſt, quia ſicut ſuppoſitum per actus, ipſos habitus producit, ut diximus; ita (licèt non tam immediatè) per potentias ipſorum actuum productivas habitus ipſos debet producere. Atqui charitas non eſt actus prudentiæ v.g. neque illius potentia productiva, talis enim ſolus eſt intellectus: ergo prudentia, neque alia moralis virtus pendet à charitate, ſive gratià, tanquam à ſuo effectivo principio. Quod autem dico de habitu acquiſito per actus, non minus verificandum eſt de habitu, ſive de virtute infuſa per accidens; neque enim aliud diſcrimen inter utrumque erit niſi ſupplementum ex parte Dei pro actu, & potentia effectiva illius.

10 Patet inſuper habitum virtutis moralis independere à gratia tanquam à materiali principio. Quia illud eſt materiale principium alicujus, quod illi tanquam ſubjectum eductionis inſervit; & inſuper idem eductum, ut formam propriam recipit. Inſanum autem eſſet contendere gratiam Divinam eſſe ſubjectum, ex quo educatur prudentia v. g. & ubi recipiatur ipſa prudentiæ virtus, veluti forma, quæ gratiam compleat, & cum qua unum efficiat compoſitum, ex gratia tanquam materia, & prudentia loco formæ. Et inde, cùm Theologi

Gratia non eſt cauſa materialis virtutum moralium.

logi diſputant de cauſa materiali virtutum moralium, nullîus hucuſque in mentem ſubiit eam eſſe Divinam gratiam; quippe qui omnes conveniunt in eo quòd virtutes morales ſubjectantur in Anima; hoc ſolummodo controvertentes: an iſtæ virtutes ſubjectentur immediatè in ſubſtantia Animæ, ut dicitur de gratia, an verò in ejus potentiis? Itemque utrùm in potentiis potiùs, quàm in appetitu ſenſitivo ſubjectari dicantur?

11 Probatur quòd virtus moralis non dependeat à gratia tanquam ab ejus cauſa formali. Prius tamen ſupponendum eſt, cum P. Arriaga in *Phyſ. diſp.* 3. *ſect.* 4. *Vaſques in* 1. *p. d.* 174. Suar. Luſit. *in Phyſ. tract.* 1. *de Princip. diſp.* 4. *ſect.* 3. *& aliis*, quod quidem eſt inter Theologos receptiſſimum: formas accidentales ſupernaturales (quales ſunt gratia, & reliqua dona ſupernaturalia) propriè eductas eſſe ex ſubjecto, in quo recipiuntur. Tunc ſic: omnis forma educta recipitur in ſubjecto, à quo educta fuit, cum ipſoque componit, tanquam illîus actns; atqui gratia à nulla virtute morali educitur, in nulla recipitur: ergo cum neutra earum componit tanquam illîus actus in completus, ac per conſequens nulla virtus moralis dependet tanquam ſubjectum, à gratia tanqum forma. Et amplius confirmatur. Quia cùm virtutes morales ad minus ſint quatuor illæ memoratæ, tres ſaltem deberent independere à gratia, veluti à forma, & comprincipio formali; ratio eſt, quia juxta Divum Thomam nulla forma poteſt eſſe comprincipium ſimul, plurium materiarum: ergo una tantùm virtus moralis diceretur, non poſſe exiſtere ſine gratia, ab eaque dependere, ut à ſua cauſa formali. Quo admiſſo neceſſariò, quæro, quænam ſit hæc virtus, quæ ſola dependet à gratia, ut ab ejus cauſa formali? Nulla aſſignabitur, nullaque excludentur; cùm nulla ſit ratio aſſignabilis, cur potiùs Prudentia v. g. quàm Fortitudo ſit illa virtus, à qua gratia educatur, & cum qua componat, veluti cum materiali ſubjecto, à gratia ut à comprincipio formali, dependenti ad exiſtendum. Demum: quòd virtutum moralium conſervatio, non dependeat à gratia tanquam à cauſa ſinali, nulla probatione indiget erga eos, qui cauſæ finalis genium agnoſcunt. Imò finis nunquam cum ſuo effectu coexiſtit; patet innumeris exẽplis;

Neque eſt illarum cauſa formalis.

Conſervatio virtutum moralium non reſpicit gratiam habitualem ut cauſam finalem.

plis; gloria enim, & Beatitudo ſupernaturalis, quæ eſt cauſa finalis tot ſanctarum actionum, cum eiſdem ſimul eſſe non poteſt. Unde commune eſt, cauſam finalem ſolùm in intentione exiſtere ad operandum; operatur enim movendo voluntatem, ad quod non alia requiritur exiſtentia, niſi in intentione. Maneat igitur omnimoda independentia moralium virtutum à gratiæ coexiſtentia.

12 Fortaſſe oppones. Multoties inveniuntur extrema aliqua, quæ habeant neceſſariam coexiſtentiam, cùm tamen eorum neutrum, ab altero tanquam à ſua cauſa cujuſvis generis pendere dicatur; quid ergo mirum, ſi à coexiſtente gratia moralium virtutum pendeat permanentia? Neque exemplis caret aſſumptum. Homo conſervari nequit, deſtructo ſemel riſibili. Neque natura ulterius permanebit, ſi à ſubſiſtentia denudari concipiatur. Poſtremò amiſſa Fide, aut Spe, deperditur gratia; cùm tamen gratia à Fide, aut Spe, ut à cauſa minimè pendeat; neque natura à ſubſiſtentia, neque homo à riſibilitate eam dependentiam, quam effectus habet à ſua cauſa, ullo modo agnoſcant.

13 Reſpondeo, admiſſo aſſumpto, quod quidem multoties (ut in objectione dicitur) verum eſt; ſiquidem abſque dependentia, veluti effectus à ſua cauſa, ita poterunt connecti extrema aliqua inter ſe, quòd à poſitione unius pendeat alterius permanentia, prout in exemplis adductis ſatis liquet. Ideo enim gratia conſervatur dependenter à Fide, & ſpe, ita quòd ablata qualibet, pereat neceſſariò ipſa gratia, quia Fides non tollitur niſi per peccatum infidelitatis, ſicut neque ſpes abſque deſperationis peccato, cum quo gratia amicari nequit, oppoſitionis, & contrarietatis ergò. Unde potiùs dicendum eſſet gratiam fuiſſe deperditam propter peccatum introductum, quàm propter Fidei, ſive ſpei corruptionem: in beatis enim invenitur gratia ſine Fide, & ſine ſpe, ut eſt Theologorum plauſibilior ſententia cum Divo Thoma. De natura ſubſiſtentiam reſpiciente, àd exiſtendum ſaltem naturaliter, nequit argumentum urgêre; ſubſiſtentia enim eſt terminus intrinſecus naturæ (omitto alias rationes maioris ponderis, quæ aliquo carent examine) ablato autem aliquo intrinſeco naturæ, ipſam perire neceſſe eſt. Neque hæc paritas

Cur amiſſa Fide, aut Spe gratia deperdatur?

ritas eſt inter unam , aut alteram virtutem moralem , & gratiam ; non enim eſt gratia moralis virtutis terminus intrinſecus. Ad primum, in contrarium exemplum, de homine, ejuſque riſibili; reſpondetur, quòd hæc, & quævis alia proprietas quarto modo eſt quædam mera emanatio à natura ſua, cujus eſt proprietas tam neceſſariò connexa, ex neceſſitate naturæ, quòd ad ipſius emanationem ſufficiat ſola naturæ poſitio : unde tolli non poteſt proprietas, ſi naturæ poſitio adhuc intelligatur manere. Quis autem aſſerat gratiam eſſe proprietatem neceſſariam virtutum moralium, ab eis emanantem? Nemo, ut judico : ex eo, quia quævis natura ſuam producit proprietatem, conformiter ad ea prædicata eſſentialia, quæ continet; cùm autem quatuor virtutes morales ſint ſpecificé, & eſſentialiter diverſæ, habentes prædicata eſſentialiter diverſa; non poterit ab unaquàque virtutis natura, eadem proprietas (gratia videlicet) per ſimplicem emanationem prorumpere.

14 Probo nunc falſum eſſe quodvis peccatum, virtutibus moralibus generaliter opponi. Primò. Singuli actus mali, ſpeciales, & proprias habent malitias inter ſe ſpecie diſtinctas; atqui malitia gulæ v.g. ordinatur in virtutis Temperantiæ deſtructionem: ergo non poteſt tendere adverſùs habitus virtutum cæterarum. Et ratio eſt plenis obtutibus evidentiſſima; quia actus ſpecificantur per objecta, in quæ tendunt: ergo, ſi actus gulæ tendat non ſolùm in deſtructionem virtutis Temperantiæ, ſed aliarum etiam, & actus furti inclinet ſimiliter in deſtructionem Juſtitiæ ſimul, & reliquarum virtutum : actus mali, furti, & gulæ non differunt ſpecificè inter ſe. Hoc autem quantum ſit rationi diſſonum, jam oſtendo in probationem maioris præjacti fundamenti. Malitia furti; & malitia homicidij ſpecie inter ſe differunt : ergo. Antecedens patet; Quia, ſicut virtutes, quæ reſpiciunt vitia oppoſita diverſæ ſunt eſſentialiter, ita vitia, quæ diverſas virtutes reſpiciunt, erunt inter ſe eſſentialiter diverſa. Aliter ſi vitia inter ſe non eſſent eſſentialiter diſcriminantia, non deberent in confeſſione detegi ſeriatim per ſuas ſpecies: ſed faceret ſatis pœnitens dicendo, ſepties peccavi, quin exprimeret, ter blaſphemando, quater occidendo. Cùm igitur vitia inter

Neque omnia peccata ſunt per ſe oppoſita virtutibus moralibus.

Quomodo vitia ſpecie diſtinguantur?

ſe eſſentialiter opponantur ratione oppoſitæ virtutis, ad quam deſtruendam, tanquam in objectum proprium, diriguntur: dicendum eſt peccatum oppoſitum Juſtitiæ non eſſe reliquis virtutibus ſimiliter oppoſitum; unde ſimul conſervari poſſunt virtutes morales, & peccatum, quod eiſdem non opponatur?

15 Secundò probatur. Poteſt enim quàm bene quis furtum committere, & adhuc poſt illud ſummam continentiam conſervare: ergo peccatum non deſtruit morales virtutes. Imò non eſt facile aſſerendum quòd actus peccaminoſus deſtruat habitum ipſum virtutis, illius etiam, cui opponitur ipſe actus peccati. Contrarium enim ſatis conſtat; ſiquidem qui habet habitum intenſiſſimum Caſtitatis, per longiſſimum tempus, & plurimos actus acquiſitum non perdit illum per unicum peccatum luxuriæ. Quòd ſi liberè negare quis audeat, ipſo lumine naturali demonſtrabitur, & per experientiam comprobabitur, quia ille poſt longã cõtinẽtiam in luxuriam lapſus, faciliùs ſurgit ab illo peccato, quàm quilibet alius nullum habens talis virtutis habitum: ergo ex eo ſolùm eſſe poterit, quia adhuc in eo perſeverat habitus Caſtitatis, poſt commiſſum actum peccaminoſum luxuriæ.

16 Tertiò probatur adhuc actum peccaminoſum; non eſſe abſoluté incompatibile cum habitibus virtutum. Quia, ut eſt verior doctrina tum Theologorum, tum Philoſophorum apud Luſitanum de *Anima Tract. 7. diſp. 2. ſect. 7.* habitus non tolluntur formaliter per actus ipſis oppoſitos, & contrarios; ſed effectivé ſolummodo, quatenus ipſi actus oppoſiti, producunt habitus contrarios, qui formaliter, hoc eſt per ſe ipſos pugnant cum oppoſitis. Et ratio iſtiuſmodi doctrinæ hæc eſt: quia actus, & habitus ſunt formæ diverſarum rationum; habitus enim ſe habent per modum actûs primi, & veluti potentiæ, actus verò ſunt actus ſecundi; quapropter non opponitur actus habitui per ſe ſed per habitum, quem ſimul cum aliis actibus producit. Et hoc confirmat Ariſtoteles: *cap. 10. de oppoſitis, & lib. 10. Metaph cap. 6.* dicens: *Contraria ſunt ea, quæ ſub eodem genere maximè diſtant, & eidem ſubjecto viciſſim inſunt, à quo mutuò ſe expellunt.* Ex quo cùm actus, & habitus non ſint in eodem genere, & inſuper cùm habitus Caſtitatis

Qualiter habitus deſtruantur per actus oppoſitos.

non

non abſolutè excludat actum luxuriæ, ut experientiâ manifeſtum eſt, rectè infertur actum vitioſum, non abſolutè excludere habitum virtutis unde nec abſolutè repugnant coexiſtere.

17 Hoc idem poteſt breviter confirmari; quia habitus oppoſiti in gradibus remiſſis inter ſe etiam naturaliter non repugnant. Quod manifeſtè liquet quando enim quis habet habitum intenſum vitii v.g. & incipit ſe exercêre in virtute, paulatim acquirit inclinationem ad virtutem; & eo paſſu minuitur inclinatio ad vitium; neque tota in momento perit: ergo illæ duæ inclinationes ad contrarios àctus cohærent in gradibus remiſſis; aliàs cùm vel minima inclinatio ad contrarium producta eſſet debuiſſet tota oppoſita perire, quod eſt contra experientiam. Et facilè percipitur, atque confirmatur hæc ratiocinatio exemplo caloris, & frigoris. Ex quibus ſic fortiter argumentor. Si unus habitus remiſſus in ſuis gradibus per aliquos actus generatus non expellit alium habitum, multòminùs unum peccatum expellet tot habitus virtutum, præſertim ſi his omnibus non opponitur ex propria tendendi inclinatione.

18 Objectio prima. *Qui totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus*; ut ait Divus Jacobus 2. 10. ergo per quodvis peccatum omnes deperduntur virtutes; quapropter earum omnium reus fit peccator, veluti ſi contra omnes deliquiſſet. Confirmatur ex Divo Thoma, qui pluribus in locis idem ſentire videtur, præſertim 1. 2. *q.71. art.4. Per unum actum peccati mortalis excluſa charitate, excluduntur per conſequens omnes virtutes.* Ubi apertè docuiſſe videtur repugnantiam peccati cum habitibus virtutum; & per conſequens, quòd in anima, quæ Deum, & ipſius gratiam amiſit, nihil remaneat niſi peccatum, ut intendit prima damnatarum propoſitionum.

19 Reſpondetur ad argumentum, Jacobum Apoſtolum locutum eſſe 1. ad condignitatem punitionis; non ſolùm enim damnatione eſt dignus qui omnium ſcelerum perpetrator eſt, ſed etiam qui vel uniùs mandati tranſgreſſor fuerit inventus. 2. De peccato dixiſſe comparativè ad legem, quàm totam adimplêre tenemur, & qui peccat in uno puncto, violat le-

 gem,

gem, & offendit legislatorem, qui unus eſt, & amittit totam ejus gratiam, & charitatem, quæ una eſt, & indiviſibilis eſſentialiter, non extenſivè. Illa igitur dicuntur ab Apoſtolo de totalitate legiſlatoris offenſi, & gratiæ ſeu charitatis imò, & viſionis, ac Beatitudinis, ut loquitur Dupaſquier in *Summa tom.3. diſp.* 4. quæ tota amittitur uno peccato mortali; non igitur inteligendus eſt Apoſtolus in ſenſu noſtræ concluſioni oppoſito. Ad confirmationem ex Angelico Præceptore deſumptam facilè reſpondendum eſt Divum Thomam non negaviſſe coexiſtentiam virtutum moralium cum peccato, ſed ſolùm docuiſſe tales virtutes non permanêre in ſua debita, & ultima perfectione ſine gratiâ; quapropter non negat habitus morales permanêre, non permanente gratiâ; negat verò permanere in ſtatu virtutis perfectæ, ac meritoriæ, ut patet ex ipſo Divo Thoma *loc. cit.* Quod libet enim peccatum mortale contrariatur charitati, quæ eſt radix omnium virtutum infuſarum in quantum ſunt virtutes, & ideo per unum actum peccati mortalis, excluſa charitate, excluduntur per conſequens omnes virtutes infuſæ in quantum ſunt virtutes, in ultimo ſtatu perfectionis.

20 Notant hic Caietanus, Vaſques, & alij Theologi communiter Divum Thomam eatenus docuiſſe habitus virtutum moralium, à gratia denudatos, dicendos non eſſe veras virtutes, quatenus dempta gratiâ, non ſunt virtutes, qualiter à Theologo conſiderari debent; quod idem valet, ac ſi diceret, non eſſe perfectas virtutes, ac meritorias, quales eſſe decet, & debent eſſe. Hoc autem non obſtat, quominus ſimpliciter dicantur veræ virtutes præfati habitus; Philoſophi enim gratiam, & charitatem, non agnoſcentes, eos habitus ut veras virtutes definierunt; neque nos debemus rebus imponere diverſa nomina à priſcis illis nomenclatoribus.

Habitus virtutum moralium, dempta gratiâ, adhuc ſunt virtutes, non Theologicè, ſed Philoſophicè conſideratæ.

21 Objectio ſecunda. Ex Divo Auguſtino, habitus virtutum, imò & ipſi actus virtutum ſine juſtitia (hoc eſt ſine charitate) aut ſine Fide operante per dilectionem (hoc eſt gratiâ informata) non ſunt virtutes: ergo virtutes morales, ut ſint tales, dependent à gratiæ coexiſtentia; neque ſimul conſervari poſſunt peccatum, & virtus. Antecedens patet ex Doctorum Magiſtro pluribus in locis; ſed præcipuè *Lib.* 13. *de*

de Trinit. c. ultimo ad finem, ibi: *Juſtus ex Fide vivit; quæ Fides per dilectionem operatur ita, ut virtutes quoque ipſæ, quibus prudenter, fortiter, temperanter, juſtèque vivitur; omnes ad eandem referantur Fidem; non enim aliter poterunt eſſe veræ virtutes.*

22 Reſpondetur negando conſequentiam, quæ eſt omnino falſa, neque antecedens eſt verum, alia enim eſt Auguſtini mens: nam ibi ubi, & alibi loquitur de virtutibus Gentilium, non agit de habitibus, ſed de actibus, ut optimè notat Vaſques *tom.* 1. *in* 1. 2. *d.* 88. Aitque, opera infidelium, quæ videbantur virtutes eſſe peccata, non ex eo quòd fierent ſine charitate, aut non eſſent propter Deum ſummé dilectum; ſed quia non procedebant ex vero fine honeſto virtutis; fiebant enim ob vanitatem inanis gloriæ, aut ex alio malo fine. Unde *Lib.* 19. *do Civit. Deicap.*25. ait. *Proinde virtutes, quas ſibi habere videtur, per quas imperat corpori, & vitijs ad quodlibet adipiſcendum, vel tenendum, niſi ad Deum retulerit, etiam ipſa vitia ſunt potiùs, quàm virtutes. Nam, licèt à quibuſdam tunc veræ & honeſtæ putentur eſſe virtutes, cùm ad ſe ipſas referuntur, nec propter aliud expetuntur; etiam tunc inflatæ, ac ſuperbæ ſunt; & ideo non virtutes, ſed vitia judicanda ſunt.* Nos igitur loquimur in hac controverſia de habitu virtutis acquiſitæ, aut per accidens infuſæ, qui eſt principium operandi ex recta ratione propter finem honeſtum, licèt non ex charitate erga Deum. Et quanvis infidelis, aut peccator non poſſit ullum habitum virtutis ex recto fine ſibi comparare, quàm bene tamen poteſt contigere ut homo juſtus acquirat plures habitus virtutis, & amiſſa deinde gratiâ per peccatum, maneant prædicti habitus ſine charitate, à qua non dependent in conſervari; quos tandem habitus dicimus habere rationem virtutis, ſiquidem poſſunt inclinare ad bonum, & honeſtum finem.

SECTIO II.

Eadem propoſitio impugnatur adhuc quoad primam partem ex alio abſurdo ibidem reperto.

1 DIximus præcedenti *capite* 2. *num.* 2. & 4. negari in hac prima propoſitione, Fidem aut Spem remanere in animâ poſtquam per peccatum, Divinam gratiam ami-

Docetur amplius in prima parte hujus propoſitionis non dari Fidē, aut Spem poſt amiſſionē gratiæ; idem habetur alijs propoſitionibus.

amiſit. Hoc ſatis apertum eſt, perſpecta ipſa propoſitione; quæ in prima ejus parte, cætera omnia excludens, peccatum ſolummodo inveniri dicit in anima poſt deperditam Dei gratiam, ibi: *Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum, &c.* Eandem Fidei, & Spei amiſſionem neceſſariam eſſe ex gratiæ perditione, multoties perhibetur, videlicet: propoſitione 52. *Fides non eſt abſque amore.* Propoſitio 8. ab Eccleſia excludit quotquot in lethale ſunt lapſi, ex conſequenti amiſſione Fidei: dicitur enim: *Nos non pertinemus ad novum fœdus, niſi in quantum participes ſumus ipſius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis, id quod Deus nobis præcipit.* Idem confirmatur propoſitione 63. *Baptizatus adhuc eſt ſub lege ſicut Judæus, ſi legem non adimpleat*: 72. etiam, ibi: *Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, & membro Chriſti ceſſat interius habere Deum pro Patre, & Chriſtum pro capite.* Similiter propoſitione 78. *Separatur quis à populo electo, cujus figura fuit populus Judaicus, & caput eſt JESUS Chriſtus, tam non vivendo ſecundùm Evangelium, quàm non credendo Evangelio.* Ex quibus colligitur has propoſitiones, neceſſariò eſſe connexas; ſcilicet: Amiſit gratiam: ergo etiam Fidem, & Spem: conſequenterque eſt extra Eccleſiam. Unde ex his ſatis conſtat Eccleſiam ſolummodo integrari ex Sanctis, & electis in gratia Dei permanentibus, ut repetitur propoſitionibus 72. 73. 74. 75. & 76. quæ omnes in Bulla Sanctitatis ſuæ citatis numeris videri poſſunt, non enim eſt, cur in ipſis repetendis ampliùs immoremur. Pro quibus propoſitionibus confutandis ſatis erit hæc unica.

CONCLUSIO.

Fidem (idem de Spe) amitti per quodlibet peccatum mortale; ſive ex qualibet amiſſione charitatis, aut gratiæ; non ſolùm eſt falſum, verùm etiam temerarium, impium ſcandaloſum, & hæreticum.

2 NOſtræ Concluſionis veritas, non ſolùm eſt Patribus, & Doctoribus communis; imò etiam definita, & ex Sacra Pagina firmiſſima. Et quia Sacræ Scripturæ teſtimonia ad noſtram doctrinam, regulæ ſunt infallibiles,

les, juxta illud Apoſtoli 2. *ad Timotheum* 3. v. 15. *Ab infantia ſacras literas noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem per Fidem.* *Et* v. 16. *Omnis Scriptura divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum*; quapropter dicebat Chriſtus, *Joannis* 5. v. 39. *ſcrutamini Scripturas; illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me.* Ex ipſo ſacro Textu aliqua dabimus teſtimonia in probationem hujus veritatis.

3 Primum ſit illud ex 1. *ad Corinth.* 13. *Si habuero omnem Fidem, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Ubi Apoſtolua charitatem commendans, ſine illa inquit Fidem nihil prodeſſe: ergo duo intelligenda ſunt ex his Apoſtoli verbis; primum, Fidem ad meritum non reputari ſine charitate: ſecundum; inveniri etiam fidem abſque charitate. Et confirmatur; nam aliàs non ſubſiſteret Apoſtoli diſcurſus, quo gratiam extollebat, ab utilitate fidei, quandiu per gratiam informàta eſt, & non alias. Secundum Scripturæ teſtimonium, & primo valde ſimile, illud eſt ex *Jacobi* 2. v. 14. *Quid proderit, fratres mei ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat?* Et v. 20. fides ſine operibus mortua eſt. In his igitur contendit etiam Scriptura, fidem parvi eſſe momenti, hoc eſt nullius meriti, ſi ab operibus in gratia factis deſeratur; clariſſimé oſtendens ejuſdem fidei perſeverantiam, cùm tamen non eſt ſociata gratià.

4 Pro hujus evidentia notare convenit, quatuor noſtrorum operum genera à Theologis utcunque diſtingui: Perfecta, Mortifera, Mortua, & Mortificata. Perfecta opera ea dicuntur, quæ in gratia facta, in eadem conſervantur; unde merito nuncupantur perfecta. Illa autem opera, quæ vitam ſpiritualem auferunt, aut lædunt, alia enim ſunt mortalia, alia venialia, hæc ideo dicuntur mortifera. Opera, quæ ab homine in peccato mortali exiſtente ſunt facta, mortua ſunt. Mortificata tandem ſunt illa, quæ elicita ab homine in gratia, per ſubſequens peccatum mortale, veluti mortua recenſentur. Planum tamen eſt, quòd opera ſive mortua, ſive mortificata in re debent ſupponi: neque enim dicerentur mortificata, vel mortua, ſi non exiſterent ipſa opera. Ita circa fidem eſt diſcurrendum ex appoſito Divi Jacobi teſtimonio, in quo fides ſine operibus, quæ in charitate ſint facta, cenſentur mortua

Quatuor genera noſtrorum operum; ſcilicet, perfecta, Mortifera, Mortua, & Mortificata.

cùm

cùm tamen ita non eſſet exiſtimanda, ſi nullatenùs exiſteret.

Diviſio Fidei in vivam, & mortuam, formatam, & informem.

Unde celebris eſt illa *F*idei diviſio in vivam,& mortuam; formatam, & informem, quam tradit Divus Thom. 2.2.*q.* 4.*a* 3.4.*&* 6.deſumptam ex Auguſt.*de Cognitione veræ vitæ, cap.* 32. itemque ex Divo Bernardo *Serm.* 2. *de Reſurrectione.* Neque ita divideretur, ſi ſola fides viva, & formata eſſet Fides, non autem mortua, & informis.

5 Corroboratur totus hic diſcurſus præjactus. In Scriptura ſacra reperitur Fides viva ex gratia informante, juxta illud Apoſt. *ad Hebr. c.* 10. *Juſtus ex Fide vivit*; reperitur etiam Fides mortua per charitatis amiſſionem; dicitur enim: Fides ſine operibus mortua eſt; atqui utraque Fides habet in ſe veram rationem Fidei; ergo ſicut in juſtis datur vera Fides, ita etiam in peccatoribus vera Fides eſt admittenda. Minor eſt Divi Thomæ 1. 2. *q.*55. *a.* 1. dicentis:*Fides formata, & informis non differunt ſpecie,ſicut in diverſis ſpeciebus exiſtentes,differunt autē ſicut perfectum,& imperfectū in eadē ſpecie.*Eandē Minorem ſatis docet idem Apoſtolus Jacobus citatus *cap.* 2. *v.*17. *ibi Fides, ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa*: Quibus verbis oſtenditur dari Fidem ſine operibus ex gratia: ergo oſtenditur, Fidem ſine gratia perſeverare. Et inſuper talem Fidem eſſe mortuam in ſe; ergo & in ſe eſſe Fidem; ut continetur in Minori noſtri Syllogiſmi.

Noſtra concluſio probatur ex Scriptura.

6 Ex Scripturà ad ſacrum Tridentinum Concilium recurro in veritatis noſtræ probationes, quæ in eo apertiſſimæ ſunt, neque ſemel tantùm repertæ. Nam *Seſſ.* 6. *de Juſtificatione cap.* 15. inquit: *Aſſerendum eſt, non modò infidelitate,per quam & ipſa Fides amittitur, ſed etiam quocunque alio peccato, quanvis non amittatur Fides, acceptam juſtificationis gratiam amitti.* Quibus verbis, duo apertiſſimè conſtant. *Primum*; Fidem per infidelitatem amitti. *Secundum*; per quodcunque aliud peccatum, Fidem non amitti, quanvis amittatur gratia, quod eſt indubitatum. Idem definitivè traditur *eadem Seſſ.* 6. *Canone* 28. ibi. *Si quis dixerit, amiſſa per peccatum gratiâ, ſimul & Fidem ſemper amitti; aut Fidem, quæ remanet, non eſſe veram Fidem, licèt non ſit viva; aut eum, qui Fidem ſine charitate habet, non eſſe Chriſtianum; anathema ſit.*

Ex Tridentino.

7 Quá in re, inſpectá Sacri Concilij definitione, ipſos adverſarios,

verſarios, iſtius, & aliarum ſimilium propoſitionum aſſertores mihi reſponſuros vellem: Utrùm Concilium generale legitimé congregatum, per Sedem Apoſtolicam approbatum, qualiter Tridentinum judicatur, infallibilitate gaudeat in rebus Fidei determinandis? Qualiter ipſi quæſtionem reſolverent, ipſi viderint. Scio autem Fide certum eſſe prædictum Concilium neque decipi, neque decipere potuiſſe; videatur Turrian. *diſput.* 2. *dub.* 4. *Gamacheus q.* 5. *art.* 3. Valent. 2. 2. *diſp.* 1. *q.* 1. *punct.* 1. §. 5. 6. Bellarm. *tom.* 2. *lib.* 2. *de Conciliis, cap.* 12. Et ne unus quidem Catholicus Doctor invenitur, qui teneat oppoſitum: hæc enim eſt ex ipſa ſacra Scriptura doctrina: dicitur enim *Matth.* 18. *Ubi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo ibi ſum in medio eorum.* Cùm igitur Concilium ſit congregatum in nomine Chriſti, ab ejuſque in terris Vicario: ergo ibi dicendum eſt Chriſtum ſua infallibili aſſiſtentiâ præſediſſe. Idem colligitur ex *Actuū cap.* 15. ubi Apoſtoli in quodam Concilio congregati ſic efati ſunt: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis*, quibus verbis non obſcuré ſignificatur Conciliorum definitiones eſſe non ſolùm Patrum ſententias, ac reſolutiones verùm etiam ſupremi Paracleti inſpirationes, qui eſt Spiritus Concilij. Idem ex Div. Paulo ſatis oſtenditur, qui 1. *ad Timoth. cap.* 3. *v.* 15. Eccleſiam nominat *columnam, & firmamentum veritatis.*

8 Colligendum hinc eſt non ſolùm hanc, quam impugnamus, propoſitionem eſſe hæreticam, verùm inſuper, quotquot ei accedunt, quas omnes ſuprà retulimus; quibus ſtudent adverſarij, veros Chriſtianos non eſſe peccatores, quatenus amittendo gratiam, fidem (ut inquiunt) conſequenter perdunt, quod manifeſté Concilio opponitnr aliter definienti citatâ *ſeſſ.* 6. *Can.* 28. his verbis: *Si quis dixerit eum, qui fidem ſine charitate habet, non eſſe Chriſtianum; anathema ſit.* Quas omnes propoſitiones hæreticas eſſe cenſemus; quia poſitâ infallibili Sacri Concilij Authoritate in rebus Fidei definiendis, ut ſuprà oſtendimus, qui ejus definitiniobus adverſantur, contra articulos ad Fidem ſpectantes directé tendunt; quod eſt hæreſibus adhærere: prout diximus *cap.* 1. *num.* 18. Et facillimo negotio concludes eaſdem propoſitiones temerarias impias, & ſcandaloſas eſſe, uti in ſuprà affixa propoſitione

Cenſura propoſitionis primæ, & aliarum ei affinium.

ne judicavimus, ea recolendo, quæ *cap.* citato diximus, has ipſas notas exponendo.

9 Confirmatur noſtra doctrina de exiſtentia Fidei poſt amiſſionem gratiæ, ex Sanctis Patribus; & primò ex Primario Doctore Theologorum omnium Auguſtino, qui veluti noſtrum proſpiciens Inſtitutum, à tot retro ſæculis docuit id ipſum, quod in præſenti adverſús hujus temporis hæreticos à Sancta Romana Eccleſia diſcimus. Ait enim *lib. 9. Confeſſ. c.4. tom.1. Gaudens in Fide laudavi nomen tuum, & ea Fides me ſecurum eſſe non ſinebat de præteritis peccatis meis, quæ mihi per Baptiſmum tuum remiſſa non dum erant* Quibus verbis indicat Auguſtinus ſe ante Baptiſmum Fidem habuiſſe à Domino; non autem ſecuritatem de peccatorum ſuorum remiſſione per gratiam. Quod quidem eſſet implicatorium, & ab Auguſtino nullatenus aſſerendum; ſi Fides. & peccatum non compaterentur, aut ſi Fides, & charitas, quæ operit multitudinem peccatorum, neceſſariò connecterentur. Neque aliud docuiſſe comperitur *De Baptiſ. contra Donatiſt. lib.1. cap. 8. tom. 7.* dicens: *Nihil prodeſt homini vel ſana Fides, vel ſanum fortaſſe ſolum Fidei Sacramentum, ubi lethali vulnere ſchiſmatis, perempta eſt ſanitas charitatis, per cujus ſolius peremptionem, etiam illa integra trahuntur ad mortem.* Hic à Sancto Doctore docemur per vulnus lethale ſolam gratiam eſſe peremptam, ut colligitur ex illis verbis: *per cujus ſolius peremptionem*; Fidem verò integram manere, quanvis mortuam; hoc eſt, ſine operibus, ipſa dignis; unde illam nihil prodeſſe affirmat. Quod multoties confirmare intendens, *tract. 6. in Joan. poſt medium, tom. 9.* inquit: *Magna eſt Fides, ſed nihil prodeſt, ſi charitatem non habeat.* Ecce ex Auguſtino, Fides etiam ſine charitaté, ut magna commendatur, & ſi non proſit. Id ipſum repetit *tract. 20. in Epiſt. Joan. circa init. tom. 9.* ibi: *Multi dicunt Credo: ſed Fides ſine operibus non ſalvat.* Neque apud Auguſtinum aliquid frequentius, aut communius comperitur. Non autem eſt prætermittendum illud ejuſdem Sanctiſſimi Præceptoris, *Epiſt. 106. ante med. tom. 2. Si quis dixerit quòd gratiam bene operandi Fides mereatur, negare non poſſumus.* Ecce habes, attente Lector, non ſolùm Fidem ſine gratia, ſed etiam quòd Fides gratiam mereatur. Et miraberis fortaſſe quòd id adverſarij

Ex Patribus.

fateri

fateri nequeant, cùm Auguſtinus negare non potuiſſet, imò citato loco repetit: *Qui habent Fidem, quâ impetrent juſtificationem, per Dei gratiam pervenerunt ad legem juſtitiæ.* Notandum verò, quòd dum ab Auguſtino edocemur Fidem mereri gratiam, ſive habitualem charitatem; non eſſe concipiendam ipſam Fidem ſolis humanis meritis ſuffultam, ſed excitantis, & adjuvantis (non ſanctificantis) gratiæ auxiliis præventam; quapropter eadem Epiſt. ſic loquitur: *Cùm Fides impetrat juſtificationem, non gratiam Dei; aliquid meriti præcedit humani;* unde tale meritum non eſt de condigno, de quo poſtea.

10 Auguſtinum ſecutus eſt noſter Divus Gregorius cognomento Magnus, doctrina, & ſanctitate æquê celebris, qui pluſquam per annos quindecim Eccleſiam Dei gubernavit, Chriſtum Vicarium agens in terris, id ipſum edocens, quod ab Auguſtino habemus, nam *Moral. in cap.* 34. *Job*, *lib.* 25. *c:* 15. *tom.* 1. inquit, *Nonnulli autem Fidem medullitus tenent, ſed vivere fideliter nullatenus curant; inſequuntur enim moribus quod credulitate venerantur.* Quæ verba ad inſtitutum noſtrum clariùs expendere, tempus eſſet parvipendere. Idem ſimiliter profert *Lib.* 2. *ſup. Ezechiel. Hom.* 16. *tom.* 2. Ubi non ſolùm agnoſcit Fidem veram, in his, qui per opera peccaminoſa gratiam, & charitatem amiſerunt; *verùm etiam, utcumque* (ait) *Fidem antecedere charitatem*; ex quibus apertè conſtat in Anima per peccatum, non ſolam remanere culpam; neque item cætera omnia amitti. Verba autem Sancti Doctoris citato loco hæc ſunt: *Niſi prius Fides teneatur, nullo modo ad ſpiritale amorem pertingitur, non enim charitas Fidem, ſed Fides charitatem præcedit.*

11 Accedit Divus Thomas, qui, ut ſuprà vidimus, *num.* 5. Fidem formatam ab informi diſtinguit, eo ſcilicet, quòd Fides formata charitati conjuncta ſit; Fides verò informis ſine charitate ibi: *Fides formata, & informis non differunt ſpecie, ſicut in diverſis ſpeciebus exiſtentes; differunt autem ſicut perfectum, & imperfectum in eadem ſpecie: unde Fides informis cùm ſit imperfecta, &c.* Ergo ex mente Divi Thomæ Fides adhuc perſeverat poſt amiſſam gratiam illam informantem. Idem apertè inſinuat 1. 2. *q.* 6. *a* 2. *ad* 3. aſſerens Fidem aliquando infundi ſine gratia, ſive charitate, ut ex Auguſtino conſtat, *num.*

 9. ci-

9. citato. Verba autem Divi Thomæ ea ſunt, quæ ſequuntur: *Dicendum, quòd ille, qui accipit à Deo Fidem abſque charitate, non ſimpliciter ſanatur ab infidelitate, quia non removetur culpa præcedentis infidelitatis, ſed ſanatur ſecundùm quid; ut ſcilicet ceſſet à tali peccato. Hoc autem frequenter contingit, quòd aliquis deſiſtat ab uno actu peccati, etiam Deo hoc faciente, qui tamen ab actu alterius peccati non deſiſtit, propria iniquitate ſuggerente, & per hunc etiam modum, datur aliquando etiam homini à Deo, quòd credat; non tamen datur ei charitatis donum: ſicut etiam aliquibus abſque charitate datum donum prophetiæ.*

SECTIO III.

Eadem Catholicæ doctrinæ veritas oſtenditur variis rationibus.

MUltoties qui intellectum captivare nequeunt in obſequium Fidei, rationum ponderi ſucumbunt. Unde Catholicæ doctrinæ veritatem oſtenſuri, rationibus ipſam comprobabimus. Primò igitur argumentor. Non ſemel ante habitum gratiæ, ſive charitatis infunditur habitus Fidei: ergo etiam poſt amiſſionem gratiæ, perſeverabit in Animâ habitus Fidei: neque enim diſparitatis ratio aſſignabitur: nam ſicut ante infuſionem gratiæ ſine ea conſervatur Fides, ita poſt amiſſionem gratiæ poterit Fides conſervari: hoc enim ſecundum conſiſtit in independentia Fidei à gratiâ, quæ neganda non eſt, cùm ex primo ſatis conſtet. Antecedens (in eo enim tantùm eſt difficultas) defenditur à Vaſqueſio 1. 2. *d.* 203. *c.* 9. Torres *in* 2. 2. *d.* 41. *dub.* 9. Tannero *q.* 6. *n.* 41. & ab aliis, Divum Thomam referentibus 2. 2. *q.* 6. *a* 2. *ad*3. Et ſanè hæc videtur Divi Thomæ mens, ut colligi poteſt ex illius textu præcedenti *Sectione* 2. *num.* 10. *ad finem.* Idem perhiberi videtur ab Auguſtino *eadem Sectione*, *num.* 9. primò loco, citato. Probatur tamen idem antecedens: quia, ut ſæpe contingit in adultis, ante Baptiſmi ſuſceptionem, credunt in articulos Fidei ſibi propoſitos; atqui talis actus Fidei, & aſſenſus productus eſt ab habitu Fidei: ergo ante infuſionem gratiæ habitum Fidei ſuſceperant. Conſequentia eſt recta; quia gratia, niſi infundatur in Sacramento, non niſi per contritionem acquiritur;

Actus Fidei ab adulto ante Baptiſmum provenit ab habitu Fidei jam infuſo.

quiritur; ſuppono autem in probatione, adultum ſine contritione credentem. Minor conſtat; neque enim eſt cur hic actus Fidei attribuendus ſit alicui auxilio extrinſeco potiùs, quàm habitui Fidei; nam proprius, & ſpecialius principium ad actus Fidei eſt habitus Fidei, quàm auxilia extrinſeca. Maior tandem quotidiano conſtat experimento.

2 Confirmatur: quia Concilium Tridentinum, *ſeſſ.* 6. *cap.* 7. rationem reddens cur in juſtificatione infundatur nobis non ſolùm Fides, ſed etiam charitas, inquit: Quòd Fides ſine operibus mortua ſit, & otiota, & non conſtituat nos vivum Chriſti membrum. Quibus verbis ſatis oſtenditur ſupponi à Concilio, Fidem eſſe poſſe ſine charitate: ſiquidem ſine illa manere dicitur Fidem otioſam: quod quidem neutiquam diceretur, ſi Fides ſine charitate omnimodè implicaret. Hoc fundamentum mirabile dicit P. Arriaga, eo quòd contradictionem involvere ſibi videatur. Nam Concilium docet in juſtificatione infundi habitum Fidei: ergo non ſupponit habitum Fidei ante infuſionem gratiæ. Sed contra primò: quia ſaltem ſupponitur à Concilio habitus Fidei otioſus poſt amiſſionem gratiæ, aut tandem in quacunque alia differentia: aliàs nunquam foret otioſus; neque ut talis judicandus. Contra ſecundò: quia Concilium loquitur de infuſione habitûs Fidei; hoc tamen eſt intelligendum, ſi ante juſtificationem, habitus Fidei infuſus non dum ſit. Amplius corroboratur illud præcipuum antecedens hoc firmiſſimo fundamento. Adultus juſtificari nequit, niſi prius habeat habitum Fidei: ergo aliquando habitum Fidei ipſam gratiam antecedere neceſſe eſt. Probo antecedens: Adultus juſtificari nequit, niſi prius ſit diſpoſitus per attritionem, ſive contritionem; quælibet autem ſupponit habitum Fidei: ergo dari poteſt Fides ſine gratia, & ante illam.

Quid ſentiat P. Arriaga de hoc fundamento, ex Concilio deſumpto.

3 Argumentor Secundò. Datur gratia ſine habitu Fidei: cur ergo non dabitur Fides ſine gratia? Neque enim aſſignabilis videtur aliqua diſparitas, unde infirmari poſſit conſequẽtia. Antecedens probatur facilè, & evidenter, Quia Chriſti Anima habituali gratia fuit ornata, ut conſtans eſt Theologorum calculum nullo dempto, ſive hoc ſit de Fide, ut cenſet Suar. *de Incarnat. diſp.* 18. *ſect.* 2. quod confirmat validis teſti-

Chriſti Anima ſanctificante gratia fuit ornata, non autem Fide.

 moniis

moniis tum Patrum tum Conciliorum, tum ſacræ Scripturæ locis, quapropter de Chriſto dicitur *Actuum c.* 10. *Unxit illum Deus Spiritu Sancto, & virtute*; ſive (inquam) definitum nòn ſit, ut videtur Vaſqueſio *diſp.* 41. *ſect.* 1. qui tamen aſſerit id ſine temeritate negari non poſſe. Quia licèt Chriſtus non eguerit habituali gratiâ; ut Sanctus redderetur, hoc nanque habuit modo infinities excellentiori, per eſſentialem Divinitatem, attamen, quia gratia habitualis eſt donum quoddam perfectiſſimum, nullam involvens imperfectionem, non eſt cur Animæ Sanctiſſimæ Chriſti Dòmini, negetur hoc ornamentum. Quòd autem Chriſtus Fidem non habuerit eſt omnium Theologorum cum Divo Thoma, & ratione patet; quia Fides repugnat cum Beatificante viſione, ut mox dicam; Chriſtus autem erat aſſentialiter Beatus: igitur in Chriſto nõ erat habitus Fidei cùm tamen eſſet in eo donum gratiæ. Idem confimatur non alio principio, quod Beatis omnibus idem eſt: omnes enim Beati gratiâ; & charitate repleti ſunt, ſiquidem ex Divo Paulo 1. *ad Corinth.* 13. *v.* 8. *charitas nunquam excidit.* Unde Divus Hieronymus in hunc locum: *charitas nunquàm excidit; id eſt, ipſa ſola permanet in ſuturo*; & tamen in illis non reperitur habitus Fidei propriè dictæ, ut eſt communis Doctorum ſenſus cum Divo Thoma 1. 2. *q.*67. *a* 3. *&* 5. contra Durandum *in* 3. *diſt.* 23. contrarium opinantem. Et fundamentum eſt: quia viſio Beata, cùm ſit clara, & perfecta cognitio intuitiva Dei in ſe, nequit nòn excludere Fidem, quæ eſt cognitio obſcura alicujus rei, non in ſe, ſed ex evidentia atteſtantis. Unde inter lumen Gloriæ, & habitum Fidei inveniunt Authores oppoſitionem aliquo modo phyſicam, quanvis mediatam, ſiquidem mediis actibus viſionis claræ, & aſſenſus obſcuri ſe tantùm expellunt. Manet igitur à primo ad ultimum gratiam, & charitatem ſine Fide reperiri; & exinde Fidem ſine gratiâ etiam non poſſe negari, ut conſtat ex tota ſectione præcedenti.

Idem eſt in Beatis.

4 Sed contra oppones: Multa ſunt extrema, quorum hoc poteſt exiſtere ab illo ſeparatum, non autem é contra. Et patet, quia quælibet forma ſeparata ab una materia ad aliam divinitus, conſervaretur ſine unione præcedente, cùm tamen illius unio conſervata nequeat exiſtere ſine tali forma;

& hoc

& hoc naturaliter quaſi ad oculum videtur in Anima rationali ſeparata. Et quodlibet ens in mutatione loci conſervatur ſeparatum à primo ubi; cùm tamen nullum ubi poſſit exiſtere extra rem ubicatam: ergo ſimiliter poterit gratia inveniri ſine Fide, non Fides ſine gratia. Scio fundamentum aſſumptum (ejuſque probationes) non eſſe omnino certum apud Authores, contrarium enim tenet, ac docet Ovied. in *Phyſic. Controv.* 18. *puncto* 1. *num.* 6. Si enim divinitus quantitas à ſubjecto ſeparata exiſtit in Euchariſtia; & naturaliter adhuc actio, quæ eſt modus agentis, ſeparatur à cauſa effectiva, & recipitur in effectu producto, mirum non erit, ſi afferatur poſſe unionem, itemque ubicationem ſeparari à realitatibus, & ita conſervari. Communi autem ſententiæ adhærens, reſpondeo aſſignando dîſparitatem, ſcilicet; quia omnis entitas, cujus eſſentia in aliquo actuali exercitio conſiſtit, non poteſt exiſtere ſeparata à ſubjecto, in quo id munus actualiter exercet, aliter ſine actuali exercitio in ſubjecto aliquo ſuam conſervaret eſſentiam, quod ex ipſis terminis implicaret; cùm igitur eſſentia ubicationis ſit actualis affixio rei ad locum; & eſſentia unionis, actualis applicatio formæ ad materiam (ut eſt omnium modorum genio connaturale) inde eſt quòd neque ubicatio, neque unio, neque cæteri modi poſſint à realitatibus ſeparari. Hoc autem in Fide nequit reperiri, non enim eſt Fides modus gratiæ; neque Fides eſt actualis informatio gratiæ, unde ab illa non poſſit exiſtere ſeparata, tanquam ſi ſeparata deperderet eſſentiam, ſicut modus.

An unio, actio, & ubi poſſint extra ſubjecta, & realitates exiſtere?

5 Tertiò argumentor pro eadem ſententia. Nullum peccatum, infidelitate excepta, deſtruit objectum formale Fidei, aut ejus habitui opponitur: ergo non eſt, cur per quodlibet peccatum amittatur Fides. Antecedens per ſe videtur eſſe manifeſtum; poteſt enim quis furtum committere, & tamen Deo objectum aliquod revelanti credere: cùm in furto nullum intrinſecum prædicatum reperiatur Fidei oppoſitum. Idem tamen Antecedens ſeveriùs examinandum, & probandum ſumo. Quodvis peccatum Fidem exppelleret, aut phyſicè ſicut calor à frigore expellitur; aut meritoriè, ſive moraliter, quatenus meretur peccatum quòd Deus Fidem expellat

pellat (aut Spem) à peccatore; atqui nullo modo poteſt verificari quòd Fides expellatur, præterquam per infidelitatem; igitur non eſt dicendum quòd Fides non maneat in Anima; quæ per peccatum quodvis gratiam amiſit.

6 In minori tantùm eſt difficultas; quam tamen probo quoad utramque partem. Et primò quòd Fides non expellatur per quodvis peccatum phyſicè, demonſtro. Fides nullam oppoſitionem phyſicam habet cum avaritia, v. g. ergo phyſicé expelli nequit per peccatum avaritiæ. Probo Antecedens, 1. Quia evidenter patet poſſe aliquem egeno, & pauperi eleemoſynam denegare, ipſi tamen aliquid atteſtanti indubitanter credere: ergo actus Fidei, & avaritiæ non opponuntur phyſicé. Neque aliter ſentiendum eſt inter avaritiam, & Fidem Divinam: licét enim Fides humana à Divina differat ex parte principii ſupernaturalis, & objecti etiam ſupernaturalis; in ratione communi, & eſſentiali Fidei, & aſſenſus, utraque conveniunt; quapropter ſi oppoſito inter Fidem, & avaritiam diceretur phyſica, & naturalis, inveniretur tam in Fide humana, quàm in Divina.

Habitus Fidei non expellitur phificè per quo dcunque peccatum præter infidelitatem.

7 Secundò probatur idem Antecedens. Quia avaritia eſt inordinatus amor divitiarum, & quatuor includit: primum, quòd ſit actus voluntatis; ſecundum, quòd ipſe actus vitalis ſit; utrumque enim eſt amori eſſentiale: tertium, quòd in divitias tendat: quartum, quòd ejus tendentia inordinata ſit. Atqui nullo ex his capite avaritia opponitur Fidei; ergo nullatenus eam expellit phyſicé. Probo hanc Minorem per omnes ejus patres. Fides eſt actus intellectûs, ut eſt Catholicorum omnium contra Lutherum, & Calvinum aſſerentes cōtra Orthodoxos Fidem non eſſe aſſenſum in Articulos Fidei, propter auctoritatem Dei dicentis, & revelantis; ſed eſſe (ut ipſi hæretici docebant) actum voluntatis, fiduciam ſcilicet; quam quis habet de propria juſtificatione, & prædeſtinatione; atqui actus voluntatis non opponitur phyſicé actui intellectûs; ſiquidem oppoſitio, ut ex Ariſtotele *c.* 10. *de de Oppoſitis*, diximus, debet eſſe inter ea, quæ eidem ſubjecto viciſſim inſunt, à quo mutuò ſe expellunt; actus verò intellectûs, & voluntatis non inſunt eidem ſubjecto, ſed diverſis; videlicet intellectui, & voluntati; neque inſuper ſe expellunt actus intel-

intellectûs, & voluntatis: ergo avaritia ex hoc principio, quòd ſcilicet ſit actus voluntatis, non expellit phyſicé Fidem; imò neque ei poteſt opponi. Quòd autem avaritia non expellat phyſicé Fidem, ex vitalitatis principio patet: quia, ſi vitalitas eſſe formalis ratio expellendi Fidem, aut Spem, nulla virtus, neque etiam charitas eſſet componibilis cum Fide, eſt enim etiam actus charitatis vitalis actus à principio vitali productus.

8 Probatur quòd avaritia non excludat Fidem ex tendentia ad divitias; quia hoc objectum, & tendentia in illud nullam habet phyſicam oppoſitionem cum Fide: qui enim ad honeſtates divitias amaret; ex virtute illas amaret, ac inde ex præciſa tendentia in divitias non infertur oppoſitio ad Fidei habitum; cùm ex nulla virtute Fides expelli poſſit.

9 Supereſt tandem oſtendere quòd illa inordinata tendentia in avaritiâ, non ſit phyſicè oppoſita Fidei, quod quidem facillimè comprobatur. Illa quippe inordinatio eſt negatio debitæ rectitudinis, & moderationis in amandis divitiis; hæc autem negatio non tendit adverſùs Fidem, ſed tantùm adverſùs rectitudinem, & moderationem in appetendis divitiis; ſeu breviùs tendit in deſtructionem Temperantiæ, & non in deſtructionem alterius virtutis; quia negatio ſolùm opponitur ſuæ formæ negatæ ſola autem virtus Temperantiæ, ſive debita rectitudo (non habitus Fidei) eſt forma negata illius negationis, quam inordinationem dicimus. Unde ergo aſſumunt Adverſarij peccatum mortale avaritiæ v.g. eſſe deſtructivum Fidei, Spei, &c?

10 Reſtat probandum, peccatum quodvis (præter infidelitatem) habitûs Fidei non eſſe deſtructivum moraliter, ſive demeritoriè, aut ut communiter dici ſolet, meritoriè. Quod quidem facili negotio colligendum eſt 1. quia in quolibet peccato, præter rationem differentialem, & individuantem talis, vel talis peccati, per quam conſtituitur unum numero peccatum; duo inſuper continentur, videlicet: ratio peccati genericé ſumpti, prout eſt aliquid contra legem Dei, & ratio ſpecifica peccati, in hâc potiùs ſpecie vitii, quàm in illâ ſpecie; furti v.g. potius quàm gulæ: unde magis uni virtuti opponitur Juſtitiæ ſcilicet; & non alteri, videlicet abſtinentiæ.

Præter infidelitatem, nullum aliud peccatum eſt morale deſtructivum Fidei.

tiæ. Secundùm genericam rationem peccatum non meretur niſi privationem gratiæ: quia peccatum ex intrinſeca ratione peccati contra Deum eſt, & à Deo nos ſeparat, gratia autem ex oppoſito Deum dilectione attrahit, ipſumque in Animâ juſtificata manere facit, juxta illud: *Joan.* 14. *v.* 13. *Si quis diligit me, Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Unde, ſicut gratia expellit peccatum quapropter 1. *Petri c.* 4. *v.* 8. dicitur: *Charitas operit multitudinem peccatorum*; ita ad æquallitatem meretur peccatum expulſionem gratiæ; meritoria enim oppoſitio referri debet, proportione habitâ ad phyſicam,& naturalem oppoſitionem. Ex quo: ſicut inſpectâ gratiæ, & peccati naturâ ſi phyſicè opponerentur, ex hac genericâ ratione peccatum ſolam gratiam excluderet; ſic ſimiliter cenſendum eſt, ſi moraliter tantummodo opponantur. Secundùm rationem ſpecificam vitii, peccatum gulæ v.g.non expellit niſi virtutem abſtinētiæ;quod patet, quia vitium gulæ tendit ex adverſo in virtutem abſtinentiæ;ut eſt plus quàm indubitabile inter Philoſophos; & Theologos: ergo peccatum quodlibet neque ex ratione generica, neque ex ſpecificante, quibus conſtituitur, moralem habet oppoſitionem cum Fide; unde hæc, per quodvis peccatum expelli ab Animâ, neque in eâ remanere, amiſſâ gratiâ, dicatur.Hoc idem colligitur 2.Quia non eſt aſſignabilis ratio,cur peccatum mereri dicatur privationem habitûs Fidei, aut Spei, non autē privationem habitûs prudentiæ,juſtitiæ continentiæ,&c.Quæ omnes virtutes non ſolùm in peccatoribus, verùm etiam in gentilibus inventæ erant ſine gratia. Sicut enim habitus Fidei, & Spei Animarum ſunt ornamenta, ita etiam virtutes illæ præfatæ ſunt Animarum ornatus. Neque ſufficit quòd virtutes Theologicæ ſuperioris ordinis, & perfectionis ſint:ex hâc enim ipſâ diſparitate fortius argumentum aſſumi poteſt, admiſſâ motali tantùm oppoſitione inter virtutem, & vitium: nam, ſi homo per peccatum meretur à ſupetioribus, & excellentioribus in pœnam delicti denudari, multò magis ab inferioribus.

11 Ad pleniorem de præfatis notitiam quæres: Quomodo peccatum infidelitatis, aut hæreſis dicatur excludere habitum Fidei? Videlicet phyſicé, hoc eſt, ex natura rei; aut mora-

moraliter, hoc eſt ex ordinatione Divinâ, in pœnam delicti? Non phyſicé, ſed moraliter habitum Fidei excludi, putat Richard. *in* 1. *diſt.* 17. *a* 2. *q.* 5. Suar. *tom.* 3. *de Grat. lib.* 11. *c.* 7. Compton. *tom.* 2. *diſp.* 18. *ſect.* 3. quibus videtur accedere Div. Bonavent: *diſt.* 37. *q.* 1. §. *Ad ſolutionnm iſtorum.* Et fundamenta præfatæ ſententiæ hæc ſunt 1, Quia habitus Fidei, (& Spei) non infunditur ad inſtar habitûs naturalis ad faciliûs operandum, ſed per modum potentiæ, ad poſſe ſimpliciter operari, ut in confeſſo eſt apud omnes: ſicut igitur in potentiis naturalibus potentia intellectiva de uno objecto, quàm bene ſtare poteſt cum actu erroris circa idem objectum, non enim opponuntur phyſicè, ita neque habitus Fidei cum errore in Fide phyſicé opponentur; quapropter phyſicé ſtare ſimul poſſent habitus Fidei, & infidelitatis actus, ſi Divina ordinatio non obſtaret 2. Quia habitus Fidei infunditur à Deo creativè; ergo à ſolo Deo tolli poteſt. 3. Quia, licèt habitus Fidei, & Spei non creentur â ſolo Deo, attamen à ſolo Deo conſervantur; ergo à ſolo Deo deſtruentur 4. Quia ſi habitus Fidei phyſicé expelleretur actu contrario, maximé actu erroris; atverò habitus Fidei cum aliquo actu etroris conſtat permanere: ſi enim actus hæreſis ſit indeliberatus, aut ex ignorantià omnimodé invincibili habitus Fidei non tollitur, ut tenet communis doctrina cùm nullum in oppoſitum reperiatur, aut ex Scriptura, aut ex Conciliis, aut ex S. S. Patribus teſtimonium.

Qualiter peccatum infidelitatis, aut hæreſis excludat habitum Fidei.

12 Contraria tamen eſt (& fortaſſe verior) Sancti Thomæ ſententia, docentis habitum Fidei cum infidelitatis actu phyſicé pugnare; quod patet ex 2. 2. variis in locis: illum ſequuntur Palud: *in* 3. *d.* 28. Vaſq. 1. 2. *diſp.* 9. *c.* 4. Torres, & alij. Fundamentum eſt. Quia Fides infunditur, non ut quis cõſtituatur faciliùs & expeditiùs credens, ſed ut abſoluté, & ſimpliciter conſtituatur Fidelis, per infidelitatem verò inſtituitur quis ex ipſa infidelitatis naturâ infidelis, independenter ab aliquâ ſuperadditâ ordinatione Divinâ: ergo phyſicé, & independenter ab omni ordinatione extrinſeca opponitur actus infidelitatis habitui Fidei. Præterea actus infidelitatis connaturaliter expellit objectum formale Fidei, quatenus aſſentiri nequit teſtimonio infallibiliter revelanti; ergo etiam connatu-

raliter

raliter expellit: habitum illius. Aſt in neutra dicendi via aliquid reperitur contra doctrinam Sanctæ Matris Eccleſiæ, unde utramque probabilem cenſemus.

13 Notandum tamen pro hac ſecunda ſententia actum infidelitatis; non expellere habitum Fidei immediaté, & per ſe in genere cauſæ formalis; ſed mediaté, & in genere cauſæ efficientis; quatenus actus infidelitatis generat pertinacem adhæſionem ad proprium judicium; licét enim hæc pertinacia, & adhæſio non ſit forma directé contraria Fidei, ut cum Goneto docent plerique Thomiſtæ, directé tamen opponitur habituali ſubjectioni, & captivitati intellectûs in obſequium Fidei propter authoritatem relevantem; quæ eſt diſpoſitio omnino neçeſſaria ad conſervationem Fidei. Igitur, ſicut ille, qui deſtruit diſpoſitiones corporis humani, ad conſervationem animæ neceſſarias, phyſicé expellit Animam rationalem; in genere effectivo; ita dicendum, & judicandum eſt de actu infidelitatis ad expulſionem habitûs Fidei.

Actus infidelitatis non expellit habitum Fidei immediaté, & formaliter; ſed medeaté, & effectivé.

SECTIO IV.

Enervantur argumenta Adverſariorum.

1 ARguunt 1. ſic Adverſarij. Probabile eſt Fidem expelli moraliter, ac demeritorie, ut nuperrime diximus præcedenti ſectione, num. ultimo; eſtque aperté traditum à Doctoribus Orthodoxis, quos *num.* 6. memoratæ ſectionis retulimus, queis ſubſcribunt Magnus Suar. noſter Lorça, Beccanus, Coninc, & quamplures alij; atqui ex hac ſententia probatiſſima, neçeſſariò ſequitur Fidem expelli etiam per alia peccata præter hæreſim, & infidelitatem: ergo injuſté, ac temerarié damnatur hæc propoſitio, admiſſa ſemel illa ſententiâ, ex qua ſequitur. Probo min. in qua eſt tota hujus fundamenti vis. Blaſphemia, odium Dei, & alia id genus peccata ſunt, quæ maiorem habent in ratione demeriti deformitatem; atqui ex ratione demeriti amittitur Fides etiam per peccatum blaſphemiæ, odii Dei, &c. Maior eſt communis inter Catholicos, neque, ut puto, ullus eſt, qui eam neget: Videatur Compton. *tom.* 2. *diſp.* 18. *ſect.* 3. Gonet.

Argumentum defficile in hac controverſia.

tom. 4. *tract.* 10. *diſput.* 8. *art.* 2. §. 3. Vaſq. *tom.* 1. *in* 1. 2. *diſt.* 91. Minor conſtat ex dictis: igitur conſequentia negari nequit. Ad argumentum negatur minor, ad probationem ejus quæ magna difficultate non caret, neganda eſt conſequentia. Quia (inquit Suar. Lorca, & alij) moralis deſtructio vel eſt ex demerito, vel eſt ex indiſpoſitione ſubjecti; unde Fides vel expellitur propter demeritum, quando peccator propter infidelitatem meretur ſubtractionem habitûs Fidei; vel expellitur propter indiſpoſitionem ſubjecti, quando ſcilicet peccator non vult aſſentiri uni propoſitioni Fidei, & tunc ex hac indiſpoſitione juſtè meretur quòd Deus ab eo Fidem ſubtrahat: cùm igitur in blaſphemia, vel odio Dei neque reperiatur illa indiſpoſitio, neque demeritum, ut in infidelitate, inde eſt quòd per talia peccata Fides non ſit moraliter amittenda. Sed contra, iterum principium petunt. Unde eſt, quòd odium Dei non judicetur demeritum ad ſubractionem Fidei, cùm hoc peccatum in ratione demeritorij excedat ipſum infidelitatis peccatum?

2 Aliter reſpodet Compton. citatus, videlicet pœnam eſſe duplicem, eſſentialem unam, accidentalem alteram, argumentumque rectè probare odium Dei mereri maiorem pœnam eſſentialem, ſeu graviùs in inferno puniri: pœnam verò accidentalem, ablationem ſcilicet habitûs Fidei infuſæ, peculiari modo pertinere ad hæreſim, & infidelitatem. Sed contra: non enim apparet cur peculiari modo, abſtractio Fidei pertineat ad infidelitatis pœnam; præſertim, cùm ex ipſá reſponſione cõſtet odium Dei mereri maiorem pœnam eſſentialem; cur, quæro, uon etiam maiorem pœnam accidentalem?

3 Negandi igitur conſequentiam hanc puto eſſe rationẽ. Quia, & ſi Fides moraliter expellatur, hoc fieri debet menſurativè hoc eſt proportione ſervata, & habita inter pœnam, & naturam delicti. Quia igitur hæreſis, & infidelitas, cúm ſit peccatum, opponatur amori, & amicitiæ Dei, merito per illam Dei gratia deperditur; & cúm per illam reſiſtat peccator, Deo revelanti credere, dignus fit, qui ſpolietur habitu Fidei. E contra verò, cùm odium Dei reſiſtat amori, non verò Fidei, ideo eſt, quòd ſubtractio Fidei immeritò, & abſque proportione infligeretur peccatori in pœnam odij Dei. Unde, ſi placet,

cet, diſtinguenda eſt maior ſuprà adductæ probationis. Odium Dei habet maiorem deformitatem in ratione demeriti, nulla habita proportione, & condignitate ad ſubtractionem Fidei pro pœna delicti, concedo; proportione, & condignitate habita ad ſubtractionem Fidei, nego maiorem. Vide quæ diximus *Sect. præced. num.* 5.

4 Arguunt 2. Habitus gratiæ juſtificantis deſtruitur per quodlibet peccatum mortale: ergo ſimiliter habitus Fidei infuſæ. Antecedens eſt omninm Doctorum, ac definitum in Concilio *Trident. Seſſ. 6. de Juſtificat. cap.* 15. ubi dicitur: *Quocunque alio mortali peccato, acceptam juſtificationis gratiam amitti.* Conſequentia probatur; quia gratia eſt paſſio Fidei, emanans, & pendens ab ea, ſicut proprietas à ſua forma; atqui deſtructa paſſione, ſive proprietate, deſtructio formæ ſequitur neceſſariò: ergo, ſicut peccatum deſtruit gratiam, etiam neceſſariò, & conſequenter debet deſtruere Fidem. Ad argumentum negatur antecedens, & negatur maior probationis illius: perperam enim aſſeritur Fidem eſſe paſſionem gratiæ, aut è contra gratiam eſſe paſſionem Fidei. Licèt enim gratia dependeat à Fide ad ſui conſervationem, hoc ex eo eſt, quia ablatà Fide introducitur infidelitatis peccatum, à quo neceſſariò expellitur gratia; vel ex eo, quia Fides eſt veluti fundamentum ad reliqua dona ſupernaturalia in anima recipienda.

5 Arguunt 3. Ex 1. *ad Timoth. c.* 1. *v.* 19. ubi Divus Paulus inquit: *Bonam conſcientiam quidam repellentes, circa Fidem naufragaverunt.* Atqui per quodlibet lethale repellitur bona conſcientia: ergo per quodlibet peccatum mortale naufragatur in Fide. Confirmatur, quia multi è Sanctis Patribus docent quòd tunc tantum datur vera Fides Theologica, qvando charitas ſimul reperitur. Unde Divus Auguſt. *tract.* 49. *in Joan.* inquit. *Si Fides in nobis, Chriſtus in nobis*; ſed Chriſtus in nobis non eſt, amiſſa gratiâ per peccatum: ergo neque Fides tunc eſt in nobis. Et Divus Thomas 1. 2. *q.* 71. *a* 4. ſic inquit: *Si comparetur actus peccati ad cauſam virtutum, ſic poſſibile eſt quòd per unum actum peccati, aliquæ virtutes corrumpantur: quodlibet enim peccatum mortale contrariatur charitati, quæ eſt radix omnium virtutum infuſarum, in quantum ſunt virtutes; & ideo per unum actum peccati mortalis excluſá charitate, excludantur per conſequens omnes virtutes infuſæ.*

6

6 Reſpondetur: Apoſtolum loco ſuprapoſito ſolùm intendere malam conſcientiam, multoties diſpoſitionem, ruinam, & occaſionem eſſe ad hæreſim: ſolent enim hæretici juvenes plurimis vitiis aſſueſcere, ut ad virtutes torpentes hæreſibus ipſis adhæreant; neque aliud ſecundùm ipſum Apoſtoli dicendi modum conſtare poteſt. Unde conſequentia, ad plurimum diſpoſitivè tantùm poteſt ab adverſariis adduci. Ad confirmationem ex Divo Auguſtino reſpondeo Chriſtum in nobis non tantùm eſſe per gratiam, verùm etiam per Fidem, quapropter *ad Galat.* 3. v. 27. dicitur: *Omnes quicunque baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Hæc autem generalis, & univerſalis aſſertio intelligi nequit de Chriſti in nobis exiſtentia per gratiam, neque enim omnes baptizati gratiam conſervant, imò neque omnes gratiam accèperunt in Baptiſmo, adultus enim Baptiſmi gratiam non recipit, ſi obicem ponat; aut rectè non ſit per contritionem, ſive attritionem diſpoſitus: induimus ergo Chriſtum per Fidem, in quo ſenſu loquitur Auguſtinus inquiens Chriſtum in nobis eſſe, ſi Fides in nobis ſit, ut ex ipſo Auguſtino citato loco patet ait enim; *Si Fides in nobis, Chriſtus in nobis. Quid enim aliud ait Apoſtolus, habitare Chriſtum per Fidem in cordibus veſtris?* Ad teſtimonium Divi Thomæ dicendum: Divum Thomam nuſquam docuiſſe Fidem, aut Spem amitti in qualibet charitatis amiſſione, aliàs non admitteret Fidem informem quam dari affirmat 1. 2. *q.* 55. *a* 1. ut ſæpe diximus; neque inſuper doceret, Fidem aliquando à Deo ſine charitate infundi, ut conſtat ex 1. 2. *q.* 6. *a* 2. *ad* 3. ibi: *Dicendum quòd ille, qui accipit à Deo Fidem ſine charitate, &c.* Solùm igitur intendit Divus Thomas Fidem, ſive Spem abſque chàritate non manere in eſſe ultimato virtutis perfectæ, ſecundùm perfectionem ad ſuum ultimum finem ordinatam: ait enim loco appoſito: *Per unum actum peccati mortalis excluſá charitate, excluduntur per conſequens omnes virtutes infuſæ, in quantum* (nota) *ſunt virtutes, & hoc dico propter Fidem, & Spem quarum habitus remanent informes poſt peccatum mortale, & ſic non ſunt virtutes. Sed peccatum veniale, quod non contrariatur charitati nec excludit ipſam per conſequens etiam non excludit alias virtutes.* Proderit hìc notare quæ ſuprà diximus ſect. 1. hujus cap. num. 6. & 20. Ac demum eſt notandum, cùm

Hæreticorum aſtus, ut Chriſtianos, & Catholicos juvenes ſeducant.

Pro pleniori captu, & aliarū objectionum ſolutione videatur cap. 17. circa propoſitiones 51. & 52.

apud Sanctos Patres legitur aliquando illam tantùm Fidem eſſe Theologicam, & veram, quæ charitate ſociata eſt: eos intelligendos eſſe per veram Fidem, uſurpaſſe meritoriam, perfectam, vivam, & formatam: ſiquidem Fides, quæ charitate non eſt formata, neque eſt viva, neque finaliter perfecta, neque meritoria; quo ſenſu Auguſtinum multoties locutum fuiſſe ſect. 2. num. 7. comperimus. Huc etiam ſpectant dicenda cap. 14. circa propoſitionem 51. & 52.

SECTIO V.

Secunda pars primi præfati erroris aſſumitur impugnanda.

1 IN ſecunda hujus propoſitionis parte, mens erat quòd omnia peccatoris opera peccata ſint; ut ſuprà advertimus *cap.* 2. *num.* 4. & ex ipſa propoſitione conſtat ibi: *Quid aliud remanet niſi peccatum, & peccati conſequutiones?* Idem error per alias repetitur, & reperitur, propoſitiones, quarum jam memini citato *cap.* 2. *num.* 4. Nunc pro hâc iſtius erroris parte confutanda in hac, & aliis ſequentibus ſectionibus ſit.

CONCLUSIO

Quamplures actiones reperiuntur in homine, qui per peccatum Divinam gratiam amiſit, quæ tamen peccata non ſunt, imò Laudabiles ſunt, atque moraliter bonæ.

2 OPpoſitum docent Lutherani, & Calviniſtæ relati à Bellarmino *lib.*5. *de Grat.& liber Arbitr.cap.* 4. *& lib.* 4. *de Juſtificat à cap.* 10. His ſubſcribit Joannes Hus cum illis defendens omnia opera peccatoris peccata eſſe: aſt differt in aſſignandis principiis, quibus innitatur. Lutherus enim, & Calvinus; cùm putent hominem juſtificari per ſolam Fidem particularem, qua firmiter credit, peccata non imputari ſibi, & putent inſuper ſolam incredulitatem huic Fidei contrariam peccatum eſſe; valde conſequenter ad hæc principia dicunt: Quòd cùm homo, ſi ſit in ſtatu peccati, neceſſariò careat illà Fide, ſupponatque omnia ejus opera impu-

Error Lutheri, Calvini, & Joannis Hús.

imputari ſibi,neceſſariò etiam peccata erunt omnia illîus opera. Aliâ via incedit Joãnes Hûs: inquit enim quòd,cùm peccatũ in operante, omnia ejus opera corrumpat, exinde omnia peccatoris opera peccaminoſa, & mala debent evadere. Hoc fortaſſe fuit fundamentum Baij, qui *propoſitione* 53. juxta Bullam Pij V. ait: *Omne quod agit peccator, aut ſervus peccati, peccatum eſt.* Unde colligitur hanc propoſitionem, quam impugnandam aſſumò, multoties fuiſſe damnatam, ut dicitur in Bulla *Unigenitus*. Putat Pater Vega pro hac ſententia ſive pro hoc errore ſtetiſſe Dionyſium Ciſtercienſem, ut refert *lib.* 1. *in Trident. c.* 31. non tamen deſignat quo loco ſapientiſſimus, & piiſſimus Author in hunc errorem incidiſſet; imò ex Dionyſio oppoſitum conſtat, quia *in.* 2. *diſt.* 25. *q.* 1. *a* 2. Bravardinum impugnant, aſſerentem: quemlibet actum deliberatum voluntatis creatæ exiſtentis in peccato mortali, eſſe malum.

3 Noſtra ex adverſo concluſio eſt indubitata inter Catholicos, & inter Sanctos Patres communis, ut videri eſt apud noſtrum Illuſtriſſimum Auguſtinum Reding. Monaſteri. Einſidlenſis Abbatem, S. R. Imperij Principem tract. 4. contra Heideggerum Calvini ſectatorem, *ſect.* 2. *q.* 1. necnon apud noſtrum Eminentiſſimum Cardinalem de Aguirre *tom.* 3. *Comment. in Div. Anſelm.* variis diſputationibus. Probatur 1. ex definitione Trident. Concil. *ſeſſ.* 6. *Can.* 7. *Si quis dixerit opera omnia, quæ ante juſtificationem fiunt, quacunque ratione facta ſint verè eſſe peccata, vel odium Dei mereri; aut quantò vehementiùs quis nititur, in ſe diſponere gratiam, tantò eum graviùs peccare, anathema ſit.* Quà præeunte definitione, diſcurro in hunc modum, aſſumendo ultimam partem hujus definitionis; prima enim, eſt expreſſa noſtræ concluſionis probatio. Sic inquam, diſcurro. Peccator non poteſt ſe diſponere ad gratiam, aut remiſſionem omnium peccatorum impetrare per actiones moraliter malas; atqui ex Concilio peccator ante juſtificationem aliquas habet actiones, quibus ſe diſponit ad gratiam: ergo ante juſtificationem, aliquas habet actiones, quæ ſint moraliter bonæ. Maior conſtat. Quia per actiones malas non impetratur gratia, ſed potiùs per illas augetur offenſa Dei. Minor liquet. Et ſi attentè legatur Concilij definitio, colligetur ſa cilè ità à Concilio ſupponi.

Impius qualiter ſe ad contritionem, necnon ad juſtificationem diſponat per actus gratiæ infuſionem præcedentes.

 4 Dices

4 Dices corruere conſequentiam; ſolùm enim videtur colligi ex Concilio tales actiones, quibus peccator diſponitur ad juſtificationem, non eſſe determinaté malas: non autem colligi eas eſſe determinaté bonas. Sed contra. Primò. Ergo jam propoſitio, quam impugnamus, ſtare nequit: docebat enim, omnia peccatoris opera peccata eſſe; neque tantùm intendebat impiorum actiones eſſe non bonas, ut patet ex ipſius propoſitionis verbis relatis ibi: *Quid aliud remanet, niſi peccatum; & peccati conſequutiones?* Idem per ſequentes confirmabatur 38. *Peccator non eſt liber, niſi ad malum ſine gratiá Liberatoris.* 40. *Sine gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.* 45. *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, neceſſe eſt ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat.* 59. *Oratio impiorum eſt novum peccatum, & quod Deus illis concedit, eſt novum in eos judicium.* Contra; ſecundò: Quia Concilium memorato loco procedit contra illius temporis hæreticos, qui ſicut & hujus temporis Innovatores, docebant omnia impiorum opera peccata eſſe: dum igitur anathemate ferit aſſerentes opera ante juſtificationem facta, peccata eſſe, non tantùm vult ea poſſe eſſe indifferentia, ſed etiam bona moraliter; hanc enim obſervatur à Suario *de Grat. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 4. eſſe mentem Concilij in hac, & ſimilibus definitionibus. Contra; tertiò. Quia Concilium Tridentinum *Seſſ.* 14. *de Pœnitent. cap.* 4. *de Contritione*, apertè docet actum attritionis à peccatore conceptum, vel ex conſideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennæ, & pœnarum metu, eſſe bonum, eſſe laudabilem, eſſe donum Dei, & Spiritûs Sancti impulſum; atqui pro tunc peccator gratiam non habet; non enim protunc inhabitat in eo Spiritus Sanctus, qui impium ad attritionem movet: ergo in homine, qui per peccatum Divinam gratiam amiſit, aliqua reperiuntur opera, non ſolùm non mala, ſed etiam poſitivè bona. Utraque præmiſſa probatur non aliter, niſi ex ipſo Concilio citato loco ad finem prædicti capitis, ibi. *Docet præterea :::: Illam contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum Spe veniæ; declarat, non ſolùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem,*

Commendatur à Tridentino, attritio ſeu imperfecta contritio.

Cum Spe veniæ: ergo in peccatoribus Spes remanet.

torem,

torem, verùm etiam donum Dei eſſe, & Spiritûs Sancti impulſum; non adhuc quidem inhabitantis, ſed moventis; quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat.

5 Probatur 2. Sæpe contingit quòd homines in ſtatu gratiæ exiſtentes eliciant actus ſupernaturales virtutum, tam Fidei, & Spei, quàm Miſericordiæ, Religionis, & Pœnitentiæ, quin tales actiones actuali charitate ornentur, & ordinentur ad Deum; non enim fiunt propter Deum ſummé dilectum; & tamen prædicti actus ſunt boni: ergo etiam illæ actiones, quæ ab ipſis virtutibus fiunt, licèt ſine habituali charitate, erunt moraliter bonæ; ſiquidem etiam ſine charitate ſunt veri actus Fidei, veri actus Spei, veri actus Miſericordiæ, Religionis, & Pœnitentiæ. Confirmatur: quia charitas habitualis (ut eſt commune Theologorum in materia de Merito, & tractatu de Reviviſcentia meritorum) non eſt principium requiſitum, ut actiones, quæ profluunt ex prædictis illis virtutibus, ſint actus Fidei Spei, Miſericordiæ, Religionis, & Pœnitentiæ; ſed tantùm eſt requiſitum principium, ut actiones iſtæ ſint meritoriæ, & vivæ: ergo adhuc ſine gratia habituali erunt actus virtutum, atque laudabiles. Reſpondebunt forſitan adverſarij ad argumentum noſtrum. Actus prædictos adhuc ſupernaturales eſſe, etiam ſine actuali gratia; ex ſola tamen gratia habituali, quæ eſt in eliciente illos; quia jam inde ex ſua intrinſeca ratione, & natura, abſque ordinatione actuali, habent quòd boni ſint, & in Deum tendant. Sed contra. Quia etiam actus ipſarum virtutum ex intrinſeca ratione habituum, à quibus procedunt, habent quòd tendant in finem honeſtum, & laudabilem: ergo pariter ex hac intrinſecâ ratione erunt boni, & honeſti, atque laudabiles. Confirmatur, & corroboratur amplius hæc ratio. Tam eſſentiale eſt gratiæ elevatio ad ordinem ſupernaturalem, quàm eſſentiale eſt Religioni, Miſericordiæ, &c. tendentia in fines honeſtos, bonos, atque laudabiles; atqui actus Pœnitentiæ v.g. licèt non fiat propter Deum ſummé dilectum, ex eo quòd per actualem charitatem ordinatus non ſit; cùm tamen procedat à ſubjecto elevato per gratiam, neceſſariò eſt actus ſupernaturalis ex habituali gratia: ergo pariter actus Religionis, ſive cultus in Deum, licèt non procedat à gratia,

Actus ſupernaturales ab impiis eliciti in pluribus virtutibus.

Gratia habitualis ſolum eſt requiſitum principium, ut actiones ſint meritoriæ, non autem ut moraliter bonæ.

tia, cùm tamē producatur ab habitu Religionis, cui eſſētialis eſt tēdētia in bonū finē, evadet eſſētialer bonus, & rectus moraliter.

6 Probatur 3. Gratia habitualis vel eſſet requiſita ad actus bonos, & honeſtos eliciendos, tanquam illorum principium effectivum, vel tanquam finis ipſorum; neutro modo requiritur gratia, ut eliciatur actus moraliter laudabilis: ergo à peccatore poteſt elici actus, non tantùm non malus, verùm etiam moraliter bonus. Probo primam partem Minoris: quia, ut diſcimus ex Concilio Tridentino citato num. 5. homo deſtitutus gratiâ habituali actus attritionis elicit; neque enim hic actus procedit à Spiritu Sancto in corde impii inhabitante, ſed ex Spiritu Sancto excitante, & movente; & tamen actus attritionis eſt bonus, & ſupernaturalis: ergo ad actum bonum, imò, & ſupernaturalem eliciendum, non eſt requiſitus concurſus effectivus habitualis gratiæ. Probatur ſecunda pars; quia nulla eſt neceſſitas, ut actus ordinetur per gratiam actualem, aut habitualem ad Deum ſummé dilectum, per charitatem ſupernaturalem, ad hoc ut ipſe actus ſit moraliter bonus: ergo jam neque finaliter eſt habitus gratiæ requiſitus, ut impiorum actiones ſint bonæ: multò minus, ut non ſint malæ. Antecedens eſt certum; nullum enim eſt fundamentum, aut præceptum obligans, ſive dictans neceſſitatem ordinandi ad Deum ſummé dilectum actiones, ut bonæ ſint; tale enim præceptum non poteſt eſſe naturale; quia non ordinat circa finem ſupernaturalem, & charitatem ſupernaturalem; neque etiam poſitivum à lege aliqua impoſitum dici poterit; nullibi enim ſcriptum, ſive traditum reperitur. Imò oppoſitum docent Sancti Patres, ac Doctores communiter; nam Divus Thomas 1. 2. *quæſt.* 12. *a* 2. præcipué tamen *art.* 6. *ejuſdem quæſtionis*, *in ſolutione ad tertium*, inquit: *Non oportet ut ſemper aliquis cogitet de ultimo fine; quandocunque aliquid appetit, aut operatur.* Idem *Lectione* 3. in illa verba ad *Romanos* 14. *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*; ſic inquit. *In homine infideli cum infidelitate eſt bonum naturæ; & ideò, cùm aliquis infidelis ex dictamine rationis aliquod bonum facit, non referendo ad malum finem, non peccat: non tamen opus eſt meritorium, quia non gratiâ informatum.* Etiam Divus Bonaventura expreſſé docet nullam eſſe rationem, ob quam neceſſarium judicetur quòd opera naturaliter bona, ex charitate

Actus moraliter bonus omnino independet à gratia.

Nullum præceptum naturale, ordinat actiones ad finem ſupernaturalē.

tate debeant oriri, dirigique ad Deum ſummé dilectum; ait enim in 2. *diſt.* 41. *a* 1.*q.*3.*Non omnis actio non ordinata ad Deum, tanquam finem eſt mala.* Et ibidem poſt pauca addit: *Nec Deus requirit ab homine in ſtatu diſtractionis, & miſeriæ quòd omnia quæ facit, refertat ad ſe.* Suffragatur Subtiliſſimus Scotus in 2.*d.*14. *q.*1.*n.*4. ibi: *Non tenetur homo, nec tentione neceſſitatis, contraquam ſit peccatum veniale, referre ſemper actum ſuum in Deum actualiter, vel virtualiter, quia Deus non obligavit nos ad hoc.* Idem tenet Durandus *in* 2. *d.*38. *q.*4. *num.*8. Canus *lib.*8.*de Locis*,*cap.*4. Aguirre *tom.* 3. *in Theolog. Sancti Anſelmi tract.* 7. *cap.* 68. *diſput.* 130. & communiter Theologi. Varia Sanctorum Patrum teſtimonia in idem commodiùs reſervantur in *cap.* 15. per totum.

SECTIO VI.

Prædamnati hujus erroris fundamenta ſolvuntur.

1 OPponunt primò adverſarij Deũ in ſacris Scripturis ſæpe deteſtari aliquas actiones ex ſe bonas ex eo ſolũ quia à peccatoribus factæ erant: ergo rectè infertur quidquid in peccatore poſt peccatum remanet, peccatum eſſe, & peccati conſequutiones. Antecedens probari poteſt primò ex illo Iſai. *cap.* 1. *v.* 13. *Ne offeratis ultrà ſacrificium fruſtra: incenſum abominatio eſt mihi. Neomeniam, & Sabbathum, & feſtivitates alias non feram, iniqui ſunt cœtus veſtri. Calendas veſtras, & ſolennitates veſtras odivit anima mea; facta ſunt mihi moleſta, laboravi ſuſtinens. Et cùm extenderitis manus veſtras; avertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam; manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.* Similia habentur Jerem. *cap.* 6. *v.* 20. *Utquid mihi thus de Sabbà affertis, & calamum ſuavè olentem de terra longinqua? Holocauſtomata veſtra non ſunt accepta, & victimæ veſtræ non placuerunt mihi.* Item Amos 5. 21. *Odi, & projeci feſtivitates veſtras, & non capiam odorem cœtuum veſtrorum. Quòd ſi obtuleritis mihi holocauſtomata, & munera veſtra, non ſuſcipiam, & vota pinguium veſtrorum non reſpiciam.* Idem poteſt probari ultimò ex *Matth.* 7. *Non poteſt arbor mala bonos fructus facere.*

2 Varie

Nonnulli exiſtimant juſtitiam fuiſſe neceſſariam ad moralem bonitatem operis in celebratione veteris ſacrificij.

2 Varié conantur Orthodoxi ad hæc ſacræ Scripturæ teſtimonia reſpondere. Aliqui enim Authores ex Iſaiæ, & aliorum Prophetarum locis, prout ſuprà adduximus, putarunt quòd in celebratione veteris ſacrificij juſtitia fuiſſet neceſſaria conditio ad bonitatem moralem operis cujuſcunque. Et fortaſſe non abſque fundamento procedit hæc data ſolutio. Ipſum autem fundamentum eſt hoc: quia illud legis veteris ſacrificium erat ad placandum Deum, vel gratificandum, vel deniqué ad aliquid ab eo impetrandum; foret autem temerarium quòd quis intenderet Deum placare, gratificare, aut ab eo aliquid impetrare, cùm per peccatum in ipſius indignationem eſſet incurſus. Veram eſſe reſponſionem putant aliqui, quibus accedit Suarius Granat. *tom.* 1. *de Grat. lib.* 1. *cap.* 4. Deum per Prophetas citatis locis nos deteſtari ſacrificia, ſed ſacrificantes, qui in ſacrificiis maximé confidentes, in quibus totam juſtitiam ponebant, alia bona opera omittebant, neque in reliquis bené operari ſtudebànt. Hæc ſolutio (ſicut & præcedens) nobis non diſplicet; ipſa enim ſacræ Scripturæ valde conſonat; ſiquidem Iſaiæ *cap.* 1. citato *v.* 16. *&* 17. ipſoſmet impios, & peccatores ſacrificantes invitat Dominus, ut bene, & recté operentur; item ut plures juſtitiæ, & reliquarum virtutum operationes exerceant; quod non efficeret juſtus Deus, ſi in illis peccatum committeretur; imò verſiculo 18. ejuſdem capitis veniam promittit Deus peccatoribus, qui à perverſis operationibus quieſcentes, benefacere ſtuduerint: aſt peccatorum veniam per iterata crimina nullus conſequitur: ergo actiones, ad quas à Deo impij vocantur, & per quas reconciliatio promittitur, peccata non ſunt dicenda. Verba autem Iſaiæ, quæ nuper allegavimus, ut ex ipſiſmet apertiùs conſtare poſſint quæ diximus, ea ſunt: *Lavamini, mundi eſtote; auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis; quieſcite agere perverſé. Diſcite benefacere: quærite judicium, ſubvenite oppreſſo, judicate pupillo, defendite viduam. Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur; & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.*

3 Ad teſtimonium ex Divo Matthæo, ultimo loco adductum, reſpondendum eſt Chriſtum Dominum ibidem al-

legorice

legoricé fuiſſe locutum, ſignificationem ſcilicet de arboribus ad homines transferendo; ideoque teſtimonium illud non eſſe ita rigidé aſſumendum, ut inferatur ex illo quòd, ſicut bonæ arbores ſemper faciunt bonos fructus, malos autem malæ, ita etiam peccator, qui dicitur arbor mala, ſemper faciat malos fructus, ideſt, mala opera. Ratio autem, cur illud Chriſti Dòmini effatum non ita rigoroſé debeat intelligi, eſt primò: quia, ut eſt Axioma commune, in exemplis non requiritur omnimoda, & rigoroſa veritas. Secundò; quia arbor, cùm ſit cauſa neceſſaria, & quæ per exigentiam naturalis virtutis operatur naturaliter,& neceſſariò,etiã naturaliter, & neceſſariò prorumpit in fructus vel bonos, vel malos juxta naturales proprietates, quas habuerit. At verò homo etiam in peccato exiſtens, cùm aliquos habere poſſit virtutum habitus, eoſque conſervare, ut laté diximus *cap.3. ſect.1. à num. 5. & ſect.* 2. & inſuper cùm ſit cauſa libera, poteſt adhuc pro libito producere bonos fructus; ſi per eoſdem virtutum habitus operetur. Solùm igitur non poteſt arbor mala, ideſt peccator, bonos fructus facere, operando ut arbor mala, hoc eſt, per habitus vitioſos.

4 Opponunt ſecundò. Datur præceptum, quod ſæpe in ſacris Literis reperitur, eliciendi ex Charitate omnes actiones noſtras humanas, hoc eſt deliberatas; atqui hoc præceptum non adimpletur ab Anima, quæ Deum, & ipſius gratiam amiſit: ergo talis Anima Deum offendit in cunctis actionibus ſuis. Minor per ſe liquet; quæ enim Anima Charitate denudata eſt, nec unam quidem actionem ex Charitate, velut ex comprincipio effectivo, poteſt elicere. Maiorem probari putant ex illo Apoſtoli 1. *ad Corint. c.16. v.* 14. *Omnia veſtra in Charitate fiant*; nec minus fundari dicunt in alio ejuſdem Epiſtolæ loco *cap.* 10. *v.* 31. ibi *ſive manducatis, ſive bibitis, ſive quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Et hanc Apoſtoli doctrinam non tantùm eſſe conſilium, ſed præceptum continere docent plures Interpretes cum Carthuſiano, Lyrano, Hugone, & aliis, quos Eſtius, & plures ſequuntur; unde Laurentius Neeſſen *tract.* 1. *de Actibus humanis q.* 1. *dub.* 10. inquit: *Debent omnia ex Charitate, ideſt affectu Syncero Divini amoris fieri.* Et addit: *Quod non eſt conſilij, ſed præcepti,*

De præcepto eliciendi ex charitate omnes actiones.

quod

quod obligat, non tantùm ſemper, ſed pro ſemper.

5 Confirmant. Certum apud omnes eſt inſtare præceptum, & naturale, & Divinum, diligendi Deum ex toto corde, & ex tota Anima; ſed hoc præceptum non adimpletur, ſi actiones noſtræ deliberatæ non fiant propter Deum ſummé dilectum; ergo in his actionibus peccatum committitur. Præterea. Actiones, quæ non fiunt ex gratia, & Charitate Divina, non ſunt propter Deum ſummé dilectum, ſed in peccatore non proveniunt actiones ex gratia, aut Charitate: ergo actiones ejuſdem non ſunt propter Deum ſummé dilectum; ac inde omnes peccaminoſæ ſunt; quapropter valde conſequenter aſſeritur in Anima, quæ Dei gratiam amiſit, nil remanere, niſi peccatum, & peccati conſequutiones. Maior præcipui Syllogiſmi reperitur Deuteronomij 6. v. 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota Anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Quod etiam reperitur *cap.* 11. *v.* 13. & *cap.* 10. *v.* 12. Idem perhibetur Matth. 22. *v.* 37. Minor probari dicunt: nam, ſi quis opus aliquod moraliter bonum exequatur, Miſericordiæ, aut Temperantiæ v. g. quod propter Deum ſummé dilectum non ſit tanquam propter finem ultimum, jam Deum non dicetur amare ex toto corde, & ex tota Anima; & licèt honeſtè operari videatur, dum ab honeſtate objecti movetur finaliter, attamen in re peccaminoſé procedit; jam enim cor quodammodo dividit, partem enim (aut totum) impendit in obſequium illius honeſtatis objectivæ creatæ, propter quam agit. Unde illud adducunt ex Divo Thoma de Villa-Nova *Concion.* 1. *in Domin.* 17. *poſt Pentecoſten. Si quam igitur cogitationem, ſi quam dilectionem in alio expendis; ſi quid aliud cupis, aut ſapis: ſi quid agis, vel meditaris, quòd ipſe* (Deus) *non eſt, aut propter ipſum eſt, fur es, & latro, & alienum eſt, quod prodigis. Omnis ergo cogitatio, & actio, quæ non eſt propter Deum, turpis, & illicita eſt.*

6 Ad argumentum Maior examinari deberet; multi enim, & primæ lineæ Interpretes cum A' Lapide ad Textum Apoſtoli ex *cap.* 10. *ad Corint.* dicentis; *omnia in Dei gloriam facite*, hoc negant eſſe præceptum, & conſilium tantùm eſſe docent. Neque præterea hic Textus valde urget contra communem

munem Eccleſiæ doctrinam. Aptior pro confirmando adverſariorum errore, videtur Textus alter ejuſdem Apoſtoli: *Omnia veſtra in Charitate fiant.* Hoc tamen præceptum indiſtinguitur à præcepto diligendi Deum, & conſervandi ejus gratiam habitualem, & nihil faciendi, quod Charitati ſit contrarium, ut exponunt Interpretes cùm Hugone Cardinale. Quapropter non peccaret contra hoc Apoſtoli præceptum qui aliquid ageret ſine gratia habituali; ſed qui aliquid exequeretur, per quod Charitas, ſive gratia deperderetur. Nec multum refert quod ex Laurentio Neeſſen adducitur; non enim hic ſolus Author, ſed plures alij, quos nominare pudet, Lovanij, & in aliis locis per Belgium ita docuerunt; quos tamen nullius authoritatis cenſere debemus, neque ab hæreticis diſcernere; cùm id ipſum prius tradidiſſet Michael Baius, quem poſtea (& qui præceſſerunt hæreticos) ſecutus eſt Janſenius. Quibus præſuppoſitis, diſtinguo maiorem. Datur præceptum eliciendi ex Charitate omnes actus deliberatos ad Charitatis conſervationem, & commendationem, concedo; ad actuum, qui ex Charitate non ſint orti, condemnationem, & reprobationem, nego maiorem. Commendatur igitur Charitas, nè aliquid ipſi oppoſitum fiat; non verò damnatur actus, qui ex Charitate non ſit: ſiquidem in juſtis etiam multa ſunt opera, quæ ex gratia non fiunt, videlicet puré moralia, v. g. amicitiæ, prudentiæ politicæ, &c. item alia mere naturalia, quæ ex Charitate non ſunt. In peccatoribus autem plura etiam reperiuntur, quæ & ſi in gratia non fiunt peccata tamen non ſunt, ex eo quòd ſint neceſſaria, vel indifferentia, &c. Textus Apoſtoli explicatur.

7 Reſpondetur ad confirmationem concedendo maiorem. Eſt tamen advertendum præceptum de diligendo Deo poſitivum, ac affirmativum eſſe, quapropter non pro ſemper obligare dicitur, ſed ſemper, & quandocunque ſolùm. Unde confirmatió urgere nequit, ex illo enim affirmativo præcepto inferre intendit obligationem pro ſemper, & pro omnibus actionibus. Præſertim verò negatur minor: ut enim præceptum de diligendo Deo plené ſervetur, & perfecté impleatur, ſatis erit quòd nullum committatur, quod ex genere ſuo peccatum ſit veniale, ſive mortale, unde charitas Præceptum diligendi Deum qualiter obligett

Dei

Dei deperdatur, vel ejus perfectio, & augmentum impediatur. Imò, cùm Deus ſit ultimus finis omnium virtutum moralium, qui aliquam amaret propter ejus propriam honeſtatem, tanquam propter ejus finem proximum, nullo alio turpitudinis fine intento, eo ipſo diceretur, implicité ſaltem, propter Deum operari; ſiquidem ad illum ut finem ultimum ordinaretur honeſtas illius moralis virtutis. Neque exinde cor quaſi divideretur, nullum enim obſequium creatæ honeſtati præſtaretur, quod ad ipſum Deum ultimò non ordinaretur. Neque oppoſitum inſinuat illud Sancti Thomæ de Villa-Nova *num.* 5. hujus ſectionis exſcriptum.

8 Opponunt tertiò illud ex Divo Auguſtino *lib. de Grat. & libero Arbitrio, cap.* 18. *Hæc omnia præcepta dilectionis, ideſt Charitatis, talia, & tanta ſunt, ut quidquid ſe putaverit homo facere bene, ſi fiat ſine Charitate, nullo modo fiat bene.* Item ex eodem Sancto Doctore *lib.* 5. *contra Julianum cap.* 3. *Totum recte fit; quando fit propter ipſum; ideſt, quando magis amatur ipſe, qualis amor nobis eſſe non poteſt, niſi ex ipſo.* Ex quibus ſic in ſuum errorem fundantur. Quidquid fit ſine Charitate, non bene fit; atqui peccator cùm à gratia denudatus ſit, omnia ſine Charitate agit: ergo peccator nihil bene agit. Vel ſic: Totum bene, & recte fit, quando fit propter Deum, & ex ejus amore; nullum peccatoris opus fit ex amore Dei, & ex Charitate, ut effectivo principio: ergo à peccatore nullum opus recté procedit. Utriuſque ſyllogiſmi maior eſt ipſa Divi Auguſtini propoſitio, exinde cætera recté ad concludendum procedunt. Certè in hoc ſecundo Doctoris Africani teſtimonio præjacto nihil contra Sanctæ Eccleſiæ doctrinam, aut pro adverſariorum errore reperiri video: dum enim docet totum fieri recté, quando propter Deum totum fit; aut quando *magis* (ſeu potiùs *gratis*, ut habent emendatiora exemplaria) amatur ipſe Deus, non indicat cætera omnia peccata eſſe. Igitur pro primo, juxta id, quod ſonant Divi Auguſtini verba, firmiſſimé ſtandum eſt: poſteriùs autem; id inquam, quod inferunt adverſarij; admitti nequit, utpote veræ doctrinæ repugnans. Ad primum ergo teſtimonium reſpondeo Sanctiſſimum Præceptorem non loqui abſoluté, & univerſim, ſed tantùm quando urget præceptum dilectionis Divinæ; tunc enim exigit ipſius præcepti ratio ut nihil ſine

Chari-

Charitate fiat, neque quidquam amplius colligitur ex citato loco, ut ex eodem patet. Exinde ad primum Syllogiſmum diſtinguo maiorem. Quidquid fit ſine Charitate, non benè fit, dum urget Charitatis præceptum, concedo; eo præcepto non urgente pro tunc, nego maiorem: & conceſſa minori, ſub data diſtinctione nego conſequentiam. Ad alterum teſtimonium etiam diſtinguitur maior. Totum bene fit, quando fit propter Deum, & ex ejus amore, præciſé ſecundùm id, quod tantummodo affirmatur, conceditur: excluſivè, id eſt, reprobando, ac damnando quidquid ex amore Dei non oritur; negatur maior: & inde conſequentia non procedit rectè, mutat enim, ac variat ſenſum, & ſuppoſitionem maioris præmiſſæ.

9 Opponunt quartò alia aliorum Patrum teſtimonia, ut ſanæ doctrinæ ſpecie venenata dogmata poſſint abſcondi. Illud in primis eſt ex Sancto Proſpero *lib. de Vocatione gentium*, ubi apertè contra Catholicæ Eccleſiæ doctrinam videtur dixiſſe: *Homo, etiamſi in bonis moribus agat, malè adhuc vivit, ſi non in Dei gloriam vivit.* Quæ Sancti Proſperi verba, & ſi pauca, plura pro adverſa ſententia continere videntur. Ille enim homo dicitur in gloriam Dei non vivere, qui per peccatum gratiam ipſius Dei amiſit, & ſervus Diaboli factus eſt; atqui talis *homo, etiamſi in bonis moribus agat, malè adhuc vivit*: ergo ipſius mores, etiam boni, peccata ſunt. Accedit Divi Thomæ teſtimonium ex 2. 2. *q.* 83. *a* 14. *Cauſa orationis eſt deſiderium Charitatis, ex quo procedere debet oratio.* Unde ſic poterunt adverſarij argumentum conficere in hunc modum. Oratio debet procedere ex Charitate; hæc in peccatoribus non eſt: ergo oratio illorum non procedit rectè, ac per conſequens nequit non eſſe peccatum. Hoc autem de oratione ſemel admiſſo, de cæteris actionibus, aliàs bonis, neceſſariò debet affirmari.

10 Reſpondetur cum noſtro Cardinali de Aguirre, Theologo ſanè doctiſſimo, & Egregio *in cap.* 68. *Monolog. Sancti Anſelmi, diſput* 130. *ſect.* 13. Sanctum Proſperum intelligendum eſſe de homine qui agit in moribus ſolùm in officio bonis, non autem ex fine. Nam licèt mores in officio boni ſint, quia verſantur in materia ad virtutem moralem ſpectante;

tante; ſi tamen ex fine mali ſint, ut v. g. inanis gloriæ, ambitionis, quæſtûs, &c. non ſufficiunt, ut aliquis bene vivat. Quiſquis enim ſuis actionibus ex officio bonis vitioſum finem præſcribit, ipſas actiones depravat, redditque vitioſas: moralis enim malitia, non ſolùm deſumitur ex objecto, verùm etiam ex fine, ut eſt Theologorum doctrina. Aliter verò cenſendum eſt de illo, qui agit in actionibus tam ex officio bonis, quàm ex fine honeſtis; tales enim actiones jam inde habent unde in Dei gloriam cedant: ultimus enim finis virtutum moralium Deus eſt, ut ſuprà diximus in hac ſectione *num.* 7. Non ſecus Divum Thomam accipiendum eſſe judico: neque enim dicit orationem debere procedere ex charitate, ſed ex deſiderio illîus, unde inquit: *Cauſa orationis eſt deſiderium charitatis* ad hoc, ut finem ſiniſtrum, & vitioſum excludat. Imò ex eodem Divi Thomæ loco noſtra confirmatur concluſio; cùm enim deſiderium ſit de re non dum poſſeſſa, unde 1. 2. *quæſt.* 33. *a.* 2. deſiderium dicitur *appetitus rei non habitæ, &* 1. *p. q.* 20. *a.* 1. *deſiderium eſt de bono non habito*, evidenter infertur ex Angelico Doctore, orationem rectè procedere, etiam in non habente gratiam, dummodo ſit ex intentione adquirendi illam. Hæc obiter damus in præſentium ſolutionem; nam *cap.* 16. *ſect.* 2. *&* 3. ex profeſſo examinabimus: Utrùm ad bonitatem actuum humanorum requiratur charitas influxiva, & ordinativa illorum?

SECTIO VII.

Diſcutiuntur, & rejiciuntur poſtrema illa verba ejuſdem propoſitionis: Superba paupertas, & ſegnis indigentia, hoc eſt, generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum.

Homo in peccatum lapſus adhuc habet neceſſariam potentiam ad bene operandũ.

1\. UT tandem hominem à cunctis bonis ſpoliatum faciat poſt peccatum, concludit adverſariorum protervia ipſum manere per culpam indigentem, & ſegnem, pauperem, (licèt ſuperbum) & generaliter impotentem ad omne opus bonum, præſertim ad orationem. Licèt autem hoc ipſum ſufficienter ſit ex præcedentibus impugnatum, adhuc

huc tamen amplius Dico. Homo in peccatum lapſus, habituali gratiâ deſtitutus, adhuc habet potentiam neceſſariam, quâ uti poteſt, ſi velit, imò & quà multoties pro eodem ſtatu utitur, tum ad orationem, tum ad alia bona opera, præſertim moralia.

2 Oppoſitum huic Catholicæ reſolutioni valde arriſit Luthero, ut patet ex quâdam ipſius *Epiſtola ad Georgium Spalde*; item Calvino *lib.3.inſtitut.cap.*14.Chamiero *lib.*4. *cap.*10. Baio, & aliis liberi arbitrij vires plus juſto extenuantibus. Noſtra verò reſolutio eſt omnium Catholicorum, inter quos aliqua reperitur Theologica diſſenſio. Licèt enim omnes conveniant in hoc, quòd ſine gratiâ juſtificante bona aliquot opera expedité exerceri poſſint ab impiis; ulterius diſputare ſolent: Utrùm requiratur ſaltem aliquod auxilium, ſive aliqua gratia per Chriſtum? Gregorius Ariminenſis *in* 2.*diſt.*28.*a.*1. *Conc.* 1. Alphonſ.de Caſtro *lib.7.contra hæreſ.*Roffenſis *contra Luther.*Sotus, Vaſques, Contenſonus de *Gratia tom.*5.*diſſertat.*2.*ſpeculat.*2. aſſerunt non poſſe hominem efficere aliquod opus morale etiam ex facilioribus, niſi interveniente auxilio Divinæ gratiæ.

Utrúm ad bene opetandum moraliter requiratur ſaltem auxilium Divinæ gratiæ?

3 Alii cum Bellarmino, & Vega, quibus accedit noſter Purpuratus de Aguirre, docét poſſe hominem in ſtatu peccati unũ, vel aliquod opus borũ ex facilioribus in genere moris expeditè agere abſque ſupernaturali auxilio Divinæ gratiæ. Negãt igitur Authores memorati poſſe hominem lapſum ſine adjutorio ſupernaturali elicere actũ pœnitentiæ, quæ ſit perfecta peccati deteſtatio, præſertim propter Deum; cùm enim hic actus ſit quædam contritio, haberi nequit ſine gratiâ. Eandem difficultatem agnoſcunt in actu amoris proximi, & inimicorum præcipué, juxta naturale præceptum, quo illos tenemur ſicut nos ipſos diligere; & hoc propter iſtiuſmodi dilectionis arduitatem. Idem ſentiunt circa obſervationem continentiæ, & multò magis virginitatis: de primæ enim obſervatione dicitur *Sapient.*8.*v.*21. *Et ut ſcivi, quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det. Et hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire cujus eſſet donum.* Idem ergo à fortiori de ſervanda virginitate tenendum eſt; docet enim Apoſtolus 1. *ad Corint.* 7. virginitatem donum Dei eſſe; quapropter Chriſtus Dòminus *Matth.*19.inquit: *Non omnes capiunt verbnm iſtud, ſed quibus datum eſt.*

Sententia negativa, circa opera difficilicra.

Sententia affirmativa circa omnes actus morales; quanvis propter extrinſeca impedimenta id non fiat aliquando.

4 Alii tandem cum Suario Granat *de Grat tom.1.lib.1.cap.* 37. tenent omnes actus virtutis moralis fieri poſſe ab impio, & peccatore abſque auxilio gratiæ, quantum ab intrinſeco eſt in ipſis actibus; quanvis propter extrinſecas difficultates multoties fieri non poſſint ſine auxilio prædicto. Hæc autem difficultas (ut ipſi dicunt) aut eſt gràvis tentatio, aut eſt diuturna perſeverantia, cum uniformitate operandi benè, vel in executione factà, vel objectiva propoſità, ut actu abſoluto, & efficaci ametur; quod neque fit per longum tempus, neque cum victorià omnium tentationum, ad hoc enim neceſſarium erit auxilium gratiæ, ut docet Divus Thom. 1. 2. *quæſt.* 109. *a* 4. *&* 8. Magiſt. *in* 2. *diſt.* 26. 27. *&* 28. Richard. Ariminens: Capreol. Henricus *Quodlibet*. 5. *q.* 20. *&* *Quodlibet.* 6. *q.* 11. veg. *quæſt.* 13. *de Juſtificat.* *&* *lib.* 12. *in Trident. cap.* 21. *&* 22. Eſtque omnium ferè Theologorum.

Gratia habitualis ad bona opera naturalia non requiritur.

5 Aſt, quidquid ſit de neceſſitate auxilij, certum eſt apud omnes ad opus bonum morale exequendum gratiam habitualem, ſeu gratum facientem non eſſe neceſſariam. Unde ad orationem, & alia bona opera elicienda peccator impotens non eſt dicendus. Conſultò dixi gratiam ſanctificantem non requiri ad actus moraliter bonos, jam enim ex dictis *ſectione* 3. *num.* 1. ſatis conſtat poſſe ſine gratia elici actus Theologicarum virtutum, Fidei ſcilicet, aut Spei, non tamen Charitatis: licét non negem adhuc ad ipſos actus Fidei aut Spei, imò, & moralium virtutum, ut ſint ſicut oportet, hoc eſt cum meritò ſalutis, aut gratiæ, requiri neceſſariò gratiæ Sanctificantis habitum, ut conſtat ex Patribus, & Conciliis contra Pelagianos, & SemiPelagianos. Noſtra concluſio probatur primò (& quò ad orationem expreſſé) ex *Matth.* 7. *v.* 7. *&* 8. *Petite, & dabitur vobis; pulſate, & aperietur vobis: Omnis enim, qui petit, accipit, & qui quærit invenit, & pulſanti aperietur.* Ibi Chriſtus docet inſtanter eſſe orandum, hæc autem doctrina de oratione non ad ſolos juſtos coarctabatur; ut enim patet ex citato Matthæi capite, verſiculis 3. 4. & 5. etiam ad hypocritas Chriſtus ibi loquebatur, ſi autem in peccatore non eſſet ad orandum potentia, à Chriſto non eſſent ad orationem invitandi. Deinde etiam ad eleemoſynam excitantur peccatores ipſi, tum à Prophetis, tum à Chriſto; atqui non eſſent ad bona hæc opera

Excitantur ad orationem, etiam peccatores, item ad eleemoſynas.

exci-

excitandi ablatâ ad executionem illorum potentiâ: ſiquidem deficiente potentiâ, actus redditur impoſſibilis: ergo quòd in Anima per peccatum detur generalis impotentia ad orationem, & ad omne opus bonum, falſum omnino eſt. Maiorem eſſe indubitabilem indicant innumera Sacræ Scripturæ teſtimonia, quorum aliqua proferam. Primum ſit ex Daniel. *cap.4.verſ.24.* ubi Propheta impio, ac peccatori Regi conſulens, eum inducebat, ut per eleemoſynas, & cætera miſericordiæ opera ſtuderet Deum facere placabilem: *Peccata tua* (inquiens) *eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum; forſitan ignoſcet delictis tuis.* Neque dicas tales eleemoſynas ſolùm eſſe materialiter, non autem formaliter bonas; quatenus ſine gratia, & ipſæ elargitiones pietatis eſſent peccata. Non, inquam, id aſſeras; quia tali abſurdo perſeverante, præfata opera potiùs inſervirent ad juſtitiam,& iram Dei concitandam, quàm ad conſequendam delictorum veniam, quæ ex Prophetæ conſilio intendebatur, atque expectabatur. Secundum, & huic primo valde ſimile teſtimonium, habetur *Luc.c.* 11. *v.*41. ubi Chriſtus ad Phariſæos inquit: *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Tertium tandem ex *Actuum capite* 8. *v.* 22. Ubi Apoſtolus Petrus Magum illum Simonem perverſum, & iniquum ad pœnitentiam, & orationem excitabat, dicens: *Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum.*

6 Secundò eadem concluſio variis rationibus oſtenditur, quarum prima, & præcipua hæc eſt. Gratia ſolùm eſt requiſita ad opera ſupernaturalia, quæ ſunt ad ſalutem æternam, quoquo modo, proximè ſcilicet, aut remotè conferentia; ſed opera, quatenus moraliter tantùm bona, v. g. eleemoſyna, continentia, charitas proximi, & alia idgenus non ſunt ad vitam æternam conferentia, ut contenta intra ſolius naturæ ordinem: ergo non eſt cur abſque gratia habituali talia opera exerceri non poſſint; ſive, non eſt unde ad illa requiratur gratia. In maiori eſt tota controverſia, non quidem inter Authores Orthodoxos, ſed hos inter, & hæreticos; probari tamen poteſt efficaciter in hunc modum. Quoties effectus aliquis in cujuſvis cauſæ virtute continetur, non requiritur ex parte cauſæ alterum aliud principium, quod cauſam

Rationibus probatur independētia actionum naturalium à gratia habituali.

 ipſam

ipſam elevet, ut producatur effectus ille in ea cauſa contentus; atqui bona opera, quæ ſunt talia ſolùm moraliter, ſunt opera naturalia, contenta in virtute cauſæ naturalis: ergo ad illa non requiritur ex parte cauſæ gratiæ ſanctificantis elevatio; ſed ad ea ſolùm, quæ ſupernaturalia cùm ſint, excedunt naturalis cauſæ virtutem. Maior eſt indubitabilis, etiam apud Philoſophos. Minorem neminem negaturum cenſeo; aliàs ſic infero: ergo opera moraliter tantùm bona erunt ſupernaturalia, & æternæ vitæ meritoria de condigno. Quod ſi concedant adverſarij ex eo quòd ad omne opus bonum gratiam neceſſariam eſſe dicant conſequenter, aſſignare debent quodnam interſit diſcrimen inter opera moraliter, & ſupernaturaliter bona.

7 Alia ratio in probationem ejuſdem. Diſcernere bonum à malo, verum à falſo, & minus bonum à maiori, conſequenterque ipſum bonum præ malo eligere, ac deligere, eſt (ut patet) bonum morale; atqui hoc ipſum eſt opus independens à gratia: ergo poterit exerceri ab Anima, quæ gratiam Dei amiſit, independenter ab omni adminiculo gratiæ ſanctificantis. Minor probatur, quia id ipſum eſt ab eádem natura inditum. Et confirmatur, quia juxta Divum Anſelmum in *Monolog. cap. 68. Rationali naturæ non eſt aliud eſſe rationalem, quàm poſſe diſcernere juſtum à non juſto; verum à non vero; bonum à non bono. Hoc autem poſſe inutile eſt illi, & ſupervacaneum, niſi quod diſcernit amet, vel reprobet, ſecundùm veræ diſcretionis judicium.* Hæc ſatis puto pro noſtra affixa veritate oſtendenda; præcipuè, cùm huc ſpectare poſſint plura ex ſupradictis.

SECTIO VIII.

Solvuntur argumenta, quæ adverſùm doctrinam præcedentem poterunt inſurgere.

1 INſurgent primò, fundaméto ex ſacra Scriptura deſumpto; à Chriſto enim *Joan. 15.* dicitur: *ſine me nihil poteſtis facere*; quod etiam ex *2. ad Corinth. 3.* conſtat; ibi enim ſic inquit Apoſtolus: *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Atqui ſi aliquod opus

Opponuntur aliqua teſtimonia Sacræ Scripturæ.

opus moraliter bonum poſſet independere à gratiâ, poſſet aliquid fieri à nobis, quod non eſſet ex Deo, & inſuper ſufficientia noſtra ad illud eſſet quaſi ex nobis: ergo abſolutè tenenda eſt generalis illa impotentia ad omne opus bonum, ſemel avulſâ ab Animâ gratiâ per peccatum. Hic autem diſcurſus confirmatur ex Auguſtino, qui *lib. 2. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 8.* inquit: *Quis enim poteſt bona cogitatione ad bonum cor præparare?* Vel igitur hoc opus, quod dicitur moraliter bonum, eſt cum bona cogitatione, vel ſine illa, ſi eſt ſine illa: ergo non eſt bonum morale; ſi cum illa, tunc urgent Sancti Doctoris verba relata: *Quis poteſt bona cogitatione ad bonum cor præparare?*

2. Reſpondeo ex Scripturâ nihil contra communem Eccleſiæ doctrinam inferri poſſe. Siquidem ex primo loco præjacto hoc tantùm colligitur; quòd cùm Deus ſit cauſa prima, creaturæ autem cauſæ ſecundæ, nihil poſſint operari (ſi Textus intelligatur circa bona naturalia) ſine Deo ut prima cauſa concurrente. Unde dicitur eodem ſenſu *ad Roman. 11. v. 36. Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Et 1. *ad Corinth. 12. v. 6. Qui operatur omnia in omnibus.* Et hic in Sacro Textu dicendi modus valdè communis eſt, ut liquet ex Iſai. 26. v. 12. *Domine, omnia opera noſtra operatus es.* Et *Actuũ 17. v. 28. In ipſo vivimus, movemur, & ſumus.* Hæc ſolutio eſt ad mentem Divi Auguſtini *de bono Perſeverant. cap. 13. & lib. 5. de Geneſ. ad literam cap. 20.* Quo ſenſu interpretandus eſt locus ex ipſo Divo Auguſtino ſuprà adductus, vel etiam de cogitatione, & præparatione ad bonum ſupernaturale. Reſpondeo ad ſecundum ſacræ Scripturæ teſtimonium; ibi ſolùm intendi ſufficientiam noſtram ad Fidem, & reliqua opera æternæ vitæ meritoria ſolùm eſſe ex Deo per gratiam: non igitur loquitur ſcriptura de operibus moraliter, & intra naturæ ordine bonis. Unde Auguſtinus relato *cap. 13. de bono Perſeverantiæ* inquit: *Quod attinet ad pietatis viam, & verum Dei cultum; non ſumus idonei cogitare aliquid tanquam ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.*

Præjacta teſtimonia explicãtur in ſenſu Catholico, & vero.

3. Inſurgent ſecundò. Concilium Arauſicanum II. ſub Felice IV. ſæpe ſtatuit nullum actum, ſecundùm omnes circunſtantias honeſtum, fieri poſſe ſine gratiâ; quod ex variis ejuſ-

ejuſdem Concilij Canonibus apertè demonſtratur; nam Canone IV. dicitur: *Voluntatem noſtram à Domino præparari ad bene operandum.* Et Canone IX. *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum, ut operemur operatur.* Clariùs adhuc Canone XX. *Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo. Nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præſtet ut faciat homo.* Similiter Canone XXII. ipſa propoſitio, quam impugnamus, approbari videtur à Concilio, ait enim: *Nemo habet de ſuo, niſi mendacium, & peccatum; ſiquis autem homo habet veritatem, atque juſtitiam, ab illo fonte eſt, quem debemus ſitire in hac eremo.* Tandem Canone XXIII. *Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agũt, quod Deo diſplicet. Quando autem ita faciunt quod volunt, ut Divinæ ſerviant voluntati, quanvis volentes agant quod agunt, illorum tamen voluntas eſt, à quo præparatur.* Idem fortaſſe perhibetur in Concilio Milevitano II. ſub Innocentio III. præcipuè Canone IV. Et Ipſe Innocentius in Epiſtola ad Concil. Milevitan. inquit: *Omnia ſtudia, & omnia opera, ac merita Sanctorum ad Dei gloriam, laudemque referenda ſunt hoc eſt, Divinæ gratiæ debent adſcribi*: Quod etiam docuerant Prædeceſſores ejuſdem, ac Cæleſtinus *in Epiſtola ad Epiſcopos Galilæ cap.* 8. Hæc omnia confirmari poſſunt ex Concilio Palæſtino ſub Innocentio I. in quo Pelagius ex Divi Auguſtini doctriná coactus fuit profiteri cum Patribus ejuſdem Concilij: *Gratiam Dei ad ſingulos actus ſine noſtris meritis dari*; quòd teſtatur Auguſtinus *Epiſt.* 106. & 107. & latuis videri poteſt apud Suar. *de Grat. tom.* 1. ubi invenitur aureus ille *Divi Auguſtini Hiponenſis Epiſcopi liber ad Sanctum Epiſcopum Aurelium, de geſtis Pelagij contra adverſarios gratiæ Domini noſtri JESU Chriſti.*

Objectio deſumpta ex Cōcilio Arauſicano, & Milevitano.

4 Reſpondetur in præfatis Conciliis, & eorum Canonibus ſuprá relatis præſentem diſputationem minimé tangi; ibi enim ſolùm agunt Patres contra Pelagium, & ipſius aſſeclas, negantes Divinæ gratiæ neceſſitatem ad omnia, & ſingula opera, quæ diſponunt, aut aliquò modo conferunt ad æternam ſalutem; minimé autem de his, quæ ad honeſtatem moralem intra naturæ terminos tantùm continentur. Noſtra ſolutio eſt indubitabilis, ſi examinetur ſenſus Conciliorum locis ſuprà allegatis. Aſt, quia non omnibus ad id erit opportunitas, pro confirmanda noſtra ſolutione ſaltem erit attendendum

Argumenti ſolutio.

Con

Concilium Palæſtinum, Milevitanum, & Arauſicanum ſolùm damnare intendiſſe circa doctrinam de Gratia, id quod à Pelagio divulgabatur: quod quidem à præſenti arguendi ratione contra Eccleſiæ doctrinam longè abeſt. Angelico Præceptori diſplicere nequit noſtra reſpondendi ſemita; cùm enim *quæſtione 24. de Veritate, art. 14. ſimilia ſibi objeciſſet argumenta, reſpondit: Ad ea verò, quæ ſunt in contrarium adducta, patet ſolutio, quia vel procedunt de bono meritorio, vel oſtendunt quòd ſine operatione Dei homo nullum bonum opus poteſt facere.*

5 Adhuc tamen videbitur ſolutione indigere Canonem illum Concilij Arauſicani II. qui in ordine XXII. eſt, videlicet: *Nemo habet de ſuo niſi mendacium, & peccatum; ſiquis autem homo habet veritatem, atque juſtitiam, ab illo fonte eſt, quem debemus ſitire in hac eremo.* Iſtiuſmodi enim Canon præter ſolutionem expenſam aliam videtur poſtulare, præcipuè cùm etiam directè pertineat ad Sectionem V. hujus capitis, in qua oſtendimus nec omnia peccatoris opera peccata eſſe. Sciendum igitur eſt hominem per virus originalis peccati, quo ad ſufficientiam ſatis meruiſſe moralem carentiam poteſtatis, ad omne opus bonum morale; quod eſt Theologorum commune, ac planum ſequenti exemplo, quia etiam dæmones, & reliqui damnati eadem morali poteſtate carent in pœnam delicti. Quapropter ipſa poteſtas moralis, quam homo poſt originale, imò & poſt actuale peccatum habet ad quodvis opus bonum, adhuc ex facilioribus, qua poteſtate carère ſatis meruit, datur illi de facto ex gratia generali, & indulgentiâ Dei intra naturæ ordinem; poterat enim Deus, jure ſuo utens, hominem poſt peccatum dicta poteſtate privare. Hoc quidem negare non intendimus in præſenti; hoc enim eſt, quod ab Arauſicano Concilio Canone ſuprà relato diſcimus. Negamus igitur ſolummodo cum Eccleſiæ ſana doctrina, donum aut collationem iſtius moralis poteſtatis in homine poſt peccatum ad opera moraliter bona eſſe gratiam aliquam ſpecialem Theologicam, aut Supernaturalem, per Chriſti merita peculiariter conceſſam.

Quidam Canō Concilij Arauſicani proponitur ad ſolutionem.

Ex gratia, & indulgētia Dei conceſſa eſt homini poſt peccatum moralis poteſtas ad opus bonū naturale.

6 Hunc autem eſſe genuinum, & proprium ſenſum Concilij, & Patrum in hunc modum ſæpe loquentium invenitur paſſim apud Doctores Catholicos, unde Cardinalis

Aguirre

Aguirre in Commentariis noſtri Divi Anſelmi *tom. 3. tractatû 7. cap. 68. diſput. 117. ſect. 5. numer. 36.* hanc tenet aſſertionem. „In homine lapſo eſt poteſtas naturalis antecedens, „ ſive in actu primo proximo ad unam, vel aliam actionem, „ ſive operationem ex facilioribus moraliter bonam, & con- „ tentam omnino intra ordinem naturalem, independenter „ ab auxilio ſupernaturali gratiæ actualis, ſive ſpecialis per „ Chriſtum conceſſæ; dependenter tamen (*nota*) ab adjutorio, „ & concurſu propitio Dei Auctoris naturalis, quo indignum „ ſe reddidit propter peccatum, & potuiſſet juſté ſpoliari „ inſtar hominum damnatorum.

7. „ Idem docuerat vir Doctiſſimus *eadem diſput. ſect. 2. n.* „ 11. ibi ſuppoſita doctrinâ Catholica de peccato originali, „ naturam humanam vi illius ſe conſtituiſſe indignam omni „ dono gratuito Dei; ac proinde non poſſe Deum injuſtitiæ „ accuſari, ſi non daret omnibus auxilium ſufficiens ad ſalu- „ tem, quæ doctrina certiſſima eſt (inquit Bellarminus *lib. 2.* „ *de Gratia, & libero Arbitrio cap. 4.*) apud eos, qui ex Sacris „ literis peccatum originale noverunt. Similiter certum eſt „ naturam humanam ex eodem capite ſe conſtituiſſe indig- „ nam omni poteſtate conſequenti; præſertim morali, & „ prorſus expedita, ad bonum quodlibet morale agendum, „ ſive magnum, ſive parvum. Meruit enim ſtatim ſubire dã- „ nationem æternam; in qua nulla hujuſmodi poteſtas eſt ad „ bonum agendum; licèt principia intima, & phyſica ad be- „ ne agendum, quæ inſeparabilia ſunt à rationali natura, ut „ indicat Anſelmus, ſemper adſint. Quare, ſi natura lapſa in „ peccatum originale adhuc retinet poteſtatem omnino expe- „ ditam ad agendum aliquod bonum, quantumvis exiguum, „ totum id oritur ex miſericordia Dei, cedentis juri ſuo, ad „ damnandum ſtatim hominem, & collocandum in eo miſero „ ſtatu, omnis ejuſdem poteſtatis ad bonum expertem. Hoc „ ſenſu dicitur (notandum) in Concilio Arauſicano II. Ca- „ none XXII. *Nemo habet de ſuo, niſi mendacium, & peccatum;* „ nimirum attenta indignitate ex peccato originali, aut etiam „ perſonali orta; ob quam homo meruit carére omni poteſta- „ te morali, & expedita ad quodlibet bonum agendum, ſubin- „ deque ſe conſtituit dignum, ut à Deo ſinatnr ſemper labi

„ in

„ in malum, & peccatum, uti contigit in damnatis, niſi per
„ miſericordiam ipſius excitetur, & adjuvetur ad vitandum
„ malum, & agendum bonum. Eodemqueſenſu Sanctus Au-
„ guſtinus *libro de Naturâ, & Gratia, capite* 5. aiebat: *univerſam*
„ *maſſam naturæ Lapſæ pœnas debere, & ſi omnibus debitum dam-*
„ *nationis ſupplicium redderetur, non injuſte proculdubio reddendum.*
„ Et Anſelmus *libro de Concordia quæſt.* 3. *cap.* 13. inquit de ea-
„ dem natura lapſa. *Quantum in ipſa eſt*) nimirum attenta in-
„ dignitate propria) *neceſſitate injuſta, & ancilla injuſtitiæ eſt,*
„ *quia per ſe nequit redire ad juſtitiam.* Præterea dicitur, & verè
„ dicitur, neminem noſtrûm habere *de ſuo niſi mendacium, &*
„ *peccatum*; quia omne ad verum cognoſcēdum, & bonum agē-
„ dum, quantunvis exile, & tenue ſit, dependemus omnino à
„ protectione, & adjutorio actuali Dei, ſaltem quatenus
„ Auctoris, & Perfectoris naturæ rationalis; quo adjutorio
„ non interveniente, prorſus in mendacium, & peccatum la-
„ beremur. Id verò adjutorium naturale ad omne prorſus bo-
„ num non videtur agnoviſſe Pelagius, & ejus reliquiæ, tan-
„ quam omnino neceſſarium; imò nec ad initium ſalutis, ut
„ conſtabit ex dicendis, &c.

8 Inſurgent tertiò. Si gratia non eſſet neceſſaria ad bonum opus morale, quodcunque illud ſit, poſſet homo gloriari de operibus moraliter bonis, tanquam ſuis, à propria, & naturali virtute, ſolummodo provenientibus; ſed hoc eſt contra Apoſtolum, & Auguſtinum *lib. de Gratia, & liber. Arbitr. cap.* 11. ergo. Confirmatur; quia Oratio ſolùm eſt neceſſaria ad impetrandum id, cujus neceſſitatem habemus; atqui etiam ad exequendā bona moralia gratiam poſtulare debemus: ergo gratia neceſſariò requiritur ad omne opus bonum exequēdum, ita quòd, dēpta, gratia generalis remaneat impotentia ad omne opus bonum, etiam morale, & intra naturæ terminos. Maior videtur eſſe Divi Auguſtini paſſim dicentis: *Fruſtraneā eſt petitio pro eo quod quis habet in poteſtate.* Minor conſtat ex praxi Eccleſiæ, quæ etiam ad opera, & inter naturalem ordinem, contenta gratiam exorat, ut patet in oratione Dominicæ ultimæ poſt Epiphaniam, ibi: *Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut ſemper rationabilia meditantes, quæ tibi ſunt placita, & dictis exequamur, & factis.*

9 Ad argumentum negatur maior; nam etiam excluſa neceſſitate gratiæ ſupernaturalis, & ſanctitificantis ad opera moraliter bona, à Deo habemus quòd ipſa operemur, ut diximus *num.* 2. hujus ſectionis. Ad confirmationem negatur minor, ſi hæc intelligatur de ſupernaturali gratia, habituali, et ſanctificante. Neque enim in illa oratione pars aliqua reperitur, ex qua conſtet gratiam ſanctificantem eſſe petendam, ut poſſint exequi bona moralia. Præterea, ſi argumentum, ſive ejus confirmatio aliquid de ſupernaturali gratia concluderent, id eſſet ad plurimum de gratia actuali, movente, aut auxiliante; quo ſenſu dicitur ab Eccleſia in Oratione Dominicæ decimæ ſextæ poſt Pentecoſten: *Tua nos, quæ ſumus Domine, gratia ſemper & præveniat, & ſequatur; ac bonis operibus jugiter præſtet eſſe intentos.* Quod quidem adjutorium Divinæ gratiæ, requiri ad omnia opera moralia exequenda, acriter defendit Vaſques, & Authores alij Catholici, quorum ſuprà memini ſectione 7. num. 2. Nullum tamen invenitur fundamentum, ut aſſeratur habitualem gratiam ad id eſſe requiſitam.

Non poſtulatur gratia ad exequenda bona opera naturalia



CAPUT

CAPUT IV.

Circa ſecundam, tertiam, & quartam ex damnatis propoſitiones.

1 SEcunda propoſitio ita aſſerit: *JESU Chriſti gratia principium efficax boni cujuſcunque generis neceſſaria eſt, ad omne opus bonum. Abſque illa non ſolùm nihil fit, ſed nec fieri poteſt.* Duo in hac aſſertione includuntur æqué abſurda. *Primum* eſt: Quòd Chriſti gratia ſit principium *neceſſarium* in genere effectivo ad omne opus qualitercunque bonum. *Secundum* conſequenter inſurgens eſt: quòd abſque gratia impoſſibile ſit aliquod bonum opus: ſiquidem ſine gratia nullum opus bonum fit, neque fieri poteſt. Hic ſecundus error, non ſolùm impugnabitur ſequenti *ſectione II. num.* 2. & ſequent; ſed etiam *cap. 7. ſect. II.*

Propoſitio II. proponitur, & exponitur.

2 Quæres. Qualiſnam ſit hæc gratia, ad bonitatem operis requiſita neceſſariò? Reſpondent eſſe gratiam habitualem, hoc eſt, gratum facientem, ſive ſanctificantem, & quæ per peccatum amittitur, ut patet ex prima propoſitione, de quà latè egimus toto cap. præcedenti; & conſtat ex pluribus, inter ſequentes propoſitionibus quibus aſſeritur conſtanter omnia illa opera peccata eſſe, quæ à gratia ſanctificante, ut à principio effectivo, non oriuntur. Unde propoſitione 45. dicitur: *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, neceſſe eſt ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat.* Propoſitione 47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte; & hic fons eſt charitas. Quando Dei amor eſt illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum eſt quod apparet exterius, alioquin non eſt niſi hypocriſis, aut falſa juſtitia.* Propoſitione 49. *Ut nullum peccatum eſt ſine amore noſtri, ita nullum eſt opus bonum ſine*

Præſens propoſitio duplicé continet errorem; & ex oppoſito ſtatuuntur duæ concluſiones.

amore Dei. Et ſimilia in aliis propoſitionibus, ex quibus omnibus conſtat habitum charitatis, ſive gratiam habitualem, & ſanctificantem eam eſſe, quæ in hac ſecunda propoſitione dicitur principium efficax boni cujuſcunque generis, neceſſaria ad omne opus bonum; ſine qua non ſolùm (ut dicitur) nihil fit, ſed nec fieri poteſt. Quo circa duo pro vera doctrina ſtatuenda ſunt in præſenti. *Primum ſit.* Habitus gratiæ ſanctificantis non requiritur neceſſariò ad eliciendos actus naturaliter bonos. *Secundum ſit.* Neque eſt talis habitus requiſitus ad quamplures actus ſupernaturalis ordinis; multi enim actus ſupernaturales fiunt, & fieri poſſunt abſque gratia ſanctificante. *Primum* ſatis conſtat ex cap. præcedenti. Vide Sectiones 5. 6. 7. & 8. *Secundum* ex ſequentibus conſtare poterit.

SECTIO I.

Excluditur generalis illa neceſſitas gratiæ habitualis ad omnes actus ſupernaturales.

1 ACtus Fidei Theologicæ eſt actus ſupernaturalis; & tamen elicitur à peccatoribus, gratiâ ſanctificante carentibus: ergo habitus gratiæ non requiritur neceſſariò ad omnes actus ſupernaturales eliciendos. Maior probatur primò. Ens ſupernaturale illud eſt, quod nunquam naturæ viribus fieri poteſt; & hoc ſive quo ad ſubſtantiam, & entitatem, ſive ſolùm quoad modum, juxta genium ſupernaturalitatis ipſius entis; atqui actus Fidei Divinæ elici non poteſt per ſolas vires naturales, ſic enim definitum eſt in Concilio Milevitano, Arauſicano II. & Tridentino *Seſſ. 6. Can. 3.* contra Pelagium aliter ſentientem: ergo. Eadem maior probatur ſecundò. Habitus Fidei eſt ſupernaturalis; & hoc definitum eſſe à Tridentin. docent Hurtad. Lug. Curial. *tom. 2. quæſt.* 110. *art. 2.* Veg. *lib. 7. in Trident. cap.* 24. & alij: ergo ejuſdem actus ſupernaturales ſunt. Probatur conſequentia. Quia ſi actus iſti non continerent prædicatum aliquod ſupra naturæ vires, neutiquam poſtularent à principiis ſupernaturalibus produci. Jam verò minor præcipui Syllogiſmi patet ex ſupradictis præcedenti *cap. 3. Sect. 3. num. 1.*

Actus Fidei eſt ſupernaturalis, & tamen elicitur ab impiis.

Di-

2 Dicent. Concilium Tridentinum *Seſſ. 6. Can. 3.* expreſſé definit, neminem *ſine Spiritûs Sancti inſpiratione, ejuſque adjutorio credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet*: ergo adhuc requiritur Divina gratia ad actus Fidei eliciendos ſicut oportet. Reſpondetur primò Concilium relato loco ſolùm intelligendum eſſe de actu Fidei, Spei, charitatis, ac pœnitentiæ elicito *ſicut oportet*, hoc eſt, cum merito Divinæ gratiæ, aut gloriæ; ad hoc autem ſtatus habitualis gratiæ requiſitus eſt. Secundò, & propriùs reſpondetur Concilium ibi non loqui de gratia habituali, ceu ad Fidem neceſſaria; ſed tantùm de gratia actuali, hoc eſt de motione, auxilio, & inſpiratione Spiritûs Sancti, ſine qua nullus poteſt in Deum credere ut oportet. Et hoc videtur apertiſſimum: Concilium enim Pelagianum errorem damnare intendebat; qui initium Fidei, & ſalutis ex ipſa natura eſſe docebat. Hoc patet ex eodem Concilio ſupramemorata *Seſſ. 6. cap. 5.* ſic dicente: *Declarat præterea ipſius juſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum, gratiâ præveniente, ſumendum eſſe; hoc eſt, ab ejus vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur: Ut qui per peccata à Deo averſi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe, ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando diſponantur ita, ut tangente Deo cor hominis per Spiritûs Sancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat, inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abjicere poteſt, neque tamen ſine gratia Dei movere ſe ad juſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit, &c.*

Noſtra doctrina non opponitur Concilio Tridentino.

3 Præterea nihil communius apud Authores, & Patres, quàm celebris illa gratiæ diviſio in *habitualem*, & *actualem*. Habitualis (cujus generis eſt gratia ſanctificans) illa eſt, quæ per modum qualitatis permanentis infunditur. Actualis, quæ nobis datur per modum auxilij tranſeuntis; quæ etiam ſubdividitur *primò* in excitantem, & adjuvantem. *Secundò* in prævenientem, & ſubſequentem. *Tertiò* in operantem, & cooperantem. *Quartò* in efficacem, & ſufficientem, ſeu, ut alij dicunt, in congruam, & non congruam; cujus præcipuæ diviſionis gratiæ (hoc eſt, in habitualem, quæ hominem ſanctificat, & actualem, quæ tantùm excitat, prævenit, &c. ad gratiam ſanctificantem) claram reperimus doctrinam in Tri-

Multiplex gratiæ diviſio.

dent. *Seſſ. 6. Canon.* 21. ibi: *Si quis dixerit juſtificatum ſine ſpeciali Dei auxilio perſeverare poſſe, anathema ſit.* Ecce habetur gratia habitualis ſanctificans primis illis verbis: *Si quis dixerit, juſtificatum.* Gratia verò actualis per modum auxilij cæteris verbis ſequentibus: *Sine Speciali Dei auxilio.* Idem docetur à Concilio Arauſicano II. *Canon.* 10. ibi: *Adjutorium Dei etiam renatis, ac ſanctis ſemper eſt implorandum.* Prolixiùs autem apud Trident. *Seſſ. 6. cap. 6. & 7.*

Quia impius per actus ſupernaturales ſe ſe diſponit ad gratiam; ſequitur ipſam gratiam non præ-requiri ad actus ſupernaturales eliciendos.

4 Ex quibus aliud argumentum conficio ad veritatem affixam in titulo hujus ſectionis comprobandam. Actus, quibus impius ſe ſe diſponit ad gratiam ſanctificantem ſuſcipiendam, ſunt ſupernaturales actus; ſed impius ſe diſponens ad gratiam ſanctificantem accipiendam, nondum habet ipſam gratiam ſanctificantem: ergo falſò aſſeritur *gratiam ſanctificantem eſſe principium efficax boni cujuſcunque generis; & ita neceſſariam ad omne opus bonum, ut abſque illa non ſolùm nihil fiat; ſed neque fieri poſſit.* Utraque præmiſſa conſtat ex Trident. citat. *Seſſ. 6. cap. 6. & 7.* præterea probatur maior, quia oppoſitum Pelagianum eſt. Minor ex ipſis terminis fit evidens; omnis enim diſpoſitio ad formam recipiendam ipſam ſupponit abſentem; unde à Philoſophis communiter cum P.P. Conimbricenſibus 1. *Phyſicor. cap. 5. quæſt.* 1. abſque lite docetur privationem eſſe principium formæ introducendæ.

5 Sana doctrina ſtabilitur amplius. Si ad aliquos actus bonos, & ſupernaturales gratia habitualis foret neceſſarium principium effectivum, maximé ad actus charitatis, ſive amoris Dei; atqui gratia dici nequit indubitanter quòd ſit principium influens effectivé in actus charitatis, ſive amoris Dei: ergo neque ad alios ſupernaturales actus erit habitualis gratia effectivum principium, neceſſarium. Maior fundatur in maxima affinitate, quam habent actus charitatis cum ipſa gratia habituali ita, quòd exiſtiment aliqui Authores gratiam eſſe ipſum habitum charitatis, neque inter ſe diſtingui habitus charitatis, & gratiæ; cui ſententiæ ſubſcribunt Scotus, & ejus diſcipuli; item omnes ferè Nominales, quibus accedunt Bellarminus *lib. de Gratia, & libero Arbitr.* Alexander, Henricus, Albertus, Richardus, Gabriel, Marſilius, Durandus, & alij apud Suar. *lib. 7. de Gratia, cap.* 12. Ad probationem minoris

eſt

eſt advertendum, eam ſolùm procedere in opinione Divi Thomæ, inter Theologos communiori, quæ docet gratiam, & charitatem habitualem diſtingui realiter, & ſi nunquam poſſint ſeparari ab invicem, ut videri eſt apud Gonetum *tom. 4. diſp. 2. de eſſentia gratiæ art. 6.* Becanum *tract. 4. de Gratia, cap. 1.* Qua opinione ſuppoſita, dico gratiam non influere in actus charitatis, neque eorum eſſe principium proximum effectivum. Ita Pater Arriaga *tom. 5. Theolog. tract. de Charitate Divina diſp. 36. ſect. 5. num. 43.* quanvis Suarius oppoſitum doceat motus inſtantià deſumpta ab Animæ operationibus, quam nos infra ſolvemus. Probatur igitur minor illa multipliciter. *Primò*; quia gratia, & habitus charitatis, juxta Authores poſtremæ ſententiæ, non ſolùm diſtinguuntur formaliter, hoc eſt, ſecundùm propriam utriùſque naturam; ſed etiam effectivè, ſcilicet propter diverſos effectus, quos producunt: ergo alius eſt effectus, quem gratia producit, & in quem influit, & alius, quem charitas producit. *Secundò*: Quia nulla eſt implicantia, ut ſola charitas, & non gratia, ad actus charitatis concurrat; ergo dicendum quòd ſola charitas influat in ſuos actus: non enim eſt cur ſine neceſſitate ejuſdem effectus cauſæ ſint multiplicandæ. *Tertiò*: quia habitus Fidei per ſe ſolum eſt cauſa ſuorum actuum: ergo idem dicendum de habitu charitatis.

Oſtenditur habitum gratiæ neque in actus charitatis effectivè influere.

Gratia, & charitas in multorum opinione diſtinctæ, non ſolum propter effectus diſtinctos, ſed etiam formaliter, ſive ex natura rei.

6 Dicent. Anima ſimul cum potentiis influit in actus vitales: ergo etiam gratia ſimul cum habitibus ſupernaturalibus, qui ſunt veluti quædam potentiæ ſupernaturales, influet in actus ſupernaturales. Unde confirmari poteſt falſa doctrina hujus ſecundæ propoſitionis. Sicut enim, ſublatà Animà, neque amplius remanent potentiæ, neque actus illarum; ita ſublata gratià, neque poſſunt remanere habitus ſupernaturales infuſi, neque illorum actus, ad quos influxus gratiæ, ſemper concurrit. Hoc argumentum confirmatur ex aliquibus, quæ ſupponuntur in ipſo; quæ tamen aut ſunt omnino certa, aut valde recepta, & probabilia. Videlicet, *primò*: quòd gratia non ſe habeat per modum alicujus habitûs infuſi, in aliquam Animæ potentiam, intellectum ſcilicet, aut voluntatem. Secundò quòd ſubjectetur in Anima immediaté per modum naturæ, ſeu ad inſtar eſſentiæ ſupernaturalis.

Gratia non infunditur in aliqua potẽtia per modum habitus, ſed immediate in anima per modum eſſentiæ ſupernaturalis.

 naturalis.

naturalis. Utrumque autem eſt apud Thomiſtas indubitabile. Unde cùm Anima, ejuſque eſſentia influat in omnes ſuos actus ita quòd, neque actus, neque potentiæ extra Animam conſerventur, ita ſimiliter, ut actus, & habitus ſupernaturales conſerventur, pendent à ſimul exiſtente gratia; in ea enim, tanquam in naturâ propriâ, recipiuntur habitus ſupernaturales, per quos ipſa gratia producit actus virtutum; ſicut natura, & Anima per ſuas naturales potentias actus ſuos producit.

7 Reſpondetur negando conſequentiam argumenti præcipui, & conſequentiam probationis, ſive confirmationis. Neque enim eſt verum habitum Fidei, & Spei habitum (aliter dicendum de habitu Charitatis) dependere ad exiſtendum à coexiſtente gratia; neque item eſt verum gratiam influere effectivé in actus ipſorum habituum ſupernaturalium. Exemplum autem de paritate Animæ nihil concludit. *Primò.* Quia, cùm potentiæ naturales ſint Animæ potentiæ, & ſubjectentur in ea; per eaſdem, tanquam per proprias facultates, debet Anima operari, ipſæque potentiæ ab Anima pendere ad exiſtendum, tanquam à ſubjecto. Cùm verò habitus Fidei v. g. neque recipiatur in gratia tanquam in ſubjecto, ſed in intellectu; neque ſit facultas conceſſa gratiæ, tanquam naturæ ad operandum, ſed tradita Animæ, & intellectui ad credendum; inde eſt quòd neque Fides pendeat à gratia ad exiſtendum, neque actus Fidei producantur à gratia, quanvis ex illa digni fiant ad meritum. *Secundò.* Quia hic arguendi modus eſt inutilis ad concludendum; ſiquidem ſupponendo illa duo ex Angelica Divi Thomæ doctrina, videlicet quòd gratia infundatur per modum naturæ, & eſſentiæ ſupernaturalis, & quòd ſit diſtincta ab habitu Charitatis, unde non infundatur per modum potentiæ in voluntate: hæc inquam ſupponendo; ab exemplo Animæ rationalis, à qua pendent potentiæ ad exiſtendum, & operandum; infert etiam in habitibus ſupernaturalibus dependentiam à gratia, tum ad exiſtendum, tum ad operandum. Quæ quidem diſcurrendi via nequit non corruere. Ratio eſt. Quia hæc principia, & ſuppoſitiones, quibus argumentum fundatur, ſunt tantùm probabilia: ergo ex illis ſolùm poteſt deduci probabilis concluſio:

Diſparitas inter Animam, ejuſque potentias, & gratiam per ordinem ad habitus virtutum Theologicarũ.

cluſio: nam juxta Logicos, ex præmiſſis probabilibus non oritur concluſio certa, & infallibilis, ſed tantùm probabilis. Concluſio autem probabilis tantùm non derogat concluſiones, & dogmata infallibilia, & certiſſima, quæ ab irrefragabili Eccleſiæ Oraculo habemus. Unde licét non daremus aptiſſimam ſolutionem ad argumentum, ex paritate Animæ conſtructum, qualiter ſe habet noſtra reſponſio, ac diſparitas *primo* loco exhibita paulò ſuprà, adhuc argumentum nihil convinceret, erraret enim in logicali procedendi modo.

SECTIO II.

Tertiæ, & quartæ propoſitionis ſenſus exponitur; quæ inſuper impugnatæ corruunt.

1 EST igitur tertia propoſitio: *In vanum, Domine, præcipis, ſi tu ipſe non das quod præcipis.* Et huic non diſſimilis quarta: *Ita Domine, omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis; eadem operando in illo.* Docet utraque propoſitio (quantum ex ipſis colligi poteſt) hominem nihil operari, exequendo mandata Dei, ſed ipſum Deum eſſe, qui in homine mandata ſua exequitur, ut liquet ex illis verbis, *ſi tu ipſe non das quod præcipis*; item que ex illis, *omnia poſſibilia facis eadem operando in illo.* Id ipſum apertiùs traditur à Queſnello, præſentium errorum impudentiſſimo anteceſſore in ſua *Theologia morali admentem* (ut ipſe inquit) *Magni Auguſtini* 1. *part. tract.* 5. *cap.* 1. Inquit enim: *Quid eſt gratia actualis in hoc ſtatu naturæ lapſæ? Reſpondeo. Si illam conſideres ex parte Dei, non eſt aliud, quàm ipſe Deus gratuitò in nobis operans bonum velle, & perficere. Si autem illam conſideres ex parte noſtra, aliud non eſt, quàm effectus ipſius Dei, gratuitò in nobis operantis, bonum velle, & perficere.* Et infra: *Nec opus eſt dicere quòd gratia in ſtatu naturæ lapſæ ſit qualitas Animæ inhærens, cùm Deus operari poſſit per ſe immediatè, quod operari poſſet mediante iſta qualitate.* Hæc autem ſatis oſtendunt in tertia, & quarta propoſitione ex damnatis hoc intendi; quód executio mandatorum effectus & operatio ſit, non hominis, ſed *Dei in nobis operantis per ſe ipſum immediatè* quod præcipit.

Tertiæ, & quartæ propoſitionis tenor, & ſenſus.

Error utriuſque propoſitionis.

2 Unde

Magnum abſurdum ex his propoſitionibus deductum.

2. Unde ſequitur evidenter, ſi Deus non exequatur in nobis per ſe, & immediaté id, quod nobis præcipit, nobis eſſe impoſſibilem mandatorum ſuorum executionem. Id inſinuatur aperté tota propoſitione tertia: *In vanum, Domine, præcipis, ſi tu ipſe non das quod præcipis.* Neque in quarta propoſitione ejuſdem erroris obſcurum eſt teſtimonium, quod reperitur. In ea ſiquidem præcepta Dei ſolùm judicantur poſſibilia reſpectu illorum, in quibus Deus ipſe perſe operatur, & exequitur ea, quæ præcipit. Nota. *Omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis, eadem operando in illo.* Neque ſit ad dubitandum occaſio, quòd in his propoſitionibus, dum dicitur Deum operari mandatorum ſuorum executionem, per ly *Deum* Divina gratia intelligenda ſit, ut colligitur ex propoſitione octava ibi: *Participes ſumus ipſius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.* Nam apud defenſores iſtius noxæ ſectæ, ſi gratia conſideretur *ex parte Dei, non eſt aliud, quàm ipſe Deus*; ſi conſideretur *ex parte noſtra aliud non eſt, quàm effectus ipſius Dei.* Ex his autem aperté colligitur hanc doctrinam à Calviniſtarum errore non exulare, qui bonorum operum merita à ſola gratia laudabiliter operante deſumebant contra Pelagianos, qui merita bonorum operum ſoli arbitrio creato, naturæque viribus tribuebant; inter quorum abſurda medio tutiſſimo eſt Catholicorum doctrina, meritum noſtrum eſſe ex arbitrio creato, & gratia ſupernaturali ſimul cooperantibus.

Deus nihil præcipit impoſſibile.

Operatio Divinæ gratiæ non excludit noſtrã cooperationem

3. His poſitis, duo ſunt ſtatuenda adverſùs præfatos errores. *Primum* ſit. Deus nihil in vanum præcipit, aut quod ſit impoſſibile. Omnia enim, quæ Deus præcipit, poſſibilia ſunt ex gratia, & Deo, qui nos confortat. *Secundum* ſit. Divinæ gratiæ operatio in nobis, & cooperatio nobiſcum non tollit, quominùs operemur, & exequamur id, quod Deus nobis præcipit, & à nobis poſtulat. Imò Divina gratia ut operemur operatur. Primum eſt non ſolùm contra hujus temporis hæreticos, ſed ex oppoſito contra Calviniſtas, docentes Deum aliqua præcipere impoſſibilia. Probatur primò. Vel enim Deus ſua præcepta proponit obſervanda, vel non obſervanda. Si primum; ergo ipſa præcepta obſervanda,

ſunt poſſibilia, nec præcipiuntur in vanum; *non enim injuſtus eſt Deus*, ut inquit Apoſtolus *ad Hebr. cap. 6. v.* 10. ut à nobis poſtulet ſeveré, & ſub præcepto, quod reddere non poſſimus. Si autem ſecundum aſſeratur: ergo potiùs dicendum non eſſe præcepta ipſa, quæ à Deo non obſervanda præciperentur; in Deo enim *mendacium non eſt*, ut ait Joan. *Epiſt. 1. c. 2.* Quapropter, ut unum, & alterum fugiatur inconveniens, dicendum Deum nihil in vanum præcipere.

4 Dices præcepta Dei abſoluté eſſe poſſibilia; aſt in vanum præcipi; quia quoties Deus, & ejus gratia illa non operatur in homine, reſpectu ejuſdem redduntur impoſſibilia. Sed contra. Nunquam enim peccatori deeſt, neque Deus illi denegat quidquid neceſſarium eſt ex parte ipſius peccatoris, ut conſtituatur potens ſicut in actu primo, & veluti in potentia proximá ad executionem mandatorum, & legis implementum, ut infra latiùs expendemus *cap. 7. Sectione* 2.

Gratia ſufficiés & neceſſaria ad implementum legis, nobis non deeſt.

5 Probatur ſecundò. Quia præcepta Dei, vel ut poſſint obſervari, ſufficiunt naturæ vires, vel ad obſervarionem opus eſt viribus ſupernaturalibus, & gratiæ. *Si primum*; multi enim Doctores Catholici tenent ad vincendas tentationes leves, & obſervandam Dei legem, ſaltem per non longum ſpatium, non indigere hominem auxilio ſupernaturali gratiæ; ut docent Divus Bonavent. *in 2. diſt. 28. art. 2. q. 2.* Ægid. *dub. 4. & 5. §. Ad primum*, Veg. *opuſc. de Juſtific. q. 12. & 13.* & alij, quos ſequitur Suarius *tom. 1. de Grat. lib. 1. cap. 23. num.* 13. Si *primum* inquam: ergo dici nequit, præcepta Dei in vanum eſſe, cùm ex ſolo uſu arbitrij creati, obſervari poſſint. Si *ſecundum* (ut certé dicendum eſt de obſervatione legis, per longum ſpatium: vel etiam intra breve tempus, ſi in illo gravis tentatio occurrat) adhuc obſervatio legis, & mandatorum impoſſibilis non eſt, neque in vanum præcepta Dei ſunt; tale enim auxilium quod ſufficiat ad obſervantiam legis, & victoriam tentationum, ſemper adeſt ex miſericordia Dei, ut conſtat ex Scriptura, & Patribus. Unde Div. Thomas 3. *contra gentes cap.* 159. inquit *Deus quantum ex ſe eſt paratus eſt omnibus dare gratiam, vult enim omnes homines ſalvos fieri.* Et *lection. 3. in cap. 12. Epiſt. ad Roman.* ait. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ideo gratia nulli deeſt, ſed omnibus, quantum in ſe eſt, ſe communicat.*

6 Quia

6 Quia autem hic eſt difficultatis cardo, non ultra progrediar, quin hoc ipſum breviter, ſed efficaciter probem. *Primò* ex illo *Epiſtolæ* 1. *ad Corint. cap.* 10. *Fidelis autem Deus, qui non patitur vos tentari ſupra id, quod poteſtis.* Ubi Apoſtolus expreſſé indicat Dei curam, & ſtudium in conferendo auxilio, ad victoriam tentationum neceſſariò. *Secundò* ex eodem Apoſt. *ad Epheſ.* 6. *Induite vos armmaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſùs inſidias diaboli.* Et infra. *In omnibus ſumentes ſcutum Fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere.* *Tertiò*. Ex Concilio Trident. *Seſſ.* 6. *cap.* 11. dicente: *Deus impoſſibilia non jubet; ſed jubendo monet, & facere quod poſſis; & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.* Ubi notanda ſunt illa verba: *facere quod poſſis*; itemque illa: *adjuvat ut poſſis*; ex quibus ſatis colligitur ſufficientia, & proxima aptitudo ex parte noſtri per auxilium Dei ad obſervantiam Mandatorum. Neque replicari poteſt hoc de ſolis juſtis intelligendum eſſe, ex munere gratiæ ſanctificantis. *Primò*; quia oppoſitum conſtat ex præcedenti ſectione. *Secundò*; quia hæc inſtantia inter hæreticos tantùm reperitur; inter Catholicos autem, extra controverſiam eſt, hanc gratiam ad tentationum victoriam, & mandatorum obſervantiam non eſſe ſimpliciter neceſſariam; ſed ſufficere auxiliantis, & adjuvantis gratiæ adjutorium, ut bene advertit Suarius ſupracitatus eodem loco, *numer. vero* 6. Imò ipſum Concilium expreſſé conſtat agere de gratia adjuvante, dum dicit: *adjuvat ut poſſis.* Totum hoc confirmari poteſt ex Concilijs, & Patribus ſæpe ſæpiùs aſſerentibus Deum nihil præcipere impoſſibile, ſed ad omnium præceptorum implementum gratiam Dei ſemper adeſſe, nunquam ex ſe deffícere.

Auxilium Divinæ gratiæ cunctis hominibus præſtitú demonſtratur efficaciter.

Ad victoriam tentationum, & obſervantiá Legis non requiritur gratia habitualis, ſed ſuffieit adjutoriũ auxiliantis gratiæ.

7 Audiant Concilium Senonenſe adverſùs Lutherum cap. 15. *Neque tamen tanta gratiæ neceſſitas, præjudicat libero arbitrio; cùm illa ſemper in promptu ſit; & nè momentum quidem prætereat, in quo Deus non ſtet ad oſtium, & pulſet.* Unde Paulus Oroſius: *Evidentiſſimè declaratum eſt nemini hominum deeſſe Dei adjutorium, præſertim cùm & ſeductor inſtat, & inſtat infirmitas.* Ex Patribus audiendus eſt Divus Fulgentius *Epiſt.* 7. *ad Venantium cap.* 8. *Nec aliquo vulnere, nec aliquo tempore cæleſtis poteſt deficere medicina; ideo ipſe Medicus ſemper ſe poſſe converſo ſalu-*

tem

tem donare teſtatur. Idem diſcimus ex noſtro Divo Anſelmo ad illa verba Epiſtolæ ad Romanos, cap. 1. *Deus enim illis manifeſtavit*; ubi inquit: *Dominus manifeſtavit. ideſt non ſolùm naturalis ratio profuit, ſed Deus quotidie adjuvit, nè ſola natura ſufficere videretur.* Ex quibus omnibus eſt colligendum quàm falſó dicatur præcepta Dei in vanum præcipi propter deficientem gratiam; quippe quæ, ut liquet, nunquam deficit, quantum ex ſe; imò ſemper adjuvando, & excitando adeſt. Hoc idem teſtatur piiſſimus, & miſericors Deus Deuteronomij *cap.* 30. *v.* 11. *Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt.* Ex quibus cum Divo Auguſtino in his duobus totum concludo. *Primum.* Si homo aliquis non eſſet in poteſtate expedita, & potentia proxima ad executionem alicujus præcepti, ex eo quòd ei deficeret comprincipium auxilij neceſſarij, nullatenus peccaret, non adimplendo tale mandatum. *Secundum.* Neque ex inde damnaretur homo; tanquam mandati illius tranſgreſſor. Primum patet ex Sancto Doctore *lib. de Natura, & Gratia, cap.* 66. ibi: *Si ita eſt; nulla ergo peccata ſunt, Quis enim peccat in eo, quod caveri nullo modo poteſt? Peccatur autem; caveri igitur poteſt. Sive ergo immineat tentatio, ſive, non caveri poteſt.* Secundum habetur ex eodem Præceptore *Sermon.* 61. *de temp.* ibi: *Nec damnaturus eſt hominem pro eo, quod non potuit vitare, qui pius eſt.*

Si in homine non eſſet expedita potentia ad obſervantiam præceptorum, neque poſſet in illis peccare, neque ex tráſgreſſione damnari.

8 Noſtra ſecunda aſſertio, ut patet ex *num.* 3. præcedenti, hæc eſt: *Divinæ gratiæ operatio in nobis, & cooperatio nobiſcum non tollit; quominus & nos operemur, & exequamur id, quod Deus nobis præcipit, & poſtulat à nobis; imò Divina gratia, ut operemur, operatur.* Quæ reſolutio opponitur falſo dogmati aſſerentium: hominem nihil operari, exequendo mandata Dei; ſed ipſum Deum eſſe, qui in homine mandata ſua exequitur. Et hanc eſſe doctrinam, & ſenſum, qui in tertia, & quarta propoſitionibus (quas hîc impugnamus) intenditur, ſatis conſtat ex eis, quæ diximus *num.* 1. hujus ſectionis; & poteſt confirmari ex ſequenti propoſitione, quæ in ordine eſt inter damnatas undecima. *Gratia non eſt aliud, quàm voluntas Omnipotentis Dei jubentis, & facientis quod jubet.* Ubi notanda ſunt illa verba: *Dei jubentis, & facientis quod jubet*; quæ expreſſé confirmant noſtrum ſuprà poſitum judicium; videlicet, quod ex hac

hac tertia, & quarta propoſitione legitimè deducatur Deum ſive ejus gratiam, non autem hominem operari in executione Mandatorum Dei; quod jam impugnare incipio in probationem Catholicæ veritatis.

Oſtéditur noſtra cooperatio cū Divina gratia.

9 Primò igitur ex Scripturis ſacris, quibus paſſim oſtenditur operationes liberas, & meritorias creaturarum ab eiſdem effectivé pendere. Unde Eccleſiaſt. 15. dicitur: *Ad quod volueris porrige manum tuam.* Item: *Quæ enim odit, nè feceris.* Et *cap.* 31. *Qui potuit facere mala, & non fecit.* Similiter ex Zachariæ 1. *Convertimini ad me.* Ex quibus locis aperté habemus operationem noſtram, & virtutem effectricem ad bona opera, qualia ſunt converſio ad Deum, fuga â malis, &c. Similiter in Apocalypſis 3. legimus: *Siquis aperuerit mihi januam, intrabo ad illum*; patet autem, quòd aperire Deo oſtium non poſſit opus noſtrum non eſſe. Non quidem ſine Deo; ſed ipſo, & nobis cooperantibus. Unde ad Corint. 1. *cap.* 15. *Non ego; ſed gratia Dei mecum*: ubi particula *non* minimé eſt ejuſdem Pauli excluſiva; ſed naturæ deſtitutæ, & nudæ excluſiva; naturæ autem, & gratiæ ſimul cooperantium, copulativa; ideoque inquit: *Gratia Dei mecum*; inquo etiam ſenſu *Marci ultimo* dicitur: *Domino cooperante.*

Idem ex Conciliis Oſtenditur.

10 Impugnatur ſecundò idem error ex Conciliis, in quibus nihil uſitatius, quàm noſtra, & gratiæ ſimul cooperatio ad bona opera; nam Concilum Arauſicanum II. *Canone* 9. inquit: *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum, ut operemur operatur.* Et *Canone* 20. *Nulla bona facit homo, quæ non præſtet Deus, ut faciat homo.* Idem conſtat ex Trident. *Seſſ. 6. cap. 5.* ubi multoties declarat hominem in converſione ad Deum, & in aſſenſu ad excitantem gratiam verè agere, & operari ibi: *Qui per peccata à Deo averſi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo* (nota) *& cooperando diſponantur. Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritûs Sancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat, inſpirationem illam recipiens; quippe qui illam, & abjicere poteſt; neque tamen ſine gratiâ Dei* (nota iterum) *movere ſe ad juſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit.* Sed ut puto, nihil expreſſius excogitari poteſt, aut inveniri in Concilio pro veritate noſtra, quàm illud: *Neque homo ipſe nihil omnino*

ninò agat: ſiquidem denotatur ibi hominem aliquid omnino agere, quoties tangente Deo cor illîus per Spiritus Sancti illuminationem ad ipſum Deum convertitur. Idem reperitur *Canon.* 4. *Siquis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari, aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam, ſe diſponat, ac præparet, neque poſſe diſſentire, ſi velit, ſed veluti inanime quoddam, nihil omnino agere, mereque paſſivè ſe habere; anathema ſit.*

11 Tertiò probatur ex Patribus, inter quos Magnus Auguſtinus *Lib.* 83. *Quæſtionum, quæſt.* 8. inquit: *Moveri per ſe Animam ſentit, qui ſentit in ſe eſſe voluntatem; nam ſi volumus, non alius de nobis vult.* Quia igitur homo dum exequitur præcepta Dei, ea *vult* exequi; dicendum, quòd iſtemet, & non alius ab eo eſt, qui *vult.* Præterea, quia ex eodém Sancto Doctore neque peccatum ullum, neque ullum meritum homini eſſet imputandum, ſi illîus non eſſet cauſa operativa, juxta illud *quæſt:* 24. *Neque peccatum, nec rectè factum imputari cuiquam juſte poteſt, qui nihil fecerit.* Item *Lib. de Gratia, & libero Arbitr.* Divinam & noſtram ſimul cooperationem ad bona, & meritoria opera, expreſſé docet ibi: *Cooperando Deus in nobis perficit, quod operando incepit, quia ipſe ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Non aliter *Lib. de dono Perſeverant cap.* 13. *Nos volumus; ſed Deus in nobis operatur, & velle. Nos ergo operamur, ſed Deus in nobis operatur etiam operari pro bona voluntate.* Accinit Angelicus Magiſter agendo de Gratiâ operante, & cooperante *quæſt.*111.*art.*2. ubi ſic docet: *Gratia dupliciter poteſt intelligi; uno modo Divinum auxilium, quo nos movet ad bene volendum,* (adverte) *& agendum: alio modo habituale donum nobis divinitùs inditum; utroque autem modo gratia dicta convenienter dividitur per operantem, & cooperantem: operatio enim alicujus effectus non attribuitur mobili, ſed moventi. In illo autèm effectu, in quo mens noſtra eſt mota, & non movens, ſolus Deus autem movens, operatio Deo attribuitur; & ſecundùm hoc dicitur gratia operans.* (Nota ſequentia) *In illo autem effectu, in quo mens noſtra, & movet, & movetur, operatio non ſolùm tribuitur Deo, ſed etiam Animæ, & ſecundùm hoc dicitur gratia cooperans.* Et poſt pauca addit: *Habitualis gratia, in quantum Animam ſanat, vel juſtificat, ſive gratam Deo facit, dicitur gratia operans; in quantum verò eſt principium operis me-*

Ex S. S. Patribus.

ritorij, *quod* (adverte) *ex libero arbitrio procedit*, *dicitur cooperans.* Idem docetur ab Anſelmo noſtro *Lib. de Concept. Virgin. c.* 6. & à noſtro Mellifluo Bernardo *Lib. de Grat. & libero Arbitr.* item à Nyſſen. *Lib.7.Philoſoph. cap.* 1. & *cap.*2. Si alios Textus, & Patres deſideras, conſule *cap.9.ſect.*1.*num.*2.

Idem rationibus probatur.

12 Quartò rationibus probatur veritas doctrinæ Catholicæ. *Et prima* eſt. Voluntas, etiam exequendo præcepta Dei, eſt potentia libera; atqui libertas neceſſariò importat potentiam activam quatenus activã: ergo voluntas, Deo etiam obtemperando, activè ſe habet. Maior eſt omnium Catholicorum, cõtra Lutheranos, & Calviniſtàs, eſtque definita iu Trident. *Seſſ.*6. *c.* 5. ibi; *Gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando diſponantur.* Et paulò infra: *Neque tamen ſine gratiâ Dei movere ſe ad juſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit.* Idem habetur *Canon.* 4. & plurimis aliis in locis. Minor autem ſuadetur ex Scoto. ſic.

Potentiæ liberæ competit, quod ſit activa.

De ratione potentiæ liberæ, quà liberæ illud eſt; quòd ex ſuâ propria, & intrinſecâ virtute poſſit mutari, vel non mutari: eſt enim Domina ſuorum actuum, illos potens elicere, vel non elicere; quapropter ſic definitur, ut cum communi docet Arriaga de Animâ *diſp.8.ſect.*1.*Potentia, quæ poteſt operari, vel non operari eum actum, ad quem habet omnia requiſita*; atqui potentia, quæ ſe ex intrinſecâ virtute movet, activa eſt, ut patet ex ſolâ apprehenſione terminorum: ergo potentia, & cauſa libera, qualis eſt voluntas in executione mandatorum, activa eſt. Confirmatur minor ſuprà affixa, & juſdem probatio. Potentia libera, dominio gaudet ſupra ſuos actus; atqui ut patiens, non eſt domina ſuorum actuum, ſed tantùm ut activa: ergo potentia libera neceſſariò activa eſt. Maior conſtat ex nuperrimè dictis. Minor probatur. Quia non eſt in poteſtate, & dominio patientis quòd patiatur, vel non patiatur; quòd recipiat, vel non recipiat; hoc enim tantùm pendet ex cauſâ effectiva, agente, vel non agente; paſſio enim pluſquàm neceſſariò ſequitur ex actione: ergo potentia, quæ eſt libera, ideoque domina ſuorum actuum, neceſſariò debet eſſe activa.

13 Pater Arriaga, cui nulla (licèt communiſſima) ſententia ſatis placere poteſt, loco ſupracitato *num.* verò 10. inquit: *Si cauſa paſſiva verò influat, & producat formam* (*ut communiter docetur de materia prima reſpectu formarum ſubſtantialium, &*

de

de aliis ſubjectis) poteſt eſſe libera, etiam ſi non influat efficienter. Fatetur tamen hanc ſententiam à nullo doceri. Unde miror Authorem, aliàs doctiſſimum, & cordatiſſimum, eam reſolutionem proferentem, & præferentem; indeque Concilium Tridentinum *Seſſ. 6. cap.* 5. aliter à communi acceptione exponentem. Imò juxta ea, quæ docet diſputatione, & ſectione citatis, *à numero* 12. uſque ad *num.* 14. invenire poterunt Novatores confirmationem aliquam in favorem falſi dogmatis, quod impugnamus. Non tamen nobis cum P. Arriaga res eſt. Hoc tantùm juxta ejuſdem doctrinam pro præſenti inquiro. Vel ille paſſivus, & materialis concurſus materiæ primæ cum cauſa efficienti ſufficit ad libertatem, vel non; ſi primum dicat: ergo voluntas non eſt magis libera ad actus ſupernaturales, quàm materia prima ad recipiendas formas. Hoc autem harum damnatarum propoſitionum Authoribus diſplicere non poteſt. Si non ſufficit quod tantùm dicendum reſtat, corruit P. Arriagæ doctrina ſingularis. Dicendum igitur cum Patre Suario *de Gratia tom.* 1. *Prologom.* 1. *de Arbitrij libertate, cap.* 2. *num.* 4. *ſupra finem*; quòd, licét voluntas ſit receptiva ſui actûs, & ſub ea ratione ſit potentia paſſiva, non eſt tamen libera, niſi quatenus poteſtatem habet eliciendi, & non eliciendi actum ſuum: & in tantum receptio ejus poteſt eſſe libera ipſi voluntati, in quantum eſt illi liberum actum illũ efficere: ſi enim ab alio agẽte acciperet actũ, ipſa voluntate nihil effectivé agẽte ex parte ſua, neceſſariò illũ reciperet. Unde, ſi eſſet in poteſtate alterius agentis immittere, vel nõ immittere in voluntatem talem actum, alteri agenti eſſet liber ille effectus, non autem ipſi voluntati ſolummodo recipienti. In potentia igitur paſſiva, ut paſſiva eſt, non eſt aliqua libertas.

Sententia ſingularis P. Arriagæ circa hãc rem.

14 Secunda ratio, qua rejicitur damnata illa aſſertio, ex tertia, & quarta propoſitione deducta eſt; quia homo in executione præcipui illius mandati de diligendo Deo, & proximo veré eſt, & denominatur diligens: ergo per dilectionem Dei, & proximi ab ipſo homine efficienter elicita. Antecedens de Fide eſt; de Abraham enim dicitur in ſacro Textu quòd Iſaac diligeret: *Geneſ.* 22. *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis. Et cap.* 24. legitur: *Rebeca diligebat Jacob.* Et *cap.* 37. *Iſrael diligebat Joſeph.* Similiter *Lucæ* 7. ipſe Chriſtus teſta-

tur magnitudinem amoris, quem in Magdalena erga ſe ipſum agnoverat, dicens: *Dilexit multum.* Ex his autem concludimus indubitanter aliquos verè denominari & Deum, & proximum diligentes, ut in antecedente dicitur; illa autem denominatio formalis non poteſt provenire, niſi ab actu amoris effectivé producto ab ipſo ſubjecto taliter denominato. Ratio eſt. Quia, cùm actus dilectionis ſit vitalis actus, neceſſariò poſtulat elici effectivè, & vitaliter ab eo ſubjecto, quod adæquatè, & completé denominat: homo autem non ſolùm denominatur habens dilectionem Dei, & proximi, ut denominaretur, v. g. lapis, ſi dilectio poſſet locari in eo, juxta diverſas opiniones de poſſibilitate formæ exiſtentis, ſive inhærentis in ſubjecto improportionato; verùm etiam denominatur diligens Deum, & proximum.

15 Tertiò tandem, & ultimò poteſt ratione probari; quia ablata effectiva operatione ab homine, nõ ſolũ corruit libertas illius, ut patet ex ſupradictis, verùm inſuper ex conſequenti nullum meritum noſtrum ſubſiſtit, quia una ex conditionibus ad meritum requiſitis eſt operantis libertas: unde ab Innocentio X. proſcribitur hæc propoſitio: *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſolùm à coactione.* Quia verò libertas importat neceſſariò actionem, ſeu virtutem activam, ut in præcedentibus, diximus, utrumque à Divo Thoma ad meritum dicitur neceſſarium, libertas ſcilicet, & actio, his verbis, agendo de Merito *quæſt. 71. art. 5. ad 1.* ibi: *Meritum non poteſt eſſe, niſi aliquis faciat voluntariè quod debet, & ideo meritum non poteſt eſſe ſine actu.* Sed de hoc cap. 9. ſect. 1. à num. 3.

Si per operationem Divinæ gratiæ tolleretur cooperatio ex parte noſtra, nullum eſſet meritum noſtrum.

16 Ex dictis colligendum eſt has propoſitiones, quas per totum hoc caput ſumpſimus impugnandas, eſſe non tantùm falſas; à veritate ſiquidem deviantes; ſed etiam hæreticas: opponuntur enim varijs definitionibus ex ſacro Textu, & Conciliis. Saltem in comperto eſt in præfatis propoſitionibus noviter fundari aliquam Conciliis ac definitionibus repugnantiam, ut liquet ex præcedentibus; unde merito, tanquam hæreſi proximæ cenſeri debent. Præterea ipſas propoſitiones in ſenſu proprio, in quo eas expoſuimus, jam antea fuiſſe damnatas conſtat; nam quatenus intendunt executionem

Cenſuræ harũ propoſitionũ.

Man-

Mandatorum Dei aliquando eſſe impoſſibilem, alteri propoſitioni Janſenij reſpondent, aſſerentis: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis, volentibus, & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent, vires, eſſe impoſſibilia, deeſſe quoque illis gratiam, qua poſſibilia fiant.* Quatenus verò intendunt hominem non operari in executione Mandatorum; libertatem negant in operibus meritoriis, quod ab Innocentio X. damnatum eſſe jam diximus.

SECTIO III.

Reſpondetur argumentis, quæ adverſùs præcedentem doctrinam poterunt inſurgere.

1 ARgues primò contra primum aſſertum. Divus Thomas *in 2. diſt. 28. artic. 2. q. 2.* Divum Auguſtinum referendo, ſic inquit: *Dicendùm quòd de aliqua tentatione per ſe non poteſt evadere homo; ſi tamen conſentiat, non eſt à culpa immunis, quia ex propria ſua culpa devenit in illam neceſſitatem. Et hoc eſt quod dicit Auguſtinus; quòd, quia homo noluit vitare peccatum dùm potuit, inflictum eſt ei, quòd non poſſit cùm velit.* Neque aliter ſentit 3. *contra Gentes cap.* 160. *num.* 3. inquiens: *Quamvis autem illi, qui in peccato ſunt, vitare non poſſunt per propriam poteſtatem, quin impedimentum gratiæ præſtent, vel ponant, ut oſtenſum eſt; niſi auxilio gratiæ præveniantur, nihilominus tamen hoc eis imputatur ad culpam; quia hic defectus ex culpa præcedente in eis relinquitur; ſicut ebrius ab homicidio non excuſatur, quod per ebrietatem committit, quam ſua culpâ incurrit.* Ex quibus patet hominem aliquoties propter peccatum carere poteſtate ad vincendas tentationes; & conſequenter ad executionem mandatorum, & præceptorum Dei. Hoc autem ſemel admiſſo ex Divi Thomæ doctrina, non poteſt non ſtare ſemper; & ratio eſt; quia, ſi ex peccato actuali oritur aliqua impotentia ad legis implementum, & negatio auxilij, à fortiori, & multò magis ex peccato originali, deberet homo deſtitui ab omni auxilio ad exequenda præcepta Dei, præſertim quia, ut diximus præcedenti *cap.* 3. *ſect.* 8. *num.* 5. ſuper Canonem XXII. Concilij Arauſicani II. homo propter peccatum ori-

ginale ſatis meruit moralem carentiam poteſtatis ad omne opus morale; ergo à fortiori ad præceptorum executionem, & victoriam tentationum, cùm ad id requiratur inſuper gratia ſupernaturalis.

2 Reſpondeo in primis hoc argumentum pro præſenti minimè eſſe adducendum; non enim ſtat error propoſitionum, quas impugnamus, in eo quòd Deus peccatoribus aliquando auxilium Divinæ gratiæ neget, nec ne, ad vincendas tentationes, ſive ad legem obſervandam; ſed in eo tantùm, quòd cùm executio Mandatorum non nobis, ſed Deo tribuatur, nobis ipſa executio impoſſibilis reddatur, quoties ipſe Deus (ſive ejus gratia, quæ poteſtati humanæ non eſt ſubjecta) ipſa præcepta per ſe non exequitur. In ſenſu autem, in quo Patres Auguſtinus, & Thomas loquuntur, reſpondeo mirum non eſſe, ſi propter innumera, & graviſſima peccata ſceleratiſſimis hominibus gratia aliquando denegetur; quod tamen non eſt omnino certum apud Catholicos, affirmant enim Abulenſis *quæſt.* 12. *ſuper cap.* 4. *Exodi*, Henricus *Quodlibet* 8. *quæſt.* 1. quibus accedunt Roffenſis, Armacanus, Catharinus, Medina, Vega, & alij apud Suarium Luſitanum de Pœnitentia. Negant autem id accidere Divus Bonavent. Ægidius Roman. Richard, Gabr. Durand. Albert. Alenſ. Altiſiodor. Suarius Granatenſ. *lib.* 6. *de Angel. cap.* 17. Amic. *tom.* 2. *diſp.* 19. *ſect.* 4. Noſter Cardinalis Aguirre *tom.* 3. *in Theologiam Divi Anſelmi diſput.* 125. *ſect.* 2. Divum Thomam pro hac etiam parte allegans, in 1. *parte*, *quæſt.* 113. *art.* 6. *& in* 2. *diſt.* 11. Quibus libenter ſubſcribo, nam *Pſalm.* 102. habemus quòd piiſſimus Deus *non ſecundùm peccata noſtra fecit nobis; neque ſecundùm inquietates noſtras tribuit nobis.* Imò Deum alloquens inquit Pſalmiſta; *Mitigaſti omnem iram tuam. Pſal.* 84. *v.* 4. Unde licèt oppoſita ſententia tenenda eſſet ad aliquos tantùm, non autem ad cunctos homines intelligitur eam extendi. Neque urget, imò favet id, quod ex noſtra doctrina in præcedenti capite adducitur; quia ſicut non obſtante malitià originalis peccati, ob quam juſtiſſimè poterat nos Deus ſpoliare ab omni poteſtate ad quodlibet opus bonum, adhuc ex beneficio peculiari reliquit nobis miſericorditer hanc poteſtatem; ita non obſtantibus peccatis actualibus, gratiæ ſuæ auxilia

Controverſia non levis.

xilia nobis conferre non deſinit ipſe Deus, ut præcepta ſuæ voluntatis exequamur.

3 Argues ſecundò contra ſecundum aſſertum, ex quo primum etiam poterit infirmari. Ex ipſa Scriptura ſacra apertè conſtat omne opus bonum, & perfectum non ex nobis, ſed ex Deo effectivè pendere; atqui hujuſmodi eſt obſervatio Mandatorum Dei: ergo Deus (non autem homo) eſt qui præcepta Divina exequitur, eadem præcepta exequendo, & operando in nobis. Probatur maior ex variis ſacræ Paginæ locis. Dicitur enim Iſa. 26. *Omnia opera noſtra operatus es nobis, Domine* Ad Philip. 2. *Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere.* 1. ad Corint. 15. *Non ego, ſed gratia Dei mecum,* 2. ad Corint. 3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis.* Ubi Apoſtolus, id ipſum, quod à nobis eſſe videtur non cogitandum, inquit, à nobis eſſe, quaſi ex nobis; ſiquidem id ipſum à Deo eſſe teſtatur, dicens: *Sed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Quod tandem clariùs conſtare videtur ex illo Jacob. 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt.* Accedunt inſuper Patrum teſtimonia. Auguſtinus enim *lib. de Grat. & libero Arbitr. cap. 7.* & de *dono Perſever. cap. 8.* citans Divum Ambroſ. *lib. de Fuga ſeculi, cap. 7.* inquit: *Non eſt in poteſtate noſtra cor noſtrum, & cogitationes noſtræ.* Et *lib. 2. de Peccatorum meritis cap. 17.* inducit illud *Jerem. 10. Scio, Domine, quia non eſt in homine via ejus.* Cæleſtinus Papa *in Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ cap. 8.* ubi inquit quòd *Omnia ſtudia, & omnia opera, ac merita Sanctorum ad Dei gloriam, laudemque referenda ſunt; quia nemo aliunde ei placet, niſi ex eo, quod ipſe donaverit.*

4 Reſpondetur maiorem eſſe veram, ſi illam intelligamus de ſimultaneo Dei concurſu, ut cauſæ primæ omnium, quæ intra ordinem naturalem, & ſupernaturalem contineri dicantur; ita quòd non tamen inde excludatur noſtra cum Divino concurſu operatio: ſive hæc ſit naturalis, ſive ſupernaturalis per gratiam cooperantem; in hoc enim ſenſu tantummodo accipiuntur à Catholicis ſuprà adducta teſtimonia Scripturæ, & Patrum. Unum eſt inſuper ſpecialiter advertendum; videlicet Divum Auguſtinum locis citatis neutiquā negare dominium, & poteſtatem, quam habet homo ſupra ſuos actus, quos elicit; ſed tantùm docuiſſe nihil boni poſſe ſine

Quidquid operatur homo, à Deo eſt; ſaltem quia Deus cùm ſit cauſa prima ſecundas determinat.

ſine Deo ab homine perfici, aut inchoari; quia nec talis boni cogitatio, quæ neceſſariò præcedit omnem bonum affectum, haberi poteſt à nobis quaſi ex nobis, ſed ex Deo, qui omnium actionum, non ſolùm eſt prima cauſa, ſed etiam determinator; ſive prædeterminando libertatis noſtræ indifferentiam, ſive ejuſdem voluntatis ab intrinſeco ſe ſe determinantis, conſenſum prævidendo, juxta diverſas de hac re ſententias. Conſule *cap.* 7. *Sect.* 7. *num.* 10.

5 Argues tertiò. Uoluntas creata nullam habet virtutem, aut poteſtatem ſupra actus ſupernaturales, neque eos in ſua eminentia continet: ergo nequit influere in illos. Conſequentia, ſi antecedens admittatur, eſt legitima, quia ad cauſam efficientem ſpectat potentia in ſuos actus producendos; imò talis potentia eſt illius cauſæ conſtitutiva; neque item minus eſt de ratione cauſæ effectivæ, effectuum ſuorum præcontinentia. Probatur igitur antecedens. Quia ſi voluntas creata contineret aliquam eminentiam, & virtutem in ſuos actus, ſequeretur facilè perfectiorem voluntatem perfectiores, & intentiores actus amoris Dei producere, quod minimé eſt dicendum; alioquin jam ipſamet perfectioritas ſupernaturalis contineretur intra virtutem potentiæ naturalis, quod implicat. Comfirmatur. Quia ob idem principium negant quamplures Authores ex Catholicis intellectum creatum efficere viſionem; ſed ſolum Deum illam efficere, & producere. atque in intellectum creatum infundere, ut doceri inquiunt ab Scoto *in* 3. *diſt.* 14. *quæſt.* 1. *art.* 2. & *in* 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 4. *art.* 3. Quem ſequuntur ejus Diſcipuli, & præter eos Sotus, Capreolus, Alvar. *lib.* 7. *de Auxiliis*, *diſp.* 64. Unde, ſicut ab his Authoribus dicitur intellectum Beatum ideo denominari videntem Deum viſione beata; quia illam recipit, eaque informatur; ſic ſimiliter Viator dicetur præcepta Dei exequi, quia eorum executionem recipit à Deo, eaque informatur.

1 An perfectioritas actus ſupernaturalis proveniat à perfectioritate potentiæ naturalis?

Opinio docentium intellectũ creatum non concurrere effectivè ad viſionem Beatam.

6 Reſpondeo negando antecedens, quod in ſenſu abſoluto, & generaliter acceptum eſt falſum: licèt enim virtus, & poteſtas ſpecificativa principaliter, & naturaliter ſpectata, voluntatis creatæ non attingat actus ſupernaturales, adhuc tamen eujſdem virtus extenſiva, adæquata, & elevabilis ad

agendum

agendũ,ſaltem ut cauſa inſtrumẽtalis,extẽditur uſque ad actus ſupernaturales. Ipſi enim actus ſupernaturales pertinent ad cõplementũ,& ſeriem actuũ voluntatis,ſpectata ejuſdem potentiâ adæquatè. Nam, ſicut ad talẽ extenſivã potentiam pertinet quidquid eſt amabile,& volibile,tanquam objectũ adæquatum, & extenſivum; ita ſub ratione effectûs, ſub eadem acceptione pertinet quidquid aliquo modo poteſt à voluntate elicitivè pẽdere. Quòd autem ipſi actus ſupernaturales non contineantur intra naturalem virtutem voluntatis creatæ nihil obſtat,ut poſſint contineri intra eandem virtutem elevabilem, & quatenus obedientialiter ſumptam. Probatio antecedentis nullius eſt momenti; ſive enim eam admittas, ſive rejicias, probabiliter procedes; ſicut de inæqualitate, & perfectioritate viſionis beatæ quidam aſſerunt eam eſſe ſumendam à ſolo lumine gloriæ; alij autem ab intellectu Beati eam diſparitatem etiam provenire probabiliter judicant; intellectus enim etiam eſt ejuſdem viſionis comprincipium activum; & hanc opinionem philoſophicis principiis viciniorem eſſe judicat Becan. *tract. de Viſione Dei quæſt.* 10. *num.* 2.

Quomodo actus ſupernaturalis contineatur in virtute cauſæ creatæ propter elevationem.

7 Ad confirmationem reſpondeo, omiſſo judicio de veritate ejus ſententiæ, non enim id pertinet ad præſens inſtitutum; aſſignando diſpares rationes inter actus viſionis, & executionis præceptorum Dei. Prima eſt: quia actus viſionis Dei non eſt actus liber, ſed neceſſarius; eſt enim actus intellectûs, qui neceſſariò intelligit, & agnoſcit objectum ſibi cum debita proportione propoſitum actus verò executionis Mandatorum Dei eſt actus liber; non autem eſſet actus liber ſi executio præceptorum à ſolo Deo donaretur, ab ipſoque jubente, & faciente eſſet, voluntate creata etiam effectivè non concurrente. Secunda eſt: quia viſio intellectualis Dei eſt præmium: executio autem præceptorum ejus eſt meritum, præmium autem, quàm bene eſſe poteſt, quin recipiens ad illud producendum concurrat effectivè: non autem poteſt ita dici de merito. Quapropter Capreol. *in* 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 4. *art.* 3. inquit: *Hæc enim eſt differentia inter præmium, & meritum; quòd meritum eſt à merente; præmium verò recipitur in merente ab alio donante.*

Diſparitas inter actum viſionis Dei in Patria, & actus executionis præceptorum Dei in via.

8 Hîc autem valde neceſſarium duximus obiter ſaltem

attin-

attingere, & exponere quæſtionem quandam; cujus pro una parte reſolutio, niſi plené percipiatur, impugnatis erroribus, favere videbitur. Eſt igitur quæſtio. Utrùm habitus infuſus gratiæ, aut luminis Gloriæ ſit totale principium proximum actuum ſupernaturalium; an ſolùm ſit comprincipium juvans potentias ad eliciendos actus ſupernaturales, viſionis v. g. & amoris Dei? Richard. *in* 4. *diſt.* 49. *art.* 3. *quæſt.* 1. *&* 2. Molina, Valentia, Vaſques, Suares *lib.* 2. *de Viſione Dei, & de Gratia parte* 3. *lib.* 6. *cap.* 5. & alij tenent cum communiori doctrina habitus infuſos non eſſe totalia principia, ſed juvarè potentias, ut ipſæ ſimul cum eiſdem habitibus, immediate, & per ſe ipſas influant in ſuos actus ſupernaturales. In hac ſententia nec leviter juvatur præfatarum propoſitionum error. Eſt tamen altera ſententia, ut refert ſupracitatus Suares de Gratia, quæ docet habitum infuſum eſſe totale principium proximum ſui actûs ſupernaturalis. In qua ſententia doceri videbitur ſolam gratiam, non autem voluntatem influere in actus amoris Dei v. g. Aſt in re oppoſitum in eadem ſententia continetur. Neque enim ipſa dictat voluntatem non concurrete ſimul cum habitu gratiæ ad productionem ſui actûs; hoc enim foret abſurdum. Tantùm igitur docet hæc ſententia voluntatem, & habitum gratiæ non pariter concurrere æquè proximè; potentiam enim remotè inquit concurrere; habitum verò ſupernaturalem proximè: utrumque tamen abſolutè concurrere non dubitat.

Quæſtio incidens.

9 Igitur hæc poſtrema ſententia duplicem diſtinguit vitalitatem: proximam unam; remotam aliam; & ita ſimiliter duplex principium vitalitatis; unum formale, & proximum: alterum radicale, & remotum. Principium vitalitatis radicale, & remotum eſt vita ſubſtantialis, neceſſariò præſuppoſita ad omnem operationem vitalem; principium formale, & proximum eſt virtus, per quam vivens operatur actionem vitalem. Licét igitur juxta hanc doctrinam vitalitas proxima actûs ſupernaturalis procedat ab habitu infuſo, tanquam à principio formali; quia, cùm iſta vitalitas ſit ſupernaturalis, debet procedere à virtute ſupernaturali; attamen vitalitas ſupernaturalis remota quoad ſubſtantiam provenit ab Anima, vel potentiis ſecundùm ſuam virtutem naturalem;

Potentia naturalis ſaltem remoté concurrit per ſuam vitalitatem elevatam ad actus ſupernaturales.

naturalem; quia vitalitas radicalis actûs provenit à vita ſubſtantiali, quam præbet ipſa Anima, virtute ſua naturali. Hoc autem longè diſtat ab erroribus, præſenti capite impugnatis.



CAPUT

CAPUT V.

Exponitur quinta propoſitio, quæ ab Eccleſia juſtè damnatur.

Tenor propoſitionis quintæ.

QUINTA propoſitio ita habet: *Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inſerviunt, niſi ad illud magis obdurandum.* Iſtius propoſitionis error manifeſtus in eo ſtat, quòd exhortationes, & gratias exteriores ad magis obdurandum cor hominis ſolùm inſervire dicat, quandiu Deus per interiorem gratiam illud non emollit.

Gratiæ exteriores quæ?

Inquires: Quid veniat nomine gratiarum exteriorum? Non enim per exteriorem gratiam intelligitur habitus gratiæ ſanctificantis; is enim in eadem propoſitione invenitur, ut contradiſtinctus ab exhortationibus, & gratiis exterioribus. Neque item intelliguntur auxilia actualis gratiæ, cujuſmodi ſunt, adjutoria gratiæ excitantis, adjuvantis, operantis, & cooperantis; hæc enim interiores gratiæ ſunt, & vocantur apud omnes. Igitur per gratias exteriores intelligitur beneficium creationis, vocationis, Legis a Chriſto datæ, doctrinæ, & Evangelij; ipſiuſque vitæ, exempli, & Paſſionis; item Sanctorum exhortationes, ac tandem prædicationes. Hic ſenſus, & acceptatio externarum gratiarum communis eſt, tum Catholicis, tum Hæreticis in controverſiis, ut patet ex Becano 1. *part. Theol. Scholaſticæ cap.* 16. *de differentia inter Calviniſtas, Pelagianos, & Catholicos in negotio Prædeſtinationis, & Reprobationis; quæſt.* 2. *& aliis in locis.* Quo ad intelligentiam diſputationis, præſuppoſito.

2 Sic *primò* rejicitur hic error, quia expreſſé opponitur

Scripturæ ſacræ, in qua 2. *ad Timot. cap.* 3. *v.* 16. Sic legitur: *Omnis Scriptura, divinitùs inſpirata utilis eſt ad docendum, & arguendum, & corripiendum, & erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus.* Ergo falſò dicitur Scripturam (& reliquas gratias exteriores) poſſe aliquando inſervire, non niſi ad cor magis obdurandum. Confirmatur ex eodem Apoſtolo *in Epiſt. ad Rom. cap.* 7. dicente: *Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum, & bonum. Quod ergo bonum eſt, mihi factum eſt mors? Abſit.*

3 Dices Scripturam intelligendam eſſe, ſi adſit interior unctio Divinæ gratiæ. Quod fortè confirmari poterit ex Auguſtino *Epiſt. ad Vitalem de Doctrina ſalutari ſcripturarum ſanctarum* ubi de ipſa inquit: *Quam qui audiunt, & legunt ſine gratia Dei; peiores ejus efficiuntur inimici.* Et addit: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus; & Lex Dei, atque doctrina; licèt ſancta, & juſta, & bona, tandiu occidit, ſi non vivificet Spiritus.* Reſpondetur gratis fingi in argumento ſcripturam, aut Auguſtinum procedere, ſupponendo unctione interioris gratiæ, né forté exhortationes, & exteriores gratiæ ad cor magis obdurandum inſerviant. Ex Auguſtino autem hoc tantùm colligitur; ſcilicet peccatores impios, niſi adſit gratia interior, occaſionem ſumere ex lege, & doctrinâ ad magis peccandum. „Unde Divus Thomas *lect.* 2. *in cap.* 7. *ad Ro-* „*manos* inquit: Sciendum eſt quòd, ſi lex per ſe, & immedia- „tè cauſaret paſſiones peccatorum, vel mortem, ſequeretur „quòd lex eſſet peccatum ::: non autem, ſi lex eſt occaſio „paſſionum peccati, vel mortis ::: & eſt notandum, quòd „non dicit *Divus Paulus* quòd lex dederit occaſionem peccan- „di; ſed quia ipſum peccatum occaſionem acceperit ex lege. „Sic igitur lex rectum aliquid fecit; quia peccatum prohibuit, „unde occaſionem non dedit peccandi; ſed homo occaſio- „nem ex lege accipit. Sic igitur intelligendum eſt quòd paſ- „ſiones peccatorum, quæ pertinent ad concupiſcentiam „peccati, non ſunt per legem, quaſi lex illas operetur; ſed „peccatum (*hoc eſt fomes peccati*) illas operatur, accepta occa- „ſione ex lege. Deinde cùm dicit (*idem Apoſtolus*) *Quod ergo* „*bonum eſt factum eſt mihi mors?* Movet quæſtionem, quan- „tum ad legis effectum. Et primò quæſtionem ponit dicens:

Impij ex Lege ſancta occaſionem ſumunt peccandi.

„ Quod ergo bonum eſt, ſcilicet in ſe, factum eſt mihi mors,
„ ideſt, per ſe cauſa mortis. Quod quidem aliquis poterat
„ falſó intelligere ex eo,quod ſuprà dictum eſt: *Inventum eſt mi-*
„ *hi mandatum, quod erat in vitam, hoc eſſe ad mortem.* Secundò
„ ſolvit per interemptionem dicens: *Abſit.* Non poteſt id,
„ quod eſt ſecundùm ſe bonum, & vivificum, eſſe cauſa ma-
„ li, & mortis, ſecundùm illus Matthæi 7. *Non poteſt arbor*
„ *bona malos fructus facere.* Ex hac Angelici Præceptoris doctrina fit planum, Chriſti Legem (& idem de cæteris gratiis exterioribus) nunquam cor hominis quantum ex ſe indurare, aut ad peccandum inclinare, ſed tantùm impios eſſe aliquos, qui ex ipſa bonitate legis, ac doctrinæ, dum eam negligunt, occaſionem ſumunt ad peccandum: qua propter addit Apoſtolus *ad Roman.* 7. *Peccatum* (hoc eſt, fomes peccati, ut explicat Divus Thom. lectione ſupràcitata) *ut appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem.* Idem clariùs conſtat ex doctrina ejuſdem Apoſtoli, quam in eodem *cap.* 7. *ad Romanos* præmiſerat, dicens: *Peccatum non cognovi, niſi per legem; nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: non concupiſces. Occaſione autem accepta, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam.*

Nullo modo poſſunt exteriores gratiæ infervire ad obdurandum cor hominis.

4 Rejicitur *ſecundò* hæc eadem propoſitio quinta. Quia, ut exhortationes, & exteriores gratiæ dicantur cor hominis non indurare, ſed emollire, vel requiritur interior unctio gratiæ habitualis ſanctificantis; vel ſufficit unctio gratiæ excitantis, & adjuvantis. Non unctio gratiæ ſanctificantis; quia hæc non eſt neceſſariò, & logicè requiſita, neque etiam ad actus ſupernaturales, qui meritorij non ſint; ut patet ex dictis *cap.* 4. *ſect.* 1. Si autem, ſufficit, & ſolum requiritur auxilium actualis gratiæ, nunquam verificari poterit caſus, in quo exhortationes, & gratiæ exteriores inſerviant ad magis obdurandum cor hominis; nam prædictum auxilium actualis gratiæ nunquam denegatur à Deo, ut expendimus eodem *cap.* 4. *ſect.* 2. *à num.* 4.

5 Rejicitur *tertiò* præfatus error. Quia juxta Divum Bonaventuram *in* 2. *diſt.* 28. *art.* 2. *quæſt.* 2. Ægidium *dub.* 4. & 5. §. *Ad primum* Gabrielem, Henricum, Sotum, Vegam, Medinam, & celeberrimos Theologos, quos refert, & quibus

ſubſ-

ſubſcribit Suar. *de Gratia tom.* 1. *lib.* 1. *de neceſſitate gratiæ ad opera naturalia cap.* 23. *n.* 13. non eſt neceſſarium ſpeciale auxilium gratiæ ad quamlibet, & quamcunque tentationem vincendam : quia homo (inquiunt) ſua libertate utens, poteſt vincere ſingulas tentationes, ſeu quamcunque illarum ; ergò à fortiori multò magis eas poterit vincere exhortationibus, & gratiis exterioribus adjutus; per illas enim agit Deus ad Animarum noſtrarum profectum : unde Divus Auguſtinus *lib. de Spiritu, & lit. cap.* 34. ait : *Viſorum ſuaſionibus agit Deus ut velimus, & ut credamus; ſive extrinſecus per evangelicas exhortationes.* Confirmatur noſtrum argumentum : quia oppoſitum diſcurſui noſtro abſurdum in re maximé favet damnatæ doctrinæ Michaelis Baij propoſitione 28. aſſerentis. *Liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio non niſi ad peccandum valere.* Patet aſſumptum. Quia vel liberum arbitrium cum ſolis gratiis exterioribus, ſine unctione interioris gratiæ ſolùm valet ad ſe magis obdurandum in peccato, vel non ? Si dicant primum, Baij propoſitionem confirmant. ſi ſecundum eligant, ipſamet propoſitio, quam impugnamus, ea reſponſione corruit.

Exteriores gratiæ ad victoriã tentationum juvant, non collectivé, ſed ſingulatim.

Aut admittitur error Baij, aut corruit hæc propoſit.o quinta.

6 Objicient adverſarij. Illud Auguſtini *lib. de Gratia Chriſti contra Pelagium cap.* 8. *Ubi non eſt lex, ait Apoſtolus, nec prævaricatio, & concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret; non concupiſces; ac per hoc uſque adeò aliud eſt lex, aliud eſt gratia, ut lex non ſolùm nihil proſit, verùm etiam plurimum obſit, niſi adjuvet gratia.* Per hæc autem videtur Auguſtinum in hac fuiſſe ſententia, quòd gratia exterior, ſcilicet lex, abſque interioris gratiæ adjumento nihil proſit, ſed plurimùm obſit. Pro ſolutione eſt præſciendum Auguſtinum ibi agere adverſùs Pelagium, qui adjutorium gratiæ omnino negans, ſolis naturæ viribus totum meritum tribuebat. Igitur, dum Sanctus Doctor aſſerebat legem nihil prodeſſe ſine gratia, intelligendus eſt ad meritum ; aut etiam quia ſine gratia tota lex, & per longum ſpatium nequit à natura ſervari. Dum autem inſuper docet legem ſine gratia obeſſe, hoc occaſionaliter dicit eodem ſenſu, quo eundem Auguſtinum interpretati ſumus toto *num.* 3. cum fideliſſimo ejus diſcipulo Divo Thoma.

7 His præmiſſis varia deducuntur. *Primum.* Hanc propoſitionem quintam eſſe plané *falſam*, ac *temerariam.* Prima

pars probatur facilè eo quòd plurimùm à veritate deviat; quod principiis etiam philoſophicis oſtendi poteſt. Videlicet: Quia nulla cauſa (libera tantummodo excepta) poteſt ſub eiſdem principiis, & circunſtantiis, quibus ex parte ſui conſtituitur in actu primo, producere duplicem effectum extremè oppoſitum; ut ſe habent bonum, & malum; blanditia cordis, & obduratio ejuſdem. Unde Divus Thom. *lect.* 2. *ſuper cap.* 7. *ad Roman.* inquit: *Non poteſt id, quod eſt ſecundùm ſe bonum, & vivificum, eſſe cauſa mortis*; atqui gratiæ exteriores per ſe aptæ ſunt ad producendam, & excitandam cordis blanditiam, & converſionem ad Deum per ſimultaneum concurſum gratiæ adjuvantis, & cooperantis: ergo non poſſunt per ſe inſervire ad magis obdurandum cor hominis.

Cauſæ effectus oppoſitos, & contrarios non producentes.

8 Minor liquet ex Apoſtolo *Epiſt.* 2. *ad Timot cap.* 3. dicente: *Omnis ſcriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, & corripiendum, & erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus*; itemque ex eodẽ in *Epiſt. ad Rom. cap.* 7. ibi: *Lex quidẽ ſancta, & mãdatũ ſanctum & juſtum, & bonum. Quod ergo bonum eſt, mihi factum eſt mors. Abſit.* Lex autẽ, & ſcriptura inſpirata ad docendum, corripiendum, &c. gratiæ ſunt exteriores. Maior autem probatur. Quia poſſe producere actus extremè oppoſitos ſub eiſdem diſpoſitionibus eſt proprium munus cauſæ liberæ, qualis eſt voluntas, & liberum arbitrium; in quo tantùm a reliquis cauſis non liberis diſcriminatur. Et poteſt confirmari. Quia quoties effectus ſunt inter ſe contrarij, & oppoſiti, etiam illorum cauſæ inter ſe opponuntur, ſiquidem in ipſis cauſis virtualiter continentur ſui effectus; atqui blanditia cordis, & obduratio ejuſdem ſunt effectus oppoſiti: ergo poſtulant principia motiva, quæ ſint diverſa, & oppoſita. Deinde gratiæ exteriores ſunt principia moventia corda ad contritionem, & amorem Dei, neque minus ad blanditiam cordis: ergo nequeunt corda movere ad duritiam. Cõfirmatur. Quia exhortationes, exempla, & doctrinæ ſunt tantùm cauſæ morales blanditiæ cordis, non enim influunt producendo phyſicè blanditiam, ſed tantùm eam ſuadendo, & corda ad ipſam movendo, velut finalem cauſam ipſius exhortationis, atqui exhortatio, & clarum virtutis exẽplum corda non movet, neque ſuadet ad duritiam: ergo nõ eſt duri-

Gratiæ exteriores ſunt cauſæ morales.

duritiæ cordis cauſam moralis; ac per conſequens falſó aſſeritur gratias exteriores,præciſá interiore unctione gratiæ,ſolùm inſervire ad cor obdurandum. Prætcrea:quis proferat Paſſionem, & mortem Domini JESU Chriſti, (utraque enim cadit ſub nomine exterioris gratiæ) qui ſanguinem ſuum fudit por omnibus in peccatorum redemptionem, ad duritiam cordis poſſe aliquando inſervire?

9 Probatur ſecunda pars noſtræ ſequelæ *num. 7.* appoſitæ. Quia præfata propoſitio. ad novam ſectam inducendam leviſſimo (aut verius nullo) fundamento nititur. Occaſio enim iſtiuſmodi erroris inſané deſumpta eſt ex illa *Epiſt. ad Roman. 9. 18. Cujus vult miſeretur, & quem vult indurat.* Quem locum refert Apoſtolus ad alium *Exod. 4. 21.* ubi de Pharaone dixit Dominus ad Moyſen: *Ego indurabo cor ejus.* Cùmque tot ſigna Dei vidiſſet idem Pharao, tot exhortationes, totque flagella, ſemper tandem *induratum eſt cor Pharaonis. Exod. 7. 13.* & multoties eodem capite. Fundamentun quo nititur 5. propoſitio.

10 Aſt non locus Exodi, neque alius Epiſtolæ ad Romanos, ſed iniqua utriùſque intelligentia ad hunc errorem fundamentum parturivit; in quem minimè inciderent illius aſſertores, ſi rectè vellent intelligere quid ſit Deum alicujus cor indurare. Hoc autem Deus facit, non impertiendo aliquam duritiam,aut malitiā, ſed gratiam cōgruā ſubtrahendo. Quapropter cauſa duritiæ cordis eſt propria malitia; Deus autem mere permiſſivé ſe habet, ſinendo liberam cordis, & ejuſdem malitiæ operationem. Qua de cauſa locus ille Exodi ſic exponitur à noſtro non ſatis unquam laudando Lauduleńſi Interlinealis Gloſſæ Authore: *Indurari permittam.* Nec diſſonat *Auguſtinus Serm. 88. de tempore*, dicens: *Quid eſt, Ego indurabo cor ejus, ac ſi, cùm abſuerit gratia mea, obduret illum malitia ſua?* Quomodo Deus cor hominis indurare dicatur?

11 Neque dicant Pharaonem obduratum fuiſſe ideo quòd *abfuerit gratia Dei* tempore exhortationum; quapropter inſervire ſolùm poterant exhortationes illæ ad cor magis indurandum; hoc enim ultimum eſt liberé dictum. Licèt enim eas exhortationes præſtaret Deus ſine gratia efficaci, & congrua, non tamen ſine gratia ſufficienti, & neceſſaria ſimpliciter ad blanditiam obtinendam; qua tamen ex pro-

pria malitia indebitè fuit uſus; quod optimé probat Divus Auguſtinus Nabuchodonoſorem, & Pharaonem ſimul comparando; præſentem errorem ex tunc fortaſſe prævidendo, & ſuo mirabili ſtylo confutando. Inquit enim de *Prædeſt. & gratia lib. unico cap.* 15. *Exiſtere nihilominus fortaſſe aliquem reor qui dicat minus idoneam ad ſalutem viam, ſi nulla intrinſecus vocatione pulſatus, tamen quiſpiam flagelletur. Unde Nabuchodonoſor pœnitentiam meruit fructuoſam? Non nè poſt innumeras impietates flagellatus pœnituit, & Regnum, quod perdiderat, rurſus accepit? Pharao autem ipſis flagellis eſt durior effectus, & periit. Hic mihi rationem reddat, qui Divinum conſilium nimis altum ſapienti corde dijudicat; cur medicamentum unius Medici confectum alij ad interitum, alij valuerit ad ſalutem, niſi quia Chriſti bonus odor aliis eſt odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem? Quantum ad naturam, ambo homines erant; quantum ad dignitatem, ambo Reges; quantum ad cauſam, ambo captivum populum Dei poſſidentes; quantum ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit eſſe diverſos, niſi quòd unus, manum Dei ſentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit; alter verò libero contra Dei miſericordioſiſſimam veritatem pugnavit arbitrio?*

12 De eadem propoſitione hoc *ſecundum* deducitur: eſſe *hæreſim ſapientem*; item *hæreſi proximam*, ac demum *hæreticam*. Probatur quòd ſapiat hæreſim. Quia ita dicta propoſitio, ut conſtat ex *cap.* 1. *num.* 14. illa eſt, quæ alicui veritati opponitur, ab Eccleſia univerſa receptæ, tanquam definitæ; etiam ſi definita expreſſé non ſit. Præſens autem propoſitio opponitur doctrinæ Sanctæ Matris Eccleſiæ firmiter ſentientis exhortationes, exempla, & reliquas exteriones gratias maximé inſervire, ut peccatores moveantur ad cenverſionem. Quo ſenſu ſanctum eſt à Tridentino *ſeſſ.* 5. *de Reformatione cap.* 2. quòd Prælati, & Parochi, *diebus ſaltem Domininis, & Feſtis ſolemnibus, plebes ſibi commiſſas, pro ſua, & earum capacitate, paſcant ſalutaribus verbis, docendo quæ omnibus ſcire, neceſſarium eſt ad ſalutem: annuntiandoque eis, cum brevitate; & facilitate ſermonis, vitia quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cæleſtem gloriam conſequi valeant.* Hoc autem non eſſet ita generaliter ſtatutum, ſi aliquibus poſſet per ſe nocere, exhortantis Eccleſiæ, ejuſque

Hæc impugnata propoſitio eſt hæreſim ſapiens.

doctrinæ

doctrinæ cæleſte pabulum. Dicent: à Concilio ſupponi debuiſſet ad eum finem illuminantis gratiæ concurſus. Sed contra nunquam enim dici poterit à Concilio ſupponi exhortationes converti in perniciem, ſi gratia congrua deficiat; cùm ſemper adſit gratia neceſſaria, ac ſufficiens: cùm etiam exteriores gratiæ de ſe non habeant eam perniciem producere; quod conſtat ex dictis.

13 Probatur quòd ea propoſitio ſit hæreſi proxima. Quia ex ea ſequitur prædicationem, exempla, Paſſionem, & mortem Chriſti aliquibus conferre ſalutem Animarum; iis videlicet, quibus cum ipſis gratiis externis gratia congrua interius donatur. Aliis autem, quibus gratia congrua, & efficax interius deficit, ipſam mortem, Paſſionem, exempla, & prædicationem Chriſti inducere in peccatum, & conferre damnationem, quod eſt aperté contra Scripturam, dicente Dòmino Ezech. 33. 11. *Nolo mortem impij, ſed ut convertatur impius à via ſua, & vivat. Convertimini, convertimini à viis veſtris peſſimis.* Ex quo ſacro teſtimonio ſic argumentum conficio: Deus ſuprà adducto Ezechielis Textu omnes impios exhortatur ad converſionem; non autem omnes convertuntur, neque eorum omnium corda emolliuntur interiùs gratiâ efficaci, obſtante propria ipſorum malitiâ. Et tamen Deus per illas exhortationes nolebat mortem, neque duritiam eorum: ergo non ſolùm falſó, ſed etiam contra ipſam ſacram Scripturam aſſeritur ſequens propoſitio: *Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inſerviunt niſi ad illud magis obdurandum.*

Eſt hæreſi proxima.

14 Quòd tandem ipſa propoſitio ſit hæretica probatur facilé. Primò, quia ſacræ Scripturæ evidenter eſt oppoſita, ut conſtat ex locis, quæ pro veritate Chatolica adduximus *num.* 2. & *num.* 13. hujus capitis. Secundò, quia hæc propoſitio cum duabus aliis Calvini, hæreſi infectis, circa prædeſtinationem, & reprobationem recurrit; quarum utraque ab Eccleſia ſæpe ſæpiùs damnata eſt. Sunt autem Calvini propoſitiones. Prima. *Deus impellit malos ad peccandum.* Secunda. *Mali illuduntur, atque decipiuntur à Deo.* Has propoſitiones Calvinus *lib.* 1. *inſtit. cap.* 18. §. 4. & *lib.* 3. *cap.* 23. §. 9.

Eſt tandem hæretica.

Calvini dogmata.

Eaſdem facillimo negotio poterit quis cum hac in præſēti dānata propoſitione convertere. Sic primò. Quando Deus non emollit cor per unctionem interioris gratiæ, ejus exhortationes ad vitam, & pœnitentiam, ſolùm inſerviunt ad illud magis obdurandum: ergo Deus inducit in eandem in peccato obdurationem. Secundò ſic. Ergo Deus præfatis exhortationibus illudit cor hominis. Licèt enim in actu ſignato eos vocare, & exhortari videatur, exercitè eos indurat, & repellit.

Eadem propoſitio eſt pernicioſa, & pluries damnata.

15 Ex quibus *tertium* hoc deducitur. Hanc propoſitionem eſſe *pernicioſam*, & *pluries damnatam*. Et quidem eſſe pernicioſam conſtat; ea enim ducti poſſent Prædicatores verbi Dei, imò & deberent, ab exhortationibus abſtinere, nè fortè audientium corda magis indurarent. Conſtat etiam pluries fuiſſe damnatam in re, & quo ad veritatem ſenſûs, primò inter propoſitiones Michaelis Baij, ut patet ex dictis *num.* 5. hujus capitis. Secundò inter errores Joannis Calvini, ut paulò ſuprà diximus.

CAPUT VI.

Impugnatur falſa illa doctrina, in ſexta, & duabus ſequentibus propoſitionibus contenta.

1 PER hos tres articulos memoratos agitur de differentia inter utrumque Teſtamentum; novum, inquam, & vetus; quæ non alia eſſe dicitur, niſi quòd in veteri Teſtamento Deus legem, & præcepta imponeret hominibus, cùm tamen ad eorum implementum nullum auxilium, aut potentiam contuliſſet: in novo autem Teſtamento det, & operetur Deus id ipſum, quod præcipit, nos ad id ſua gratiâ purificando. Unde maxima infelicitas infertur in veteri Teſtamento, in novo autem ſumma felicitas. Et quidem conſequenter, & rectè juxta ea virulenta principia: nam in Teſtamento veteri ſummus labor infructuoſus erat. In novo ſumma requies maximo fructu gaudet, dum gratia, hoc eſt omnipotentis manus per ſe operatur quod nobis præcipitur in hoc fœdere. Cùm autem id ſit inter duo Teſtamenta diſcrimen: hoc conſequenter deducitur, ſcilicet: nullum ad novum Teſtamentum pertinere; niſi quandiu participat illam novam gratiam, quæ in quolibet operatur præcepta Dei, & eorum executionem. Ipſas propoſitiones præ oculis habe.

Exponitur ſenſus propoſitionũ ſextæ, ſeptimæ, & octavæ.

VI. Diſcrimen inter fœdus Judaicum, & Chriſtianum eſt, quòd in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendò illum in ſua impotentia: in iſto verò Deus peccatori dat quod jubet illum ſua gratiâ purificando.

Propoſitiones 6. 7. & 8.

VII. Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipſi ſuam legem?

Quæ

Quæ verò felicitas non eſt admitti ad fœdus, in quo Deus donat quod petit à nobis?

VIII. Nos non pertinemus ad novum fœdus, niſi in quantum participes ſumus ipſius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.

Quatuor aſſertiones contra propoſitiones relatas.

2 Quos falſos errores impugnaturus, quatuor aſſertiones ſtatuo. *Prima.* Alia eſt, & longè diverſa, differentia inter novum, & vetus Teſtamentum. *Secunda.* Nulli hominum denegat Deus in ſtatu aliquo gratiam neceſſariam, ut legem, quam ſtatuit, ſervare poſſit. *Tertia.* Licèt Deus operetur in nobis, & nobiſcum cooperetur, hoc non tollit, quominus Mandatorum Dei executionem operemur. *Quarta.* Nullus hominum pro præſenti dici poteſt quòd ad vetus teſtamentum adhuc pertineat; ſive quòd ad novum non debeat pertinere. Hanc aſſertionem ſic generaliter extendo, nam quo ad ſolos Fideles certum eſt eos pertinere ad novum Teſtamentum, juxta doctrinam Divi Auguſtini *Lib.* 3. *ad Bonif. cap.* 4. *Fides noſtra ad novum pertinet Teſtamentum.*

SECTIO I.

Primum aſſertum oſtenditur.

Novum, & vetus Teſtamentum differunt per Authorem utriuſque, & per ſuſcipientes eadem teſtamenta.

1 PRo prima aſſertione, *dico primò.* Inter novum, & vetus Teſtamentum aliquod reperitur diſcrimen ex parte Authoris, & ſuſcipientium. Patet, licèt enim Author utriûſque teſtamenti ſit Deus, ut eſt abſque dubio; hoc tamen intereſt diſcrimen; quòd vetus Teſtamentum datum fuit à Deo per famulum ſuum Moyſen, novum autem per Filium ſuum. Similiter, quanvis utrumque hominibus datum ſit, vetus erat pro Judæis; novum autem pro Chriſtianis conditum. Illud pro ſervis; hoc autem pro filiis, & hæredibus. Unde Divus Paulus ad *Galat.* 4. 22. inquit: *Scriptum eſt quòd Abraham duos filios habuit; unum de ancilla, & unum de libera. Sed qui de ancilla ſecundùm carnem natus eſt; qui autem de libera per repromiſſionem. Quæ ſunt per allegoriam dicta. Hæc enim ſunt duo teſtamenta. Unum quidem in monte Sinâ, in ſervitutem generans, quæ eſt Agar. Sina enim mons eſt in Arabia, qui*

con-

conjunctus eſt ei, quæ nunc eſt Jeruſalem, & ſervit cum filiis ſuis. Illa autem, quæ ſurſum eſt Jeruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra. Et paulò pòſt: *Non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ.* Quapropter, ſicut Abraham aliter egit cum Iſmaele, & aliter cum Iſaac; ille enim ex ancilla, hic autem de libera, ſic Deus in veteri Teſtamento aliter (ut fas erat) diſpoſuit cum Judæis, aliterque in novo Teſtamento pro Chriſtianis diſpoſuit.

2 Potior inter utrumque Teſtamentum differentia) *Dico ſecundò*) in ipſis utriûſque Teſtamenti diſpoſitionibus reperitur. In quinque enim differunt novum, & vetus Teſtamentum. *Primò* in myſteriis Fidei. *Secundò* in promiſſionibus. *Tertiò* in comminationibus. *Quartò* in legibus, & præceptis. *Quintò* in ſacrificiis, & ſacramentis. Hæc omnia colliguntur ex Divo Auguſtino *lib.16.de Civit.Dei c.26.et ex Divo* Gregorio Magno *Homil. 6. in Ezechiel.* Accedunt Scholaſtici cum Becano. *2.p. Theolog. Scholaſticæ Tract. 3.q. 3. cap. 5.* Azorio, *Inſtitut. Moralium, lib. 6. cap. 2. de Lege Divina veteri, & nova.*

Differunt teſtamenta diſpoſitionibus.

3 Prima igitur differentia ſumpta ex myſteriis, ut diximus, probatur. Quia præcipua Fidei noſtræ myſteria, qualia ſunt Trinitatis, Incarnationis, & Reſurrectionis, in veteri Teſtamento aperta non erant; ſed tantùm obſcuré, & imperfecté cognita; in novo autem Teſtamento per ſe ipſa manifeſta perfecté aperta ſunt. Unde Divus Auguſtinus citatus inquit; vetus Teſtamentum eſſe novi occultationem; novum autem eſſe veteris revelationem. In quo ſenſu intelligitur Divus Thomas *quæſt. 107. art. 8.* dicens Legem novam in veteri contineri, ſicut perfectum in inchoato, ſicut arbor in ſemine, & ſicut frumentum in ſpica. Ad hoc ſignificandum cùm olim Moyſes ad populum loqueretur, faciem velabat; nobis autem poſtea Chriſtus locutus eſt, revelata facie, ut inquit Apoſtolus *2. ad Corint. 3.* Hujus autem, ea fuit ratio congruentiæ: quia Judæi, pro quibus vetus Teſtamentum conditum fuerat, ſervi erant, & filij ancillæ, ut per allegoriam dicitur ab Apoſtolo ad *Galat. 4.22. Nos verò filij, & hæredes ſumus*, ut inquit Apoſtolus ad *Roman. cap. 8.* Servi autem non tam perfecté ſciunt, neque ita claré percipiunt conſilia, & ſecreta patris familias, quàm filij, juxta illud Chriſti Domini, *Joan. 15. 14. Jam non dicam vos ſervos, quia ſervus neſcit quid faciat dominus ejus.*

Myſteriorum utriûſque Teſtamenti differentia.

Cur Moyſes velata facie ad populum loqueretur, Chriſtus autem, cur facie revelata?

4 Se-

4 Secunda ratio diſcriminis inter novum, & vetus Teſtamentum eſſe diximus in promiſſionibus; diverſæ enim ſunt utriûſque teſtamenti promiſſiones. In veteri enim promittebat Deus præcepta ſua obſervantibus bona temporalia; unde Iſaiæ 1. 19. *Si audieritis me, bona terræ comedetis.* In novo autem Regnum cæleſte promittitur, juxta illud Chriſti Domini, Matth. 5. 3. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum Cælorum.* Quapropter Auguſtinus in *Pſalm.* 73. inquit: *Deus ſe utriûſque Teſtamenti voluit eſſe authorem; ut terrena promitteret in veteri, & cæleſtia in novo.* Hujus autem diſcriminis eadem eſt ratio, quæ ſuprà; quia ſcilicet ſervi accipiunt à ſuis dominis temporalem mercedem; filij autem ſuccedunt in perpetuam hæreditatem.

In promiſſionibus differunt etiam Teſtamenta.

5 Quæritur hîc: Utrùm vetus Teſtamentũ mandata ipſius colentibus, & ipſius præcepta ſervantibus; terrena, ac temporaria tantũmodo, non autem æterna, & cæleſtia, ut præmium, & mercedem promitteret? Fuit olim inter Manichæos Fauſtus, qui legem veterem reſpuebat, eo quòd naturam tantùm, & non Cælum promitteret; invitabat enim ad ſui obſervationem; terrena bona promittens, puta, dierum longitudinem, liberorum procreationem, fructuum è terra naſcentium abundantiam, & copiam, terramque lacte, melle, frumento, vino, & oleo fluentem. Sicut non obtemperantibus legi hujus quoque vitæ mala, & incommoda comminabatur, ut ſic deterrerentur à malo. Eſt tamen ſciendum quòd vetus Teſtamentum terrena illa bona cultoribus ſuis neutiquam ut ultimũ finem, & præmium ultimum promittere, ſed ut figuras, & umbras cæleſtium donorum, quæ etiam ſub ipſis promiſſionibus continebantur. In Pentateucho enim, hoc eſt, in quinque Moyſis libris, ſpiritualia bona (licèt non tam manifeſtè, quàm in novo Teſtamento) ſæpe promittuntur. Quia de Abraham dicitur *Geneſ.* 15. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam*; ad eam, inquam, juſtitiam, de qua intelligendus eſt Apoſtolus ad Timoth. *Epiſt.* 2. 4. *In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, juſtus Judex; non ſolùm autem mihi, ſed & iis, qui diligunt adventum ejus.* Quæ juſtitiæ corona cæleſtem eſſe Beatitudinem conſtat ex Patribus, & ex ipſa Apoſtoli locutione. Præterea quia *Geneſeos*

Quæſtio incidens.

In veteri Teſtamento æterna bona umbratitiè promittebatur.

12. &

12. & 17. Abraham dictum eſt: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes; quod explicans Apoſtolus *ad Galat.* 3. inquit: *In ſemine tuo, quod eſt Chriſtus.* Hæc autem promiſſio terrena, & temporalis non eſt. Eidem quoque Abrahæ dixit Deus *Geneſ.* 15. *Ego protector tuus ſum, & merces tua, magna nimis.* Quaſi dicat; te manet ampliſſima fidei tuæ, & obedientiæ merces, qui meo auxilio fretus Reges potentiſſimos deviciſti. Eodem tendit illud *Sapient.* 5. 1. *Stabunt Juſti in magna conſtantia adverſus eos, qui ſe anguſtiaverunt, &c.*

6 Sed contra obitare videtur quod Divus Auguſtinus citatus præcedenti *num.* 4. aſſerit: Deum terrena promiſiſſe in veteri teſtamento, & in novo cæleſtia. Quod inſuper confirmaſſe patet *lib.* 18. *de Civit. Dei, cap.* 11. inquiens. *Vetus dicitur Teſtamentum, quia promiſſiones terrenas habet; & per Jeſum Chriſtum futurum fuerat Teſtamentum novum, quo regnum cælorum promitteretur: hunc enim ordinem ſervari oportebat, ſicut in novo quoque homine, qui in Deum proficit, id agitur; quod ait Apoſtolus, ut non ſit prius quod ſpiritale eſt, ſed quod animale, poſtea verò ſpiritale.* Ep. 1. ad Cor. 15.

7 Dicendum tamen eſt Auguſtini mentem hanc eſſe: quòd in veteri Teſtamento etiam cæleſtia promitterentur, non tamen ita expreſſé, ſicut in novo promittuntur, ſed umbratitié, & figurativé. Unde *lib.* 4. *contra Fauſtum Manich. cap.* 2. inquit *Tempore quidem rerum promiſſiones Teſtamento veteri contineri; & ideo vetus Teſtamentum appellari nemo noſtrûm ambigit; eo quòd æternæ vitæ promiſſio, Regnumque cælorum ad novum pertinet Teſtamentum. Sed in illis temporalibus figuras fuiſſe futurorum, quæ implentur in nobis, in quos finis ſæculorum obvenit; non ſuſpicio mea, ſed Apoſtolicus ſenſus, dicente Paulo, cùm de talibus loqueretur: Hæc omnia, figura noſtri fuerunt. Et iterum: Hæc omnia in figura contingebant illis.* Idem habet Sanctus Doctor *lib. contra Adimantium Manichæi diſcipulum*, ubi docet in veteri quoque Teſtamento apud Iſaiam Prophetam eadem ſpadonibus promitti, quæ in novo Teſtamento Eunuchis promittuntur à Chriſto. Nam, ſicut dicit eſſe quoſdam, qui ſe ipſos caſtraverũt propter Regnum Cælorũ, ſic *Iſaias* ait: *Hæc dicit Dominus Eunuchis, qui cuſtodierint præcepta mea, & elegerint ſibi quæ ego volo, & capaces fuerint Teſtamenti mei, dabo illis in domo mea, & in muro*

Ep. 1. ad Cor. 10.

Iſai. 56.

ro meo locum nominatiſſimum, meliorem multò filiorum, & filiarum: nomen æternum dabo illis, neque unquam deerit. His igitur hæc ſubjungit Divus Auguſtinus citatus: *Certis quibuſdam umbris, & figuris rerum ante Domini adventum ſecundùm mirabilem, atque ordinatiſſimam diſtributionem temporum, populus ille tenebatur, qui Teſtamentum vetus accepit. Tanta prædicatio, & prænuntiatio novi Teſtamenti eſt, ut nulla in Evangelica, atque Apoſtolica diſciplina reperiantur, quanvis ardua, & Divina præcepta, & promiſſa, quæ illis etiam libris veteribus deſint.* Idem repetit *lib.* 1. *Retract. cap.* 22.

Differũt etiam Teſtamenta in comminationibus, & pœnis.

8 Tertia diverſitatis ratio ex pœnis, & comminationibus ſumenda eſt per paritatem ad præmia, & promiſſiones. Nam in veteri Teſtamento minabatur Deus pœnas, & ſupplicia temporalia; in novo autem æterna. Patet hoc: quia in veteri dicitur per Iſaiam 1. 20. *Si me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos.* In novo autem Matth. 5. 23. dicitur: *Qui dixerit fratri ſuo; Fatue, reus erit gehennæ ignis.*

Etiam in Legibus, & præceptis novum Teſtamentum differt à veteri

9 Quarta differentialis ratio in legibus, & præceptis eſt. Quia in veteri Teſtamento triplicia reperiuntur præcepta, & leges, videlicet: moralia, cæremonialia, & judicialia; de quibus diffuſè ſcribit Joannes Azor. *Inſtitut. Moral.lib.* 6. *à cap.* 3. & Becanus 2. *part. Theolog. Scholaſt. tract.* 3. *cap.* 4. *à quæſt.* 4. In novo autem Teſtamento triplicia præcepta ſunt longè alia: ſcilicet, moralia, Sacramentalia, & Fidei. Deinde in veteri Teſtamento *moralia* præcepta falſis interpretationibus corrupta erant, cùm tamen in novo per Chriſti doctrinam veris intelligentiis illuſtrata ſint. In veteri præcepta *judicialia* erant quaſi innumerabilia: at verò in Teſtamento novo judicialia præcepta nulla ſunt. Denique plurima erant *cæremonialia* præcepta in Teſtamento veteri, quibus in novo ſucceſſerunt ſacramentalia, quæ ut inquit Divus Auguſtinus *Epiſt.* 118. ſunt *numero pauciſſima, obſervatione facillima, ſignificatione præſtantiſſima.*

Poſtrema differentia in Sacrificiis, & Sacramentis.

10 Quinta, & ultima diſcrimandi ratio inter ſacrificia, & ſacramenta utriuſque Teſtamenti, reperiri diximus. Sacrificia enim, & Sacramenta Teſtamenti veteris plura erant, & umbræ; & conferebant munditiam legalem. Novi autem Teſtamenti ſacrificium, & ſacramenta, pauca numero, corpus,

& veritatem continent, nec jam in mactatione animalium perficitur ſacrificinm, ſed in Chriſti tantùm Paſſione, & morte, in Cruce, & altari.

11 Hîc excitari ſolet à Theologis quæſtio: Utrùm etiam addenda ſit differentia, inter utriûſque Teſtamenti ſacrificia, & ſacramenta: quòd ſcilicet veteris illa Teſtamenti munditiam tantùm legalem, non autem internam gratiam ſanctificantem contuliſſent: hæc verò Teſtamenti novi ſacramẽta gratiam ſanctificantem præbeant? Et ratio dubitandi eſt: quia *Levit.* 1. de holocauſto ſæpe dicitur illud eſſe Sacrificium, quo Dòminus placabatur. Itemque ejus odorem eſſe ſuaviſſimum, & per illud expiari offerentium peccata; quod etiam repetitur *Levit.* 2. *&* 3. Item quia 4. *Levit.* pluriès dicitur: *Rogabitque pro offerente Sacerdos, & propitius erit ei Dòminus, & dimittentur ei peccata.* Favet etiam, quòd hæc ſacraficia offerebantur cum Fide Spe, & Charitate, ac etiam cum obedientia ad Deum: ergo erant illi grata, & accepta, gratumque reddebant offerentem. Deinde Eccleſia à Deo petit ut Sacrificium Miſſæ, quod facit, & offert per Sacerdotes, acceptum ſit Deo, ſicuti accepta erant ſacrificia Abelis, Melchiſedech, & Abrahæ, non autem minùs grata fuerunt ſacrificia veteris Teſtamentî, quàm priora illa. Præterea *Levit.* 18. *&* *Ezechielis* 20. legitur cultores legis victuros in eis ideſt, ex eis, & per ea.

Dubium circ. effectum ſacrificiorum, & Sacramentorum Teſtamenti utriûſque.

12 Ex adverſo tamen eſt, quòd Divus Paulus oſtendit juſtitiam, gratiam, & remiſſionem peccatorum, non fuiſſe ex lege, ut videri eſt, ex *Epiſt. ad Rom.* 5. *&* 7. *ad Galat.* 2. *&* 4. *ad Hebr.* 7. 8. 9. *&* 10. Item quoque Apoſtolus 1. *ad Corint.* 10. inquit: *Omnia in figura contingebant illis.* Etiam Divus Auguſtinus in *tit. Pſalm.* 71. docet vetera ſacramenta promiſiſſe tantùm, & ſignificaſſe ſalutem; nova autem illam dediſſe. In quo ſenſu inquit Becanus ſupracitatus capite verò 5. *quæſt.* 3. *num.* 9. *Illa conferebant munditiam tantùm legalem, hæc internam gratiam, & ſanctitatem.* Neque diſcordat à Petro Lombardo ſententiarum Magiſtro, qui *in* 4. *diſt.* 1. docet ea ſacrificia etiam cum verà Fide, Spe, & Charitate in Deum facta, nullam habuiſſe vim conferendi gratiam, & juſtitiam internam; ſed ſolùm fuiſſe divinitus inſtituta, ad excitandum ſtudium obedientiæ, & pietatis, & ad obeunda virtutum officia, in quibus veteres

illi Judæi ſe exercerent,ut ab idolorum cultu averterentur.Denique ut typi, & figuræ eſſent ſacroſancti Sacrificii per Chriſtum offerendi, eo quòd tota illa lex vetus nihil aliud erat, niſi umbra, & figura novæ.

Præcedentis dubij reſolutio

13 Dicendum tamen eſt hanc ſententiam ex ea parte, quæ docet Sacrificia legis veteris nihil gratiæ dediſſe, etiam cùm fiebant ex Fide, Charitate, & obedientia in Deum; eſſe nimis rigidam. Nam opus cum vera Fide,& Charitate factum eſt Deo acceptum, & gratum.Præterea, medicamenta, quæ ſanitatem non conferunt, vana ſunt, ſed Sacramenta Legis veteris divinitus inſtituta ſunt, veluti medicamenta, & remedia contra peccata; ergo aliquo modo gratiam conferre debebant.Quapropter Hugo de Sancto Victore *Lib.7.de Sacram.cap.* 1.inquit:*Si quis Sacramenta priora effectum Sanctificationis habuiſſe negaverit, non mihi rectè ſentire videtur.* Et *cap.*2.ait: *Mediantibus Sacramentis novæ Legis, illa prioris temporis Sacramenta ſignificabant, ut eadem eſſent ſalus, & his, qui recta fide ſigna futuorum in illis venerati ſunt,& his qui in iſtis effectum ſalutis percipiunt.*Ex his non eſt ſtatuendum veteris Legis Sacrificia ſanctitatem, & gratiam, per ſe contuliſſe, ad inſtar Sacramentorum novæ Legis, cùm Paulus dicat, ea eſſe egena, & infirma elementa, ſitque valde communis Theologorum oppoſita Sententia in 4.*Sentent.diſt.*1.

Sacraficia legis veteris non ex vi ſuà,ſed virtute, & merito Chriſti gratiam conferebant.

14 Conſtans igitur Theologorum opinio docet Sacrificia Legis veteris ex vi ſuà, & proprià ſubſtantià, minimè dediſſe gratiam, neque deleviſſe peccata; dediſſe tamen gratiam, virtute, & merito Chriſti, qui in illis typicè ſignificabatur. Sicque conciliantur rationes dubitandi, pro utràque parte expoſitæ. Poteſtque confirmari ex Azorio, quia illa Sacramenta non fuerunt inſtituta,ut gratiam darent, ſed ut eam per Chriſtum conferendam ſignificarent, & ut per ea, offerentes Chriſti Fidem profiterentur, qui in illis Sacrificiis, tanquam typis, & figuris adumbrabatur. Hoc autem non leviter conſtat ex præcedentibus. Hæc pro noſtrà primà aſſertione ſint ſatis. Siquæ tamen adhuc deeſſe videantur ad plenam impugnationem ſextæ propoſitionis, ſequenti ſectione reperientur. Ubi etiam ſoluta argumenta, quibus falſa doctrina, poterit fortaſſe niti.

SEC-

SECTIO II.

Secundum aſſertum num. 2. *hujus capitis contentum defenditur.*

1 SEcundum, de quo in præſenti agimus, aſſertum, ut patet ex loco, in titulo ſectionis hujus, relato, hoc erat: *Deus nulli unquam hominum denegat gratiam neceſſariam; ut legem, quam ſtatuit, poſſit ſervare.* Quod eſt ex diametro oppoſitũ falſæ doctrinæ ſextæ, & ſeptimæ propoſitionum in Bulla *Unigenitus* damnatarum. Quarum una ita habet: *Diſcrimen inter fœdus Judaicum, & Chriſtianum eſt: quòd in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum, in ſua impotentia, &c.* Altera verò ſic procedit: *Quæ utilitas prò homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit, ejus propriæ infirmitati, imponendo illi legem ſuam, &c.* Quibus, ut patet, negatur collatio gratiæ auxiliantis, ut lex Divina adimpleri poſſit. Quod quidem quàm falſum ſit oſtendere incipio; licét nonnulla ad id ſpectantia tradidiſſem *cap.4.ſect.2.*

Non deficit gratia neceſſaria ad obſervátiam Divinæ Legis.

2 Primò igitur aſſertionem noſtram probo ex Scripturá Sacra ad *Rom.2.* ubi inquit Apoſtolus: *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram.* Ex quo patet miſericordiam, & benignitatem Dei in id ſemper tendere, ut nos in bonum à malis adducat per auxilia interioris gratiæ, quanvis ex malitià cordis humani deſeratur auxilium Divinæ gratiæ. Probatur ſecundò ex quodam Canone Concilij Valentini III. in quo *cap. 2.* ſanctum fuit: *Malos non ideo perire, quia boni eſſe non poſſunt; ſed quia boni eſſe noluerunt, ſuoque vitio in maſſá damnationis, vel merito Originalis, vel etiam actualis permanſerunt.* Ex quibus manifeſtum fit hanc Valentini Concilij definitionem impugnare, qui veteris Teſtamenti Cultores auxiliis ad legem obſervandam, fuiſſe deſtitutos aſſerat; non enim dici poteſt ad mentem præfati Concilij eos obſervatores eſſe non potuiſſe; ſed tantùm noluiſſe. Probatur tertiò ex quadam regula Fidei in Conciliis ſæpe declarata, quæ etiam in Tridentino habetur, *ſeſſ.6.cap.11. & Can.18.* videlicet: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adju-*

Si Deus auxilia ſufficientia non præſtaret ad implementum Legis, juberet impoſſibilia.

vat ut poſſis; atqui juberet Deus impoſſibilia hominum alicui ſi illum adſtringeret ad obſervantiam Legis, & præceptorum illius, auxilia verò ſufficientia, & neceſſaria ad præcepta opera omnino negaret, illum deſerendo, & in ſuà impotentià relinquendo; ergo falſó dicitur Deum à primi fæderis cultoribus exegiſſe fugam peccati, & implementum Legis à peccatoribus, relinquendo illos in ſuà impotentià.

3. Confirmatur ex Auguſtino *lib.2.de Serm.Domin.in monte cap.* 15. ibi dicente *nullam eſſe Animam, quanvis perverſam, quæ tamen ullo modo ratiocinari poteſt, in cujus conſcientia, non loquatur Deus.* Modus autem, quo Deus in conſcientia loquitur, juxta communem Theologorum doctrinam, non eſt niſi excitando intellectum, & movendo voluntatem, per pium affectum, & auxilia Divinæ gratiæ. Indubitabilis fit hæc doctrina ex illà Divinà promiſſione, pietatis plenà per Apoſt. Ep. 1. *ad Corint.* 10. *Fidelis autem Deus, qui non ſinet vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.* Vnde ita argumentor. Deus demonſtratur fidelis, juxta Apoſtoli doctrinam, ex illo quòd non ſinat tentari nos ſupra id, quod poſſumus; atqui ſi hominibus pro primo fœdere, non darentur auxilia neceſſaria ad Legis obſervantionem, tentarentur ſupra id quod poſſent: ergo pro tali fœdere fidelis non eſſet Deus. Maior deducitur ex ipſa Apoſtoli doctrina. Minor eſt ipſum adverſariorum dogma, aſſerentium Deum reliquiſſe antiqui fœderis cultores in ſuà impotentià, & omni auxilio deſtitutos ad obſervationem Legis, & præceptorum. Conſequentia autem rectè deducitur.

Quomodo loquatur Deus in conſcientia hominum.

4. Dices hanc Apoſtoli doctrinam, & promiſſionem Divinam, in eàdem contentam, ſimiliter ea omnia, quæ ſive ex Conciliis, ſive ex Auguſtino adducta ſunt, ſolùm probare, Divinam erga homines miſericordiam, eos nunquam in novo hoc fœdere deſerentem, unde Lex gratiæ merito nuncupatur, non autem pro veteri fœdere, cùm de illo expreſſé non loquantur; neque inſuper deſint rationes, quibus oppoſitum ſuaderi putent.

5. Sed contra. Primò. Quia oppoſitum expreſſé habetur in confirmationem Catholicæ veritatis ex Divo Auguſtino *lib. 3. ad Bonifacium cap.* 4. dicente: *Quis Catholicus dicat Spiritum*

tum Sanctum adjutorem virtutis in veteri Teſtamento non fuiſſe? Idem habetur ex Divo Thoma 1. 2. *quæſt.* 98. *art.* 2. *ad* 4. ubi ſic: *Quanvis lex vetus non ſufficeret ad ſalvandos homines, tamen aderat aliud auxilium à Deo hominibus, ſimul cum lege, per quod ſalvari poterant; ſcilicet Fides mediatoris, per quam juſtificati ſunt antiqui Patres, ſicut etiam nos juſtificamur, & ſic Deus non deficiebat hominibus, quin daret eis ſalutis auxilium.* His Magiſtris accedit Caetanus, utriuſque ſectator: inquit enim ſuper Epiſtolam ad Romanos: *Nec per hoc intelligas Novitie, quòd Judæi ante Chriſti adventum, ſub lege exiſtentes caruerint gratiâ; quoniam hoc non dicimus; ſed intellige quòd ex illo ſtatu non habebant gratiam. Sed habebant gratiam qui illam habebant, ex participatione ſtatûs novi relevandi per Chriſtum. Participabant autem ſtatum novi Teſtamenti, fide, & devotione ad mediatorem Dei, & hominum Meſſiam.*

6 Contra. Secundò. Eadem enim ratio convincens nullum in novo fœdere hominum auxiliis neceſſariis deſtitui ad præceptorum implementum; ſimul æquè urget pro veteri fædere, oſtendens neque in illo aliquem extitiſſe, neceſſariis auxiliis deſtitutum ad antiquæ legis obſervationem. Pro novo enim, in quo ſumus fædere tot auxilia conferendi, hæc eſt æquiſſima ratio, ex parte Dei, & noſtri. *Prima*; quia Deus impoſſibilia non jubet; atqui plena legis obſervantia (præcipué per longum vitæ ſpatium, & cùm inſtant graves tentationes) eſt impoſſibilis, niſi adſint auxilia Divinæ gratiæ: ergo dicendum Deum auxilia contuliſſe ad prædictæ legis obſervationem; né forté dicatur impoſſibilia præcepiſſe in primo fædere. Maior conſtat ex Tridentino *Seſſ.* 6. *cap.* 11. *Can.* 18. ibi? *Deus impoſſibilia non jubet.* Minor eſt inter Theologos indubitata, & Sacris Conciliis communis. Videatur Divus Bonav. *in* 2. *diſt.* 28. *a.* 2. *q.* 2. & Aureol. *ibidem quæſt. unica, artic.* 2. Veg: *quæſt.* 12. *de Juſtif. & ſequent.* Sotus *lib.* 1. *de Gratia, cap.* 21. *ad* 2. Medin. 1. 2. *quæſt.* 10. *art.* 3. *& quæſt.* 109. *art.* 2. *ad* 4. Bellarm. *lib.* 5. *de Juſtif. cap.* 5. *&* 7. Valent. 2. *p. diſp.* 8. *Secunda*: Quia ſemota potentiâ, quilibet actus illius redditur impoſſibilis; atqui ablatis auxiliis Divinæ gratiæ, removetur potentia proxima, & in actu primo ad obſervationem omnimodam, totius legis, & toto vitæ ſpatio, præſertim tentatione gravi concutiente: ergo illius obſervatio perfecta: redditur

Eadem ratio probans dari à Deo auxilia ad obſervationem novæ legis; cõvincit in lege veteri eadẽ auxilia non defuiſſe.

ditur impoſſibilis. Ex his ſic ſubſumo. Impoſſibilia nequeunt cadere ſub præcepto; ergo obſervatio Divinæ legis, ſuppoſita auxilij negatione, nequit hominibus præcipi. Maior appoſiti ſyllogiſmi eſt Philoſophis principium evidens, & quaſi per ſe notum; potentia enim, & actus illius connectuntur neceſſariò, ac tranſcendentaliter, veluti cauſa, & effectus. Minor autem eſt evidens ex Theologorum doctrina, ut liquet ex prima ratione; ex quibus præmiſſis conſequentia fit legitima. Nunc ad minorem ſubſumptam; quam eſſe veram indicat non ſolùm ratio juſtitiæ legiſlatoris, verùm etiam illud Divi Auguſtini *lib. de duabus Animabus cap.* 12. *Peccati reum teneri aliquem, quia non fecit quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis, & inſaniæ eſt.* In idem tendit illud ejuſdem Auguſtini *lib. Retract. cap.* 9. aientis: *Malum, quod caveri non poteſt, peccatum non eſt.* Utraque autem ratio urget, non ſolùm pro his, qui tenentur ad obſervationem novæ legis; verùm etiam pro illis, qui ad obſervationem primi fœderis adſtricti erant; cùm utrobique urgeant ipſa diſcurrendi principia. Eſt enim pro utroque fœdere expreſſum illud ejuſdem Auguſtini *tract.* 3. *in Evang. Joannis*: Lex *ergo jubet, dator verò legis miſeretur, & adjuvat in eo, quod lex jubet.*

7 Contra. Tertiò: Quia auxilium Divinæ gratiæ neque confertur homini quâ juſto, neque quâ Chriſtiano; ſed quia legi ſubjecto, ad cujus obſervationem prædictis auxiliis indiget; atqui homines in veteri fœdere adſtricti erant legi, ad cujus obſervantiam auxiliante gratiâ indigebant: ergo non eſt dicendum quòd in obſervationem antiqui fœderis auxilia gratiæ non fuiſſent conceſſa. In minori nulla eſt dubitatio. Maior conſtat, primò ex ipſo genio, & natura ejuſdem auxiliatricis gratiæ. Secundò ex generalitate gratiæ auxiliantis, quam alibi oſtendemus: pro nunc ſatis eſt advertere commune eſſe apud Authores gratiam excitantem, & auxilium aliquo modo ſufficiens ad legis implementum nulli viatori denegari; hoc autem propter neceſſitatem gratiæ ad præceptorum executionem. Conſule Scholaſticos ferè omnes *in* 4. *diſt.* 15. præſertim Divum Thom. 3. *p. quæſt.* 86. *art.* 1. & eundem *in* 1. *diſt.* 46. *art.* 1. *q.* 1. *& in* 2. *diſt.* 28. *q.* 1. *art.* 4. Alexandrum Alenſ. 4. *p. tract.* 13. *n.* 4. *a.* 2. Bonavent. *in* 2. *diſt.* 28. *quæſt.*

Auxilia Divinæ gratiæ conferuntur intuitu obſervationis Mandatorũ Dei.

quæſt. ultima. Scotum *in 2. diſt. 46. quæſt. unica,* Altiſiodorenſ. *lib. 3. Summæ tract. 2. cap. 2. quæſt. 5.* Ferrar. *3. contra gent. cap.* 159. Petrum de Soto, Bellarm. Alvares, Sylvium, Veg. *lib. 3. in Trident.* Valent. *tom. 4. diſp. 7. punct. 1.* Suar. *de Grat.* Amic. *tom. 8. diſp. 5.* Decamphs *lib. 3. de Hæreſ. Janſen. diſp. 8. cap.* 13. noſtrum Aguirr. *in Commentariis Theolog. Divum Anſel. tom. 3. innumeris feré locis*, & eos omnes, qui adverſùs Janſenium ſcripſerunt.

8 Contra. Quartò: Quia in ipſomet Sacro Textu plura extant teſtimonia clariſſimè probantia auxilia Divinæ gratiæ hominibus adhuc pro veteri fædere præſtita, ut legem, ſi vellent, implerent: Primum ſit illud *Proverb. 1. verſ. 24. Vocavi, & renuiſtis: extendi manus meas, & non fuit qui aſpiceret, deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis.* In his autem auxilium Divinæ gratiæ vocantis, & excitantis nullus non videt. Secundum ſit illud *Iſai. 5. Judicate inter me, & vineam meam, quid eſt, quod debui facere vineæ meæ, & non feci ei? An quòd expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* Ibi ſub Parabola vineæ Judæi intelliguntur, quos per Iſaïam Deus reprehendit eo quòd veterem legem non obſervaverint, cùm tamen ad id auxiliantis gratiæ adjutorium non negaverit; nec quid adjutorij neceſſarij, quod vineæ ſuæ facere debuiſſet, non fecerit. Unde Cardinalis Aguirre *tom. 3. in Theolog. Divi Anſelm. diſp. 134. ſect. 1. num. 2.* inquit. „Inducta ea Parabolâ, „appoſité reprehendit Deus Judæos; non ideò tantùm quòd „reſtiterint doctrinæ Legis, & externis adjutoriis, (quippe „ea non ſufficerent, ut faceret cum Judæis quantum in ipſo „erat, nec ut ab iis expectaret fructum aliquem) ſed quia reſ- „titerunt internis auxiliis, quibus poſſent, ac deberent aſſen- „tiri, & ferre fructus ſalutares. Veré ergo ij reſtiterunt inte- „riori gratiæ, &c. Tertium teſtimonium illud ſit *Actor. 7. 51.*: ibi: *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis. Sicuti patres veſtri, ita & vos.* Ibi reprehenduntur Judæi eo quòd ipſi, & patres eorum reſtiterint Spiritui Sancto; hoc eſt, Divinæ gratiæ, quæ non reſiſtentibus diffunditur in cordibus per Spiritum Sanctum. Hæc autem Spiritui Sancto, & gratiæ reſiſtentia in eo tantùm erat; quòd Judæi illi, de quibus loquitur Scriptura Chriſti legem reſpuebant: eorum autem patres veteris legis

Ex Sacra Paginâ ſit evidens in veteri Fœdere non defuiſſe auxilia Divinæ gratiæ.

gis

gis obſervationem contempſerant: ergo neutris eſt dicendum auxilia defuiſſe reſpectivé ad obſervationem legis unîus, & alterius: aliàs fruſtra, & perperam reprehenderentur Judæi, ſi auxilio gratiæ deſtituti eſſent, ac in ſua impotentia derelicti: & *fruſtrà certè* (ut loquitur Concilium Senonenſe Decreto 15.) *Stephanus Judæos duræ cervicis, & incircumciſi cordis argueret, quia Spiritui Sancto reſiſterent.*

9 Contra. Quintò: quia multi homines peſſimi, & flagitioſi peccatores reperiuntur in veteri Teſtamento, qui ſub illo antiquo fœdere à viis ſuis malis ad pœnitentiam vocati ſunt, ut creditur de Nabuchodonoſore, juxta Danielis hiſtoriam *cap.* 4. *à verſ.* 31. ibi: *Poſt finem dierum ego Nabuchodonoſor, oculos meos ad cælos levavi, & ſenſus meus redditus eſt mihi, & Altiſſimum benedixi, & viventem in ſempiternum laudavi, & glorificavi: quia poteſtas ejus poteſtas ſempiterna, & regnum ejus in generationem, & generationem :::: Nunc igitur ego Nabuchodonoſor laudo, & magnifico, & glorifico Regem Cæli, &c.* De eodem Tertullianus *lib. de Pœnitent.* ſic ſcribit: *Diu pœnitentiam Dòmino immolarat, ſeptenni ſqualore, exhomologeſim operatus, unguibus aquilinum in morem efferatione, & capilli incuria horrorem leoninum præferente. Proh malæ tractationis! Quem homines exhorrebant, Deus recipiebat.* Divus Auguſtinus *Epiſt.* 122. quem ſequuntur Carthuſianus, & Lyra in *Daniel. cap. citat.* addit eundem Nabuchodonoſorem gratiam juſtificationis accepiſſe, & æternam ſalutem fuiſſe conſecutum. Neque prætermittendus eſt Manaſſes, impiiſſimus Judæorum Rex, qui poſt commiſſa tot ſcelera, quot 2. *Reg. c.*21. & 2. *Paralipom.* 33. enarrantur, pœnitentiam egit in Deum converſus. Unde 2. *Paralipom.*33. *à verſ.* 12. dicitur: *Poſtquam coanguſtatus eſt, oravit Dòminum Deũ ſuum, & egit pœnitentiam, valde coram Deo patrum ſuorum. Deprecatuſque eſt eum, & obſecravit intentè; & exaudivit orationem ejus, reduxitque eum in Jeruſalem, in regnum ſuum, & cognovit Manaſſes quòd Dòminus ipſe eſſet Deus.* Quomodo ergo poſſent impij illi homines à viis ſuis peſſimis redire in viam juſtitiæ, ſi eſſent omni auxilio Divinæ gratiæ deſtituti, & in propria impotentia relicti?

Nabuchodonoſor poſt ſeptennium pœnitentiæ Deum laudat.

10 Contra. Sextò: Quia multi in veteri fædere reperiuntur homines, ejuſdem primæ legis cultores, ſancti, & juſti

ti coram Domino, quales creduntur *Moyſes electus ejus, Pſal.* 105. *Aaron Sanctum Domini*, ut dicitur eodem Pſalmo, & innumeri ferè alij, de quibus *Tob.* 12. dicitur per ſeniorem Tobiam: *Filij Sanctorum ſumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus eſt his, qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo.* Si omnes Legem Dei cuſtodierunt; aliter ſancti, & juſti non eſſent: ergo falſo dicitur Deum reliquiſſe illos in ſua impotentia exigendo tamen ab eis fugam peccati, & implementum legis, ut in *ſexta propoſitione.* Sive Deum illos reliquiſſe, eorum propriæ infirmitati imponendo legem ſuam, ut habetur in *ſeptima propoſitione.* Argumentor enim ſic: vel ſancti illi, de quibus loquitur ſacri textûs memoratus Tobiæ locus, vitam æternam conſecuti ſunt per impotentiam propriam, & omni auxilio ſupernaturali deſtituti, vel Divinæ gratiæ viribus adjuti. Si dicatur primum: Ecce Pelagianorum error. Si ſecundum eligant, conſequenter corruunt præfatæ propoſitiones, quas in præſenti impugnamus.

Aut corruit doctrina præſentium propoſitionū, aut admittitur Pelagianorū error

11 Contra. Septimò: Quia in veteri Teſtamento aliqua fuerunt ſacramenta à Deo ordinata, & inſtituta, ut colligitur ex *num.* 10. *& ſequentibus*, ſectionis præcedentis, (quot, & quænam illa eſſent, vide apud Azor. *Inſtitut. Moral. lib.* 6.) Eadem autem ſacramenta gratiam contuliſſe virtute, & merito Chriſti, quem ſignificabant, commune eſt Theologorum, ut conſtat ex *num.* 13. *&* 14. *ejuſdem ſectionis præcedentis*: Gratia autem dicitur à Theologis Medicina, tum contra peccatorum vulnera, tûm adjuvans propriam infirmitatem, quod de ipſa gratia, quam conferebant ſacramenta veteris legis, aptiſſimé ſentit Azorius citatus. Ergo veteris legis cultores ad ipſius fœderis obſervationem non erant abſque medicina in propria infirmitate relicti.

SECTIO III.

Solvuntur objectiones, quæ pro doctrinæ oppoſitæ confirmatione poterunt excogitari.

1 PRima objectio. Ut impotentiam illam pro veteri fœdere, ad legis obſervantiam noviter, & nequiter

quiter poſſint introducere, magnum fundamentum, exiſtimant adverſarii, deſumi ex illo Apoſtoli ad *Rom.* 11. ibi: *Nolo enim vos ignorare, fratres, myſterium hoc, ut non ſitis vobis ſapientes. Quia cæcitas ex parte contigit Iſrael, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſalvus fieret, ſicut ſcriptum eſt. Veniet ex Sion, qui eripiat, & avertat impietatem à Jacob, & hoc illis à me teſtamentum.* Ex his autem perperam, & contra Patrum intelligentiam, atque doctrinam per illa verba, *cæcitas ex parte contigit Iſrael*, intelligendam eſſe inquiunt impotentiam in quâ Deus Teſtamenti veteris cultores reliquit. Hoc autem, reſpondeo liberè eſſe dictum illa enim cæcitas ſolùm contigit Iſrael ex propria malitià obſtante, non autem ex ſufficientis auxilii negatione, ut tenent Interpretes Sacri; unde Divus Thomas 1.2.*q.*98. *art.*2. *ad* 4. inquit: *Quanvis lex non ſufficeret ad ſalvandos homines, tamen aderat aliud auxilium, à Deo hominibus ſimul cum lege, per quod ſalvari poterant.*

Valde infirmũ fundamentum adverſariorum.

2 Secunda objectio. Dicent etiam ex Authoribus Orthodoxis fuiſſe traditum, legis veteris cultoribus defuiſſe gratiam ad ejus executionem. Ut aſſumptum probent, quoddam adducent teſtimoniũ ex Cardinali Caietano ſuper *Epiſt. ad Rom.* ibi: *Homo ſub lege relinquebatur ſibi ipſi, utpote non adjutus interiori dono Divinæ gratiæ.* Quod inſuper confirmare poterunt ex Magiſtro ſentent. *Lib.*3. *diſt.*40. ſic ſtatuent: *Lex prohibens peccatum, auget concupiſcentiam, & addit prævaricationem niſi liberet gratia, quæ gratia non ſic abundat in lege, ut in Evangelio, vel ſecundùm illorum carnalem intelligentiam. Lex verò bona eſt, & tamen occidit ſine gratià, cùm ſit virtus peccati, quæ jubet quod ſine gratiâ impleri non poterat: gratia autem deerat, & ideo litera occidens erat.* Reſpondeo negando aſſumptum, & Catholicos Authores ab ignominià falſó impoſità vindicando. Non enim docent auxilium Divinæ gratiæ defuiſſe Judæis, ſed legi. Licét enim lex retus gratiam non dediſſet per ſe, ut patet ex *ſect.*1. *num.* 24. *tamen aderat aliud auxilium à Deo hominibus, ſimul cum lege, per quod ſalvari poterant*; ut inquit Divus Thomas citatus. Neque aliud intenditur à Caietano ſuprà relato, addit enim: *Nec per hoc intelligas novitie quòd Judæi ante Chriſti adventum, ſub lege exiſtentes caruerint gratià, quoniam hoc non dicimus; ſed intellige, quod ex illo ſtatu, non habebant gratiam. Sed habebant gratiam, qui illam habebant,*

Impugnato errori non favét Catholici Doctores; quidquid in contrarium dicant adverſarij.

bebant, ex participatione ſtatûs novi, revelandi per Chriſtum. Ex quibus patet nullum dubitandi locum relinqui circa Catholicorum, de hac re, ſententiam.

3 *T*ertia objectio eſſe poterit: Quòd Scholaſtici ferè omnes doceant, legem veterem, virtutem juſtificandi non habuiſſe, ſed ſolūmodo oſtendēdi morbum; atqui in eadem lege, præcepta erant propemodum innumera: ergo ad obſervationem relinquebantur Judæi in ſuâ impotentiâ, lex enim præcipiens non adjuvabat. Maior inter Authores communis eſt. Videatur Becan. 2.*p. Theolog. Scholaſt. tract.* 3. *cap.* 5. *q.* 3. Item Joan. Azor. *Inſtitut Moral lib.*6.*cap.*2.§.*Eorum verò,* ad finem ſic ſtatuens: *Petrus Apoſtolus jugum ipſam legem appellat, quia quid faciendum, quid fugiendum docebat quidem illa: auxilium verò, & opem ad bonum faciendum, & malum devitandum, minimè præſtabat.* Hæc autem doctrina conformari videtur cum illo Divi Pauli *in Epiſt. ad Roman.* videlicet: *Hominem non juſtificari ex operibus legis, ſed ex Fide in Chriſtum.* Quapropter idem Apoſtolus *ad Galat.* 3.9. veteris legis cæremonias appellat *infirma, & egena elementa*; & à Joanne ſimiliter *cap.* 1.*v.*17. apertè dicitur gratiæ beneficium non per legem, ſed per JESUM Chriſtum eſſe: *Lex per Moyſen data eſt, gratia, & veritas per JESUM Chriſtum facta eſt.*

4 Reſpondetur negando conſequentiam: ad præmiſſas autem; licèt verum ſit legem veterem non habuiſſe vim ex ſe conferendi gratiam, & vires, quibus ejus præcepta ſervarentur, habuiſſe tamen virtutem conferendi vires ex tunc ex lege Evangelica. Unde Becanus *Tract.* 3. *cap.* 4. de Lege Moyſaica, cùm ſibi reſpondendum proponeret: *Quomodo ſancti veteris Teſtamenti juſtificati fuiſſent?* Reſpondet: *Non ſunt juſtificati ex Lege Moyſaica, ſed ex Evangelica, cujus futura virtus ad eos uſque, quanvis adhuc remotos, porrigebatur. Habebant enim quaſi anticipatam fidem, & gratiam ex Evangelio.* Nec mirum; hoc enim idem dicendum eſt à fortiori de juſtis, qui tempore legis naturæ præceſſerunt. Quocirca Pater Azor. *Lib.* 6. *cap.* 1. *in fine* inquit: *Quare nullo unquam tempore per ſolam legis naturalis obſervationem homines facti ſunt juſti coram Deo; ſed per fidem, gratiam, & merita Chriſti Domini, quem tunc venturum eſſe credebant.* Præter quam quòd lex vetus juſtificaret, ſive non;

Quomodo in Lege naturæ, & veteri Teſtamento fuerint homines juſtificati.

O præ-

præberet gratiam, nec nè; hoc non ſufficit, ut exinde inferatur Deum reliquiſſe illius cultores in impotentia ad legis obſervationem: licèt enim non daretur tunc gratia ex lege, dabatur ex ſumma Dei miſericordia, qua ſæpe ut nos vocet movetur. Hoc patet ex *num.* 1. *præcedenti*, & prætereà exemplo. De facto enim Deus primam gratiam ſanctificantem in Sacramento Baptiſmi, & Pœnitentiæ, per ipſa Sacramenta in re poſita, peccatoribus confert; & tamen quam plurimis per contritionem perfectam gratiam ſuam infundit extra illa Sacramenta. Sic ſimiliter, præterquam per legem, quæ ex ſe gratiam, & auxilia non conferebat, ea auxilia Deus præſtaret, conferendo gratiam actualem, excitantem, moventem, atque adjuvantem. Confirmatur (ut inquiunt) ad hominem. Nam, ut falsò inquit novæ hujus ſectæ introductor in ſua *Theologia Moral.* 1. *part. tract.* 5. *cap.* 1. operatio Divinæ gratiæ in nobis non eſt aliqua ſupernaturalis qualitas, ideò, quòd poſſit Deus independenter ab ipſa qualitate operari per ſe immediaté, quidquid poſſet mediante ea qualitate. Ergo à fortiori; quia poſſet Deus immediatè, & per ſe abſque exiſtentia actuali novi Teſtamenti, conferre auxilia Divinæ gratiæ cultoribus veteris Teſtamenti; dicendum eſt, ea contuliſſe ad plenam illius obſervationem. Scio ejuſdem antecedens eſſe omnino falſum: agnoſcant tamen adverſarij qualiter ejuſmodi errores ſibi ipſis repugnent.

Contradictio doctrinæ Queſnellianæ.

5 Quarta objectio fortaſſe erit; quòd ex ipſo Sacro Textu lex vetus tyrannica, & obſervatu impoſſibilis videatur; ad minus ſaltem intolerabilis: ergo rectè dicitur in primo fœdere Deum exegiſſe implementum legis à peccatore, illum relinquendo in infirmitate, & impotentia ad ejus obſervationem. Probatur antecedens. Primò ex illo *Actor.* 15. 10. *Quid tentatis Deum imponere jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus?* Secundò ex *Ezechiel* 20. 25. *Ego dedi eis præcepta non bona, & judicia, in quibus non vivent.* Tertiò ex illo ad *Rom.* 4. 15. *Lex iram operatur.* Et tandem alia congregari poterunt teſtimonia, quæ olim adducebantur à Manichæis, oſtenſuris Legem veteram, non fuiſſe bonam.

6 Reſpondetur negando antecedens; lex enim vetus bona

na erat, & ſancta; neque enim aliter diceretur per Apoſtolum ad *Rom. 7. 22. Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum, & bonum.* Nec item per Pſalmiſtam *Pſal. 18. 8. Lex Domini immaculata convertens animas.* Quo ſenſu accipitur illud *Job 36. 22. Nullus ei ſimilis eſt in legislatoribus.* Neque enim fuit obſervatu impoſſibilis, quanvis difficilis, ſi cum Evangelica conferatur, quæ eſt facillima juxta illud *Matth. 11. 30. Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Neque obſtant teſtimonia in contrarivm adducta; in illis enim ſolùm habemus comminari Deum ſe graviſſimis pœnis puniturum populum ſuum, eo quòd præcepta ipſius neglexerit, leges, & jura perfregerit; & hic eſt ſenſus, in quo ſumitur illud: *Lex iram operatur.* Ideo etiam dicitur *Ezech. 20. Dedi eis præcepta non bona, &c.* id eſt, dabo eis præcepta non bona: ſumpto præterito pro futuro, ut exponit Azor; tanquam ſi diceret Dòminus: Quia mea præcepta (hoc eſt legem veterem à Deo datam per Moyſen) noluerunt ſervare, ideo tradam eos in manus, & poteſtatem dòminorum, qui eos durè, & acerbè tractent, & imponent eis tributa, & onera gravia, leges aſperas, & intolerabiles. Dicit autem, *& judicia, quibus non vivent*; quaſi diceret: ſubjiciam eos ſervituti eorum, qui ipſis præcepta dabunt, quorum tamen obſervatio non dabit eis, quam tantopere deſiderant, vitam. Tandem Petri teſtimonium ex illo *Actor. 15.* nihil aliud probat, niſi legem Moyſaicam fuiſſe aliquo ſenſu imperfectam, hoc eſt, non ſufficientem per ſe ad ſalutem, ſed ab Evangelica dependentem, ut docet Divus Thom. *quæſt. 98. art. 1.* & patet ex illo ad *Hebræos 7. 19. Nihil ad perfectum adduxit lex.* Ex quibus licét deducatur legem veterem per ſe non fuiſſe ad juſtificationem ſufficientem; non tamen probatur ejuſdem legis cultores deſtitutos fuiſſe omni auxilio neceſſario ad ejus implementum: inſtat enim illud Auguſtini *Lib. 3. ad Bonifac. cap. 4. Quis Catholicus dicat Spiritum Sanctum, adjutorem virtutis in veteri Teſtamento non fuiſſe?*

Explicantur loca Sacræ Scripturæ, quæ nobis objiciebantur.

SECTIO IV.

Aſſertiones tertia, & quarta ad num. 2. *hujus capitis appoſitæ comprobantur.*

1 TEnet igitur præfata aſſertio tertia: *Licèt Deus operetur in nobis, & nobiſcum cooperetur, hoc non tollit, quominus mandatorum Dei executionem operemur.* Conſtat ex variis Patrum teſtimoniis, quos omnes antecedat Divus Gregor. Magn. *Moral.* 33. *cap.* 20. dicens: *Bonum, quod agimus, & Dei eſt, & noſtrum; Dei per prævenientem gratiam; noſtrum per conſequentem liberam voluntatem. Si enim Dei non eſt, unde ei gratias in æternum agimus? Rurſum, ſi noſtrum non eſt, unde nobis retribui præmia ſperamus? Quia ergo non immeritò gratias agimus, ſcimus quòd ejus munere prævenimur; & rurſum quòd non immeritò retributionem quærimus, ſcimus quòd ſubſequente libero arbitrio bona elegimus, quæ ageremus.* Accedunt noſtri Benedictini Cæli luminaria illa magna Divus Iſidorus, Divus Fulgentius, D. Beda, cognomento Venerabilis, & Divus Bernardus. Horum primus 2. *ſententiar. cap.* 5. inquit: *Sciendum quod & noſtra ſit juſtitia in his, quæ rectè agimus.* Secundus autem *de Incarnat. Verbi cap.* 30. ait: *Voluntas gratiæ ſecum operanti ſervitium obedientiæ cooperatricis exhibet.* Tertius *lib. variar. quæſtion. q.* 13. ſic ſtatuit: *Deus bona ſua promittit, ut tamen labore noſtro acquirantur.* Quartus denique *lib. de Grat. & libero Arbitr. Deus tria hæc, hoc eſt bonum cogitare, velle, & perficere, operatur in nobis. Primum profectò ſine nobis; ſecundum nobiſcum; tertium per nos.* Jam in hac veritate oſtendenda non invenio cur iterum immoremur, cùm eadem ſatis, & abunde probata fuerit *cap.* 4. *ſect.* 2. *à num.* 8.

Noſtra cum Dei gratia cooperatio probatur ex Patribus.

2 Quartam igitur aſſertionem oſtendendam, & enucleandam aſſumo, quæ ſic tenet: *Nullus hominum pro præſenti dici poteſt quòd ad vetus Teſtamentum adhuc pertineat; ſive quòd ad novum nō debeat pertinere.* Hāc autem aſſertionē noſtrā octavæ ex damnatis maximé opponi, perſpectis utriūſque terminis, manifeſtum eſt; ait enim octava inter damnatas propoſitiones: *Nos non pertinemus ad novum fœdus, niſi in quantum participes*

Adverſùs propoſitionem 8. oſtenditur nullum eſſe hominem, qui ad vetus Teſtamētum pertineat, ſive qui ad novum non debeat pertinere.

ſumus

ſumus ipſius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit. Hujuſmodi aſſertio eſt veluti conſequentia reſultãs ex illo præcedente errore affirmãte differẽtiã unicam,& totalem inter novum, & vetus Teſtamentum deſumendam eſſe ex gratia tantummodo, quæ in novo fœdere operatur executionem legis, & à quâ omnino deſtituti erant veteres illi antiquæ legis obſervatores. Hoc autem fundamentum ex noſtris principiis corruere, neque ſtare poſſe, ſatis conſtat patet enim primò aliud eſſe inter utrumque fædus diſcrimen;patet inſuper primi fæderis cultores auxilijs Divinæ gratiæ ad legis implementum neceſſariis non fuiſſe deſtitutos. Videantur præcedentes ſectiones 1. & 2.

3 Probatur tamen amplius noſtra reſolutio. *Primò.* Nulla creatura rationalis (ſola quippe hæc. per leges eſt regulabilis) pertinere poteſt ad ſtatum illius legis, aut Teſtamenti quod neque eſt, neque ſubſiſtit. Vetus Teſtamentum minimè ſubſiſtit. Igitur nullus hominum pro præſenti ad vetus Teſtamentum adhuc ullo modo poteſt pertinere. Maior patet ex terminis ejuſdem ; pertinere enim ad id quod non eſt, in re pertinere non eſt ; ſive ad nihil pertinere eſt. Minor probatur. Quia vetus Teſtamentum à Chriſto abrogatum eſt,ut conſtat ex variis Scripturæ ſacræ locis Primò ex *cap*; 2. 14. *ad Epheſ.* ubi legitur Chriſtum diſſolviſſe medium illum parietem, quo populus Judæorum à gentili populo ſeparabatur inſignum, quòd Chriſtus ex utroque populo unam Eccleſiam per novum Teſtamentum conſtituerit. Unde dicitur à *verſiculo* citato. *Ipſe enim* (JESUS) *eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ ſolvens, inimicitias in carne ſua; legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in ſemet ipſo in unum novum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in uno corpore Deo per Crucem.* Ex quibus habetur legem veterem, decretis mandatorum evacuatam eſſe ; & ambo Teſtamenta, quæ vetus, & novus homo dicuntur, in uno tantùm corpore Deo per Crucem reconciliatos eſſe ex vi novi Teſtamenti. Idem ſecundò ex *cap* 4. *ad Galat à verſ.* 3. ibi: *Cùm eſſemus parvuli, ſub elementis Mundi eramus ſervientes. At ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum factum ex Muliere factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret.* Ex hoc patet Chriſtum redemiſſe eos,

Per novum Teſtamentum, una tantùm Eccleſia condita eſt ex populo Judaico, & Gentili.

qui erant ſub lege, hoc eſt, ſub veteri Teſtamento, eoſque in Evangelicam libertatem ex ſervitute Moyſaica traduxiſſe; ut eſt vulgaris intelligentia Patrum. Tertiò tandem, quia commune eſt legem veterem ceſſaſſe per mortem Chriſti, quo ad obligationem. Quod non ſolùm commune eſſe dico inter Patres cum Divo Auguſtino, & Divo Hieronymo, ſed etiam inter Scholaſticos cum Divo Thoma *q.* 103. *art.* 3. *ad* 2. cui cæteri ſubſcribunt apud Valent. *quæſt.* 7. *p.* 7. tunc enim translatum eſt Sacerdotium, & lex; tunc velum Templi ſciſſum eſt, *Matth.* 27. 51. Tuncque dixit Chriſtus. Conſūmatum eſt, *Joan.* 19. 30.

4 Dixi per mortem Chriſti legem veterem *ceſſaſſe quoad obligationem*; adhuc enim controverſum eſt inter Doctores: Utrùm lex vetus in morte Chriſti ceſſaverit ſtatim, etiam quoad utilitatem, & efficaciam? Sunt enim aliqui cum Scoto, & Gabriele, qui putent legem veterem quo ad utilitatem, & efficaciam non ceſſaſſe ante Pentecoſten; unde (inquiunt) ad id temporis à morte Chriſti circumciſio, & reliquæ cæremoniæ legales non quidem obligabant, ſed eandem, quam antea, vim adhuc retinebant. Eorum autem fundamentum eſt; quia lex vetus efficaciam, quam habuit, non amiſit, quandiu lex nova ſufficienter promulgata non fuit; atqui lex nova non fuit ſufficienter promulgata, niſi in Pentecoſte: ergo uſque tunc ſuam retinuit efficaciam. Neque à Mellifluo noſtro Bernardo hanc ſententiam deſeri judico: inquit enim *Epiſt.* 77. *Tandiu credendum eſt antiqua valuiſſe ſacramenta, quandiu palam interdicta non fuiſſe conſtiterit.* Aſt; quidquid in hoc puncto inter Catholicos judicandum ſit; certum, & indubitabile eſt ſaltem à Pentecoſte legem veterem ceſſaſſe, neque ſtare: ergo.

Quo tempore Lex vetus ceſſaverit

5 Probatur *Secundò* eadem reſolutio. Quia lex vetus pro ſolo Judæorum populo eſt tradita, & promulgata; fuit enim prærogativa illius populi in aliarum gentium diſtinctionem, quòd illi ſoli data eſſet lex: ergo nullus alter ad ipſam legem poteſt pertinere. Antecedens eſt Scholaſticorum omnium cū Divo Thoma *quæſt.* 98. *art.* 4. & conſtat ex illo *Deut.* 48. ibi: *Quæ eſt alia gens ſic inclyta, ut habeat cæremonias, juſtaque judicia & univerſam legem?* Et *Pſalm.* 147. 20. *Non fecit taliter omni*

Lex vetus pro Solis Judæis erat

nat

nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis. Et ad *Rom. 3. 1. Quid ergo amplius Judæo eſt? Multum per omnem modum. Primum quidem, quia credita ſunt illis eloquia Dei.* Et ad *Rom. 9. 4. Quorum adoptio eſt filiorum gloria, & Teſtamentum, & legislatio.*

6 Confirmatur noſtra doctrina. Quia gentiles, veteris Teſtamenti coævi, non pertinebant ad fœdus Moyſaicum; ſolùm enim erant obligati Lege naturali, ut docet Divus Thomas *quæſt.* 89. *art.* 5. cujus ratio eſt; quia Lex vetus non pro gentilibus, ſed pro Judæis tantùm, quandiu extitit, data eſt. Ergo multò minus poterit pertinere ad illud fædus antiquum, cùm ipſum jam non perſiſtat, Chriſtianus, pro quo novum, & longê perfectius Teſtamentum in Chriſti ſanguine inſtitutum eſt. Verum quidem eſt quòd licèt gentiles non obligarentur Lege Moyſaica, eorum tamen, qui volebant ſe Judæorum populo aggregare, præmiſſa circumciſione, admitterentur; hoc tamen ideo eſt, quia pro tunc illud fædus adhuc vigebat; & in ſuper, quia ſic pro tunc erat à Deo permiſſum, & ordinatum, ſic ipſo diſponente *Exod.* 12. 48. *Si quis peregrinorum in veſtram voluerit tranſire coloniam, & facere Phaſe Domini, circumcidetur prius omne maſculinum ejus, & tunc rite celebrabit eritque ſicut indigena terræ.* Aſt nunc, cùm tale fædus jam non perſiſtat, neque ſit ſimilis aliqua Dei diſpoſitio, aut permiſſio, nequit conſequenter ullus hominum ad ipſum Teſtamentum pertinere.

Quomodo poſſent Gentiles pertinere ad vetus Teſtamentum, quando ipſum vigebat.

7 *Tertiò*, & fundamentaliter oſtenditur noſtra reſolutio. Quia, quòd ad novum Teſtamentum pertineamus, non aliunde eſt, niſi ex duplici hoc capite; videlicet primò ex Baptiſmi Caractere, nos in unam Catholicam Eccleſiam congregante, ſicut circumciſio, quæ Judæorum populum à reliquis nationibus ſegregabat. ſecundò, Ex vi ipſius novi Teſtamenti, quod ab ejus promulgatione propriâ coactione univerſos homines ad ſui obſervationem, & ad Eccleſiæ unitatem obligat, juxta illud *Mart. 6. Prædicate Evangelium omni creaturæ ... Qui non crediderit, condemnabitur.* Ergo nullus eſt hominum, qui ſive ex Baptiſmo accepto, ſive ex obligatione recipiendi illum ad novum non pertineat Teſtamentum; ſicut nullus eſt, qui à Baptiſmi Lege eximi poſſit. Imò quòd quis ab Eccleſia per apoſtaſiam, aut per infidelitatem ſeparetur,

Per Baptiſmum ad novum Teſtamentum pertinemus.

retur, non ſufficiet, ut ad vetus Teſtamentum pertinere dicatur, cùm nulla ſit ratio pertinendi ad illud, ut ex dictis conſtat, & confirmatur. Quia habitus gratiæ juſtificantis non eſt formalis ratio conſtitutiva pertinentiæ ad novum Teſtamentum: ergo non eſt cur dicatur ad novum fœdus non pertinere, qui ejuſdem gratiæ participes non fuerint. Antecedens conſtat primò ex his, quæ paulò antea diximus, aſſignando rationem totalem pertinendi ad novum Teſtamentum. Conſtat ſecundò: quia alias gentilis, impius, Judæus hæreticus, & apoſtata non diſtinguerentur, cùm omnes æque ad idem fœdus, juxta præſens dogma, debeant pertinere. Conſtat tertiò: quia ſequeretur alias Summum Pontificem Eccleſiæ Militantis, ac inde novi hujus fœderis in terris Caput, & Magiſtrum, ut Chriſti Vicarium, ad vetus teſtamentum pertinere, quoties in peccatum aliquod mortale incidat; quod Deus à gregis ſui Paſtoribus avertat. Exindeque ex cujuslibet peccati mortalis occaſione poſſe à Summo Pontificatu deponi, ſicut per hæreſim deponendum judicant communiter Theologi cum Doctoribus, & communi animi conceptione ex *c. Si Papa, diſtin.* 40. videatur Caietan. *Tom.* 1. *Tract.* 1. *c.* 17. Idem antecedens conſtat quartò; oppoſitum enim eſt contra Patrum doctrinam, qui ſanctam Dei Eccleſiam non ex juſtis ſolùm, ſed ex impiis etiam cōſtare dicunt; quia tamen hoc latius eſt expendendum *cap.* 28. *ſect.* 1. tanquam in aptiori, & accommodatiori loco; hic obiter tantùm illud adduco noſtri Magni Divi Gregor. Papæ *Homil.* 12. *in Evang.* dicentis: *In qua*, Eccleſia militante, *quia mali cum bonis, & reprobi cùm electis admiſti ſūt.* Dicendum igitur quòd amiſſio gratiæ non ſit à novo fœdere defectio.

Abſurda varia em ergentia ex præſentibus erroribus.

Datâ Eypotheſi, quòd Summus Pontifex in hæreſim incidiſſe; eum fore deponendum, commune eſt eo ſenſu, quo diximus in Prog. num. 12. & 13.

8 Nec me latet oppoſitum dogma in eo fundari; quòd ex quolibet peccato per amiſſionem gratiæ juſtificantis amittatur etiam Fides, ut conſtat ex variis propoſitionibus ſuprà relatis *cap.* 2. *ſect.* 2. *n.* 1. Indeque, ut inferunt, jam ad novum fœdus non eſt pertinere dicendus peccator, utpote infidelis, Aſt quàm falſum ſit hoc fundamentum ſuprà oſtendimus *cap.* 3. *ſect.* 2. & 3. Præter quam, quod etiam hæreticos, & Gentiles, licèt fidem non habeant, ſuo quenquam modo ad novum Teſtamentum pertinere dubitandum non

Corruit adverſariorum fundamentum.

eſt.

eſt. Hæretici quidem ex coactione profeſſionis in Baptiſmo emiſſæ, Gentiles autem ex obligatione, quam habent, ad Baptiſmum ſuſcipiendum, & legem Chriſti recipiendam, ut conſtat ex *cap.* 6. Marc. Deinde; quia novum Teſtamentum in Chriſti ſanguine fundatum eſt, juxta illud Apoſtoli ad *Corint.* 11. *Hic Calix novum Teſtamentum eſt in meo ſanguine*; at qui Chriſti ſanguis pro omnibus hominibus, juſtis, & impiis, Chriſtianis, & gentilibus; hæreticis, & fidelibus, ſuſus eſt, ut fide ſanctum eſt contra Janſenium ſic ſtatuentem: *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.* Ergo Chriſti Teſtamentum, ſicut & ſanguis, in quo illud fundatur, eſt pro omnibus. Aliqua quæ huc ſpectare poſſint, ut ſunt non nulla Divi Auguſtini teſtimonia, explicanda, & explananda reſervantur ad cap. 7. ſect. 8. per num. 10. 11. & ſequentes.

9 Colligendum eſt has propoſitiones, quas hucuſque per totum hoc ſextum caput impugnavimus, eſſe *falſas*, & *hæreticas*; ſiquidem ſacro Textui apertè oppoſitas; ſextam autem, & ſeptimam in ordine inter damnatas, quatenus negant in aliquibus hominibus potentiam neceſſariam ad obſervanda præcepta Dei, non eſt dubitandum eſſe *temerarias, impias, blaſphemas, hæreticas, anathemate damnatas.* Ratio eſt: quia in hoc ſenſu recurrunt cum prima propoſitione Janſenij, quam cum aliis ejuſdem Authoris, excerptis à libro, cui titulus: *Auguſtinus Cornelij Janſenij Epiſcopi Iprenſis*, damnaverũt Innocentius Papa X. & Alexander Papa VII. Cujus memoratæ propoſitionis tenor eſt. *Aliqua Dei præcepta, hominibus juſtis, volentibus, & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.* Cui propoſitioni omnes illæ cenſuræ tribuuntur, ut patet ex Bulla Sãctiſſimi Dòmini Innocentij X. quæ incipit. *Cum occaſione.* Ex his à fortiori tenendum eſt eaſdem, quas impugnavimus, propoſitiones fuiſſe pluries damnatas.

Propoſitionum in hoc capite impugnatarum, cenſuræ.

CAPUT

CAPUT VII.

Expugnantur ſequentes aliæ propoſitiones ex damnatis; á nona uſque ad vigeſimam primam, hinc, indeque incluſivè.

1 HÆC nona eſt inter damnatas propoſitio: *Gratia Chriſti eſt gratia ſuprema; ſine qua confiteri Chriſtum nunquam poſſumus; & cum qua nunquam illum abnegamus.* Eam tamen juxta Catholicæ doctrinæ terminos implicatoriam eſſe per ſe patet. Vel enim procedit propoſitio de gratia efficaci, vel procedit de gratia tantùm ſufficienti, quam etiam inefficacem appellant Scholaſtici. Si gratia de qua ſtatuitur hæc propoſitio, ſit efficax, falſum erit illud in prima parte propoſitionis aſſertum, his verbis: *Sine qua confiteri Chriſtum nunquam poſſumus.* Eſt enim Catholicorum omnium cum Divo Auguſtino, Divo Anſelmo, & Divo Thoma, ſæpeque in Conciliis definitum, hominem non indigere gratiâ efficaci, *ut poſſit* quod juſtum eſt agere, & quod malum eſt fugere: nam ut poſſit, ſolùm eſt neceſſaria gratia ſufficiens; hæc enim ideo dicitur ſufficiens, quia per ſe ſufficit ut homo poſſit, ſive bonum proſequi, ſive vitare malum. Aſt, ſi dicatur eandem propoſitionem agere de gratia ſufficiente; temerariũ erit quod in ſecunda parte ipſius propoſitionis dicitur: videlicet; *cum qua nunquam illum abnegamus.* Imò cum ſola gratia ſufficiente ad credendum, v. g. non creditur unquam: in hoc enim diſtinguuntur auxilium efficax gratiæ, & ejuſdem gratiæ auxilium ſufficiens; quòd illud non ſolùm det poſſe, sed operari etiam: iſtud verò ſolùm det poſſe; nemo enim per auxilium mere ſufficiens operaturus eſt; ut tenet communis doctrina.

Propoſitio 9. eſt in ſe impiicatoria.

Gratiæ ſufficientis, & efficacis differentia; & cohæret cum infrà dicendis num. 4. & 5.

doctrina. Vide Patrem Comptonum *Tom.* 1. *diſput.* 118. *de Gratia efficaci à num.* 4. *Zumel diſp.* 4. *de Auxilio efficaci, & ſufficienti ſect.* 1. & alios.

2 Dicendum igitur aſſertionem præfatam (juxta id, quod ex ea concipitur) loqui de ſolà gratia efficaci, quam vocat operationem manus Omnipotentis Dei, cui inquit nihil reſiſtere. Et in eo ſtat hujus falſæ doctrinæ error intolerabilis, quòd præter gratiam efficacem effectum ſuum ſemper exequentem, nullum aliud auxilium Divinæ gratiæ agnoſcat. Unde rejicit omnia auxilia gratiæ ſufficientis, quibus homo conſtituitur potens, & ſicuti in actu primo expedito ad omnium mandatorum Dei executionem, ſi ea obſervare velit. Conſidera ſequentes propoſitiones ex damnatis. Propoſitio IX. & ſequentes aliæ ſolam gratiam efficacem admittunt; ſufficientem verò omnino negant. Alios etiam continent errores, quos detegemus, & impugnabimus ſequentibus ſectionibus V. & VIII.

IX. Gratia Chriſti eſt gratia ſuprema, ſine qua confiteri Chriſtum nunquam poſſumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.

X. Gratia eſt operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.

XI. Gratia non eſt aliud, quàm voluntas Omnipotentis Dei jubentis, & facientis quod jubet.

XII. Quando Deus vult ſalvare Animam, quocunque tempore, quocunque loco effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei.

XIII. Quando Deus vult Animam ſalvam facere, & eam tangit interiori gratiæ ſuæ manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit.

XIV. Quantumcunque remotus à ſalute ſit peccator obſtinatus, quando JESUS ſe ei videndum exhibet lumine ſalutari gratiæ ſuæ, opportet ut ſe dedat, accurrat, ſe ſe humiliet, & adoret Salvatorem ſuum.

XV. Quando Deus mandatum ſuum, & ſuam æternam locutionem comitatur unctione ſui Spiritus, & interiori vi gratiæ ſuæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.

XVI. Nullæ ſunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil reſiſtit Omnipotenti.

XVII. Gratia eſt vox illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad JESUM Chriſtum; quicunque ad eum non venit, poſtquam audit vocem exteriorem Filij, nullatenus eſt doctus à Patre.

XVIII. Semen verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper affert fructum ſuum.

XIX. Dei gratia nihil aliud eſt; quàm ejus omnipotens voluntas, hæc eſt idea, quam Deus ipſe nobis tradit in omnibus ſuis Scripturis.

XX. Vera gratiæ idea eſt, quod Deus vult ſibi à nobis obediri, & obeditur; imperat, & omnia fiunt: loquitur tanquam Dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt.

XXI. Gratia JESU Chriſti eſt gratia fortis, potens, ſuprema, invincibilis; utpote quæ eſt operatio voluntatis Omnipotentis: ſequela, & imitatio operationis Dei incarnantis, & reſuſcitantis Filium ſuum.

3 Ecce, ut patet ex relatis propoſitionibus, gratia comparatur Omnipotentiæ, & dicitur voluntas Omnipotentis Dei, & operatio manûs ipſius; ut penitus excludatur omnis conceptus, omniſque idea gratiæ inefficacis, ſive ſufficientis; quod plené liquet ex propoſitione 17. in qua aſſeritur eum, *qui ad Chriſtum non venit, poſtquam audivit vocem exteriorem Filij Dei, nullatenus* (hoc eſt, neque per ſufficientem gratiam) *eſſe doctum à Patre.* Nec me latet alios errores in præfatis propoſitionibus ſimul imbibi, quarum ſenſus per aliquot ex ſequentibus ſectionibus detegentur, præſertim *Sect.* 5. & 8.

In relatis propoſitionibus alii continentur errores, de quibus erit agendum in ſequētibus ſectionibus, præſertim 5. & 8.

4 Interim primus hic error, quatenus rejicit omnem gratiam ſufficientem, falſus, & contra communem Catholicorum omnium calculum eſt, ut noſcunt illi omnes, qui prima ſaltem limina Theologiæ ſalutarunt. Doctores enim Orthodoxi, ſicut voluntatem Dei, quoad nos dividi inquiunt, in efficacem, & inefficacem (quam diviſionem colligi inquit Becanus 1. *p. Tract.* 1. *cap.* 11. ex Divo Auguſtino in Enchiridio *cap.* 100. & *ſequentibus*) quarum prima ſemper habet ſuum effectum, de qua intelligitur illud Iſaiæ 46. *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet*; altera verò, quæ eſt inefficax, effectum ſuum non conſequitur; quia terminat ex parte noſtra aliquam deficientem conditionem; de qua voluntate interpretandum eſt ſtudium illud, quod Deus habet, ut omnes homines ſalvi fiant, & præcepta ſua ſervent juxta illud Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Et Pauli 1. *ad Timoth. cap.* 2. v. 4. *Omnes homines vult ſalvos fieri.* Sic, inquam, au-

Sicut voluntas Dei quo ad nos dividitur in efficacē, & inefficacem, ſic auxilia Divinæ gratiæ alia ſūt efficacia, alia inefficacia.

auxilia Divinæ gratiæ dividi oſtendunt in efficacia, & ſufficientia, cujus diviſionis nullus mentionem non facit. Dabo aliquot aliquorum teſtimonia.

5 Ledeſma de *Auxiliis quæſt. unica, art.* 16. ſic inquit: *Certum eſt ſecundùm Fidem, quòd detur hominibus auxilium ſufficiēs. Hoc dictum probatur ex multis dictis Conciliorum, & præcipuè ex Concilio Arauſicano* Can. 4. & Can. 23. *Et ex Concilio Tridentino* Seſſ. 6. cap. 5. & cap. 13: *in quibus locis apertè determinatur quòd auxilium ſufficiens datur hominibus: ergo hoc eſt certum ſecundùm Fidem.* Alvares de Auxiliis doctiſſimè diſſerens *diſput.* 71. *num.* 2. ait *nullum Catholicorum poſſe dubitare de illa diviſione.* Zumel *diſp.* 4. *de Auxilio efficaci, & ſufficienti ſect.* 1. ſic ſtatuit: *Articulus de diviſione gratiæ in ſufficientem, & efficacem receptus eſt ab omnibus Theologis Catholicis contra Hæreticos Lutherum, & Calvinum.* Et merito; nam teſte Cabrera 3. *p. q.* 18. *art.* 4. *diſp.* 6. *dub.* 3. *Calvinus* (ejuſdem Authoris verbis utor) *negat auxilium ſufficiens, & ſolùm admittit efficax.* Hac de cauſa ſupracitatus Zumel hanc ponit concluſionem, quam Catholicam nominat: *Divinum auxilium actuale convenienter dividitur in auxilium ſufficiens tantùm, quo ſcilicet poſſit operari homo, & auxilium efficax, quo de facto operatur.* Tandem Bellarminus *lib.* 1. *de Grat. & libero arbitr.* inquit: *Hæreticos noſtri temporis omnino repudiare partitionem illam gratiæ in ſufficientem, & efficacem, cùm apud eos, qui à Deo moventur, neceſſariò bene agant, & qui non moventur, non poſſint bene agere.* Circa idem videri poterunt Lemosj, Dechamps, & quotquot ſcripſerunt de hæreſi Janſeniana. Aguirre, Tulienſis, Fulenſis à SS. Trinitate, Patres Carmelitæ Salmanticenſes, & antiqui omnes Theologi à tempore Magiſtri Sententiarum Petri Lombardi. Eadem doctrina fuit tradita ab Epiſcopis Galliæ, ut poſtea dicemus *Sect.* 4. *num.* 6.

Doctrina de gratiæ diviſione in ſufficientem, & efficacem, eſt omnium Catholicorum contra Calvinum, & alios hæreticos.

SECTIO I.

Oſtenditur fundamentum doctrinæ S. M. Eccleſiæ, præfatas propoſitiones damnantis.

1 ILla diviſio auxîlij in efficax, & ſufficiens, ſub eamet acceptione relata *num.* 4. præcedente, expreſſé reperitur apud Divum Auguſtinũ multis in locis libri illîus *de Correptione, & gratia*, præcipuè *cap.* 11. & 12. ſub aliis tamen terminis non multùm diſcriminantibus: videlicet, quia auxilium, ſive adjutorium ſufficiens Divinæ gratiæ nominat *auxilium, ſine quo non*; at verò auxilium ſive adjutorium efficax Divinæ gratiæ, *auxilium quo* appellat. Et rectè: illud enim eſt auxilium efficax, *quo* fit ut homo velit, & *quo* poſito homo infallibiliter operatur bene. Et illud eſt auxilium ſufficiens, *ſine quo non* poteſt homo rectè agere, cùm tamen, ſi vellet, poſſet illo præventus rectè agere; quanvis de facto non ſit per illud auxilium operaturus.

Auxilium *quo*, & *ſine quo non* apud Auguſtinum.

2 Aptiſſima eſt Auguſtini doctrina *cap.* 12. citati *libri de Correptione, & gratia*, inquit enim: *Ipſa adjutoria diſtinguenda ſunt; aliud eſt enim adjutorium, ſine quo aliquid non fit, aliud eſt adjutorium, quo aliquid fit.* Et proſequitur exempla perhibendo pro utroque auxilio, ſive adjutorio. Illud enim auxilium, quo primus hominum Parens præventus fuit, nè caderet, auxilium dicit *ſufficiens*, & *ſine quo non* poſſet ſtare, & reſiſtere: auxilium verò, *quo* juſti de facto fortes reſiſtunt, & vincunt delectationum luctam, ipſum eſt auxilium efficax. Inquit igitur Sanctus Doctor: *Primo itaque homini, qui eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe non deſerere ipſum bonum, datum eſt adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret, ut perſeveraret; ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet. Nunc verò ſanctis, in Regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis, non tantùm tale adjutorium perſeverantiæ datur, ſed tale, ut eis perſeverantia ipſa donetur; non ſolùm ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verùm etiam ut per hoc donum non niſi perſeverantes ſint.* Hæc ipſa explicandi methodus plurimùm arriſit Patri Thyrſo Gonzales, quondam Societatis JESU

Præ-

Præpoſito Generali *Selectarum Tom.* 1. *diſp.* 17. & noſtro Cardinali Aguirre in Commentariis ſuper Theologiam Divi Anſelmi; nam *Tom.* 3. *diſp.* 134. *ſect.* 1. *num.* 8. *in fine* ſic inquit: *Gratia purè ſufficiens, abs dubio conceditur nobis per merita Chriſti, licèt non ſit auxilium quo, ſed ſolùm ſine quo non poſſumus quidquam velle, aut agere ad ſalutem.*

3 Ex præcedentibus colligitur Authores damnatarum propoſitionum partim adhærere ſanæ doctrinæ, partim à veritate Catholica deviare; nam quatenus gratiam efficacem admittunt, recté procedunt; aliter dum ſufficientem gratiam temere rejiciunt; hanc tamen neceſſariò admittendam eſſe jam incipio oſtendere. Eam in primis à Divo Thoma perhiberi variis in locis liquet ex ejuſdem Doctoris Angelici doctrina. Unum pro plurimis appono ex 1.2. *quæſt.* 106. *art.* 2. *ad* 2. ibi: *Siquis poſt acceptam gratiam Teſtamenti novi peccaverit, maiori pœnâ eſt dignus, tanquam maioribus beneficiis ingratus, & auxilio dato non utens; quia quantum ex ſe eſt, lex nova ſufficiens auxilium dat ad non peccandum.* Idem in re habetur ex Conciliis, Senoenſi adverſùs hæreſes Lutherantas, *Decreto XV*- ubi definitur: neç omnia Dei auxilia eſſe talia, quibus ſæpe non reſiſtatur, & ex Valentino III. ſub anno 855. congregato, à quo *cap.* 2. fuit definitum: *malos non ideo perire, quia boni eſſe non poſſunt, ſed quia boni eſſe noluerunt.*

In quo à veritate deviēt Authores præſentium errorum.

Dari gratiam ſufficientē probatur ex multis Conciliis.

4 Igitur, juxta definitum à Concilio Senonenſi, quæro; ſint nè efficacia illa auxilia, quibus voluntas reſiſtit? Si dicant non eſſe efficacia: ergo præter auxilia efficacia dantur alia ſufficientia, ſive inefficacia; de quibus ſtare nequit id, quod in paulò ante relatis propoſitionibus aſſeritur; videlicet, propoſitione 10. *Gratia eſt operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.* Et propoſitione 13. *Quando Deus vult Animam ſalvam facere, & eam tangit interiori gratiæ ſuæ manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit.* Et his in reliquis propoſitionibus ſimilia. Si autem reſponderint ipſa etiam auxilia, quibus voluntas reſiſtit, eſſe dicenda efficacia, non in rê, ſed in verbis tantùm à Catholica doctrina diſſentiunt: nomenclaturam corrigent, & conſequenter erit expungendus, ac delendus articulus ille 17. inter damnatos; in illo enim dicitur: *Gratia eſt vox illa Patris. quæ homines interius docet, ac eos venire facit*

ad JESUM Chriſtum: quicunque ad eum non venit, poſtquam audivit vocem exteriorem Filij, nullatenus eſt doctus à Patre. Similiter erit evellendus articulus 18. ubi ſic: *Semen verbi, quod manus Domini irrigat, ſemper affert fructum ſuum.* Hæc enim, & alia, quæ in præfatis propoſitionibus paſſim reperiuntur, ſtare nequeunt, ſemel admiſſis auxiliis Divinæ gratiæ ſufficientibus, ſive inefficacibus.

5 Præterea ex doctrina Concilij Valentini III. ſupracitati ſic argumentor. Potentia illa, quam habent mali, ut ſint boni, ſi velint, eſt naturalis aptitudo, an ſupernaturalis? Naturæ, an gratiæ? Si dicant eſſe naturalem, in Pelagianorum opinionem, & errorem incident qui noſtram prædeſtinationem eſſe docebant, ex merito operum noſtrorum naturalium. Si autem reſponderint potentiam illam, & aptitudinem eſſe ſupernaturalem, & ex gratia auxiliante, conſequenter admittunt gratiam, quæ & ſi in effectu non fuerit operata, fuit tamen ad operandum ſufficiens, & qua mali boni fierent, ni reſtitiſſent. Si tandem eó dementiæ, & audaciæ veniant, ut negent malis potentiam expeditam, ut boni fierent, ſi vellent, Concilij Valentini authoritatem abſoluté negabunt.

6 Nec minus rejicient Auguſtini doctrinam, quæ pro vera, & noſtra ſententia clariſſima eſt: nam libro *de Actis cum Felice Manichæo cap.* 17. inquit: *Qui ſervare legem non vult, in poteſtate ejus eſt, ſi velit, non enim dixit, non potuerunt, ſed noluerunt. Hoc certè, quòd nolunt ſervare legem, ſua voluntate nolunt.* Et *Quæſtion. lib.* 83. *quæſt.* 61. agens de illis, qui ad cœnam Evangelicam vocati, venire noluerunt, ait: *Neque illi debeant tribuere ſibi, qui venerunt; neque illi, qui venire noluerunt, debeant alteri tribuere, ſed ſibi; quoniam ut venirent in ipſorum erat poteſtate.* Ex his Auguſtini teſtimoniis ſatis colligitur poteſtas agendi in illis, qui agere noluerunt ſecundùm vocationem Dei, quæ quidem potentia nil differt à vocatione ſufficiente, ſive auxilio inefficaci.

7 Auguſtini doctrinam ſequuntur Patres communiter nec ullus eſt, qui eam non teneat; omnes enim agnoſcunt auxilium Divinæ gratiæ hominibus conceſſum, quo poſſint vocationi Dei aſſentiri, quanvis non ſortiatur tale auxilium deſideratum effectum, renuente voluntate creatâ. Hoc autem

tem eſſe proprium inefficacis auxilij genium, conſtat ex ſuprà ſcriptis. Quapropter Divus Irenæus *lib. 4. c. 17.* inquit; *Vis à Deo non fit, ſed bona ſententia adeſt illi ſemper; & propter hoc conſilium quidem bonum dat omnibus: poſuit autem in homine poteſtatem electionis.* Divus Chryſoſtom *Homil 46. in Joan. 6.* ſic inquit: *Neque Dei electio violenta eſt, ſed ſuaſoria; ut enim intelligas non cogere vocationem, multos vocatos perire contingit.* Noſter Damaſcenus *lib. 2. Fidei Orthodoxæ cap. ultimo* ait: *In nobis eſt virtuti immanere, & ſequi Deum nos ad illa vocantem, atque deſerere virtutem.* Noſter Anſelmus *in cap. 6. Matth.* ſic ait: *In Paulo videtur cogens Dei voluntas; ſed non eſt, quia licèt ſit percuſſus, tamen voluntate erat liberâ, ut reſiſteret, ſi vellet.* Quæro autem utrùm auxilia conceſſa illis, qui virtutem de facto deſerunt, (imò & Paulo deſeruiſſet) ſint ſufficientia? Certè eſt affirmandum: aliàs non ſubſiſtit Patrum doctrina ſupra relata.

Patrum teſtimonia, quæ veritatem Catholicam probant.

8 Accedunt Conciliorum Canones, atque Decreta. Et inprimis Canon 25. Concilij Arauſicani II. *Hoc ſecundùm Fidem Catholicam credimus, quòd acceptâ per Baptiſmum gratiâ, omnes baptizati, Chriſto auxiliante, & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint, & debeant (ſi fideliter laborare voluerint) adimplere.* Aſt ſunt multi, qui fideliter non laborantes, quæ ad ſalutem pertinent non adimplent: ij autem, ut conſtat ex loco relato Concilij, habent à Chriſto auxilium Divinæ gratiæ; quod neceſſariò dicendum eſt ſufficiens auxilium. Idipſum poſt pauca confirmat præfatum Concilium ibi: *Deus nobis inſpirat, ut Baptiſmi Sacramenta fideliter requiramus, & poſt Baptiſmum cum ipſius adjutorio ea quæ ſibi ſunt placita, implere poſſimus,* ſed hoc adjutorium non ſemper eſt efficax: ergo aliquando eſt tantùm ſufficiens, Idipſum multoties reperitur in Tridentino nam *Seſſ. 6. cap. 5.* eadē ſacroſancta Synodus *declarat ipſius juſtificationis exordium in adultis a Dei per Chriſtum JESU M, præveniente gratiâ, ſumendum eſſe, hoc eſt, ab ejus vocatione, quâ nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur; ut qui per peccata á Deo averſi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam; ad cōvertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo, et cooperando diſpunantur ita, ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat, inſpirationem illam recipiens, quippequi illam et abjicere poteſt,* &c.

Iterum accedūt Concilia.

&c. at qui multi de facto eam inſpirationem abjiciunt, ut patet ex illo Proverb. 1. v. 24. *Vocavi, & renuiſtis, extendi manus meas, & non fuit qui aſpiceret; deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis*; item ex illo Actor. 7. v. 51. *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*: ergo in ipſis inſpiratio illa eſt inefficax. Id ipſum confirmat Ledeſma ex eodem Tridentino *ſeſſ. 6. de Juſtificatione, cap. 13.* ubi dicitur: *Deus enim, niſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere*: Ergo ſupponit Concilium aliquos homines deeſſe vocanti gratiæ, quæ ideo non eſt dicenda efficax, ſed ſufficiens.

SECTIO II.

Neceſſitas gratiæ ſufficientis, & auxilij, ſine quo non, oſtenditur variis argumentis ex ſacro Textu, & Patribus excerptis.

1 PRimum argumentum deductum ſit ex illo Deuteronomij 30. *num.* 11. *Mandatum, quod ego hodie præcipio tibi, non ſupra te eſt*; itemque ex illa Apoſtoli Ep. 1. *ad Corint. c.* 10. *Fidelis autem Deus, qui non patitur vos tentari ſuprà id, quod poteſtis.* Ex quibus Catholicæ reſolutionis fundamentum in hunc modum conſtruitur. Præcepta Dei obſervatu impoſſibilia non ſunt, aſt impoſſibilia eſſent, ſi auxilium Divinæ gratiæ ad id ſufficiens aliquandiu deficeret: ergo neceſſariò dicendum eſt dari auxilium ſufficiens, quo etiam illi reſiſtentes poſſent Divinam Legem obſervare, ſi vellent. Maior conſtat ex ipſis ſacris teſtimonijs nuper exhibitis, & confirmatur amplius ex illo Eccleſiaſtici 15. 11. *Ne dixeris; Per Deum abeſt.* Item ex illo Joan. 5. 4. *Mandata illius gravia non ſunt.* Similiter ex Matth. 11. 30. *Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Hæc utriuſque Evangeliſtæ teſtimonia à Concilio Tridentino *ſeſſ. 6. de Juſtificatione, cap.* 11. citantur, & intelliguntur, ut oſtendatur præcepta Dei nobis impoſſibilia non eſſe.

Argumentum primum ex Scriptura.

2 Confirmatur ipſa maior ex Conciliis, & primò ex Tridentino proximè citato, dicente: *Nemo temeraria illa, & à Patribus ſub anathemate prohibitâ voce, uti debet: Dei præcepta homini*

mini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia. Secundò ex eodem Concilio ejuſdem ſeſſionis *Canon.* 18. *Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam juſtificato, & ſub gratia conſtituto eſſe ad obſervandum impoſſibilia, anathema ſit.* Et eſt notandum Concilium anathemate ferire eos, qui præcepta Dei ad obſervādum judicant impoſſibilia non ſolùm impiis, ſed etiam juſtificatis, ut colligitur ex illis verbis *homini etiam juſtificato*, quæ impios non excludunt, ſed eos potiùs ſupponunt, & comprehendunt. Tertiò ex Concilio Arauſicano II. *cap.* 25. ut ſuprà retulimus ſectione præcedenti. Neque eſt dicendum Concilium ſolùm docuiſſe auxilia Divinæ gratiæ nunquam deficere hominibus juſtis; quapropter de ſolis auxiliis efficacibus ſit interpretandum. Quia Concilium loquitur de illis auxiliis, quibus non obſtantibus, ipſi juſti cadunt: ergo loquitur de auxiliis ſufficientibus, quæ, inquam, ſufficiunt, ut præcepta Dei impoſſibilia non ſint.

3 Neque rationes deſunt, quibus ipſa maior fiat indubitabilis. Prima eſt; quia præcepta Dei imputantur indifferenter ad meritum, vel demeritum, ſi ſequantur, aut contemnantur; atqui nullum impoſſibile cadit ſub merito, vel demerito: ergo. Secunda ratio; quia, ſi præcepta Dei eſſent impoſſibilia, deficiente gratiâ neceſſariâ, & quæ ſufficiat ad ea exequenda, impii excuſationem haberent in promptu; unde injuſtè, & iniquè punirentur propter illorum tranſgreſſionem; atqui Deo nulla injuſtitia imputari poteſt in peccatoribus puniendis: ergo. Major deſumitur ex Auguſtino *lib. de Grat. & libero Arbitr.* dicente: *Homo gratiâ juvat, ne ſine cauſâ voluntati ejus jubeatur.*

Si non daretur gratia ſufficiés, juſti de peccatis excuſationẽ haberent in promptu.

4 Dicent negationem, ſive ſubtractionem gratiæ ſufficientis pœnam eſſe dignam ex merito culpæ originalis, quâ homo damnatione, & irâ ſit dignus. Quapropter inquit Sanctus Auguſtinus *lib. de Naturâ, & Gratiâ, cap.* 5. *Univerſam maſſam naturæ lapſæ pœnas debere; & ſi omnibus debitum damnationis ſupplicium redderetur, non injuſtè proculdubio reddendum.* Et noſter Anſelmus *lib. de Concordiâ quæſt.* 3. *cap.* 13. de Naturâ poſt originale peccatum inquit: *Quantum in ipſâ eſt, neceſſitate injuſtâ, & ancillâ injuſtitiæ eſt, quia per ſe nequit redire ad juſtitiam.* Unde Purpuratus Aguirre *tom. tertio Commentar. in Theolog. Divi Anſelmi diſput.* 117. *ſect.* 2. inquit: *Suppoſitâ doctrinâ Catholicâ de pec-*

cato originali, naturam humanam, vi illius ſe conſtituiſſe indignam, omni dono gratuito Dei, ac proinde non poſſe Deum in juſtitiæ accuſari, ſi non daret omnibus auxilium ſufficiens ad ſalutem. Quæ etiam doctrina eſt expreſſè Bellarm. *Lib. 2. de Grat. & libero Arb.*

Nec vale teſponſio, quòd ſubtractio gratiæ ſufficientis ſit pœna originalis delicti.

5 Attamen reſpondetur hanc Patrum, & Doctorum ſententiam ſolùm habere locum circa naturam lapſam, nec dum per Baptiſmi lavacrum reparatam, & regeneratam. Diſtinguunt enim inter effectus originalis peccati *pœnam*, & *pœnalitates*; nomine *pœnalitatum* intelligunt Theologi apud *Suar. Granat. tom. 3. in tert. part. Divi Thom. diſp. 26. ſect. 1.* quoſdam defectus in hominibus lapſis, qui ſecundùm ſe ex principiis naturæ oriuntur, eſſentque in homine in puris naturalibus condito, quantum ad ſubſtantiam, ſeu entitatem, aut imperfectionem eorum, cujuſmodi ſunt paſſibilitas corporis, ægritudines, dolores, mors, fomes peccati, & inordinatio potentiarum, quibus defectibus ſubventum erat per originalem juſtitiam, quam in ſuo primo parente totum genus humanum amiſit, & ideo hi defectus in homine lapſo non cenſentur meré naturales, ſed pœnales per peccatum originale contracti. Nomine autem pœnæ intelligunt quidquid per Divinam Juſtitiam ita imponitur, ut non ſit ex principiis naturæ intrinſecis ortum: quales ſunt pœnæ Inferni, aut Purgatorij. Hujuſmodi eſt, negatio auxilij ad ſalutem, & obſervantiam legis; ſunt enim qui teneant Deum aliquando graviſſimis peccatoribus gratiam neceſſariam denegare in ſcelerum, ac delictorum pœnam. Vide Abulenſ. in *cap. 4. Matth. q. 12.* Arimin. *in 1. d. 46. q. unic. Caiet. in c. 19. Joan.* Roff. *a 26. contra Luth.* Richa*ge a* 7. Henr. *Quodlib. 8. q. 5.* Med. & alios.

In Baptiſmo omnis peccati pœna remittitur.

6 Cùm igitur certò certius ſit per Baptiſmum omnem pœnam remitti, quæ ſit impoſita per originale peccatum, colligitur conſequenter condignitatem hujuſce pœnæ ablatam eſſe virtute Sacramenti. Certitudo hujus præmiſſæ deſumitur ex Divo Cyprian. *lib. 3. ad Quiri cap. 65. & Serm. de ablution. ped.* ubi de Baptiſmo inquit: *Sic lavans quos parentalis labes infeeerat, ut neque actualis, nec originalis culpæ veſtigia relinquat.* Item ex noſtro Gregor. Magno. *lib. 9. cap. 39.* ubi inquit non ſemel: *Animam in Baptiſmo cæleſtem munditiam conſequi radicitus à peccatis abſolvi, peccata in Baptiſmo funditus dimitti.* Et inſuper adducens

locum

locum *Joan.* 13. ait: *Totus Mundus dici non poteſt, cui de peccato aliquid remanſit; ſed nemo reſiſtit voci veritatis, quæ ait: Qui lotus eſt, mundus eſt totus, nihil ergo ei de peccati ſui contagione remanet, quem totum fatetur mundum ipſe, qui redemit.* Hæc autem verificari non poſſent, ſi ad huc poſt Baptiſmum, aliquid maculæ permanet tam gravi pœnâ dignum.

7 Præterea, & multò magis: quia etiam ex peccato originali fit homo indignus auxilio efficaci Divinæ gratiæ; & tamen hæc datur hominibus, ut vel ex adverſariorum dogmatibus conſtat: ergo non eſt, cur ſufficiens gratia non detur. Ultimò tandem, quia juxta doctrinam Cardinalis Aguirre præcitati, *num.* 4. antecedenti certum eſt naturam humanam, ex peccato originali, ſe conſtituiſſe indignam omni poteſtate conſequenti, præſertim morali, & prorſus expeditâ ad bonum quodlibet morale agendum, ſive magnum, ſive parvum; meruit enim ſtatim ſubire damnationem æternam, in quà hujuſmodi poteſtas nulla eſt ad bonum agendum. Quare, ſi natura lapſa in peccatum originale, adhuc retinet poteſtatem omnino expeditam ad agendum aliquod bonum, totum id oritur ex miſericordia Dei, cedentis juri ſuo ad damnandum ſtatim hominem, & collocandum in eo miſero ſtatu, omnis ejuſdem poteſtatis ad bonum expertem. Cur ergò non dicemus Deum ſimiliter cedere juri ſuo, ut ſimiliter eidem homini poſt originale auxilia ſufficientis gratiæ conferat.

Magna Dei miſeratio erga hominem poſt lapſum.

8 Jam verò minor illa præcepui ſyllogiſmi *num.* 1. aſſerentis etiam præcepta Dei impoſſibilia fieri, ſi gratia ſufficiens ad ea implenda deficeret; probatur. Quoties implicat cauſa, aut ei deficit potentia ad aliquem effectum, ipſe effectus redditur impoſſibilis; atqui, ſi homini alicui deficeret gratia ſaltem ſufficiens ad obſervanda præcepta Dei, deficeret conſequenter virtus, & potentia ei neceſſaria ad executionem Mandatorum: ergo præceptorum Dei executio eſſet impoſſibilis. Maior eſt Philoſophis indubitabile principium minor autem Theologis infallibilis. Eſt enim communis doctrina cum Magiſtro *in* 1. diſt. 28. & Divo Bonavent. *ibidem art.* 1. *q.* 3. ac Divo Thom. 1.2. *q.* 109. *art.* 4. Soto *lib.* 1. *de Natura, & Grat. cap.* 22. Ferrar. 3. *contra gentes* Bellarm. *lib.* 5. *de Grat. & liber. Arbitr.* non poſſe hominem abſque gratia, totam Dei legem obſervare, præ-

Probatio minoris præcipuæ illius argumēti num. 1. præjacti.

Impoſſibile eſt. poſſe hominē gratiâ deſtitutum totá Dei legem perfectè ſervare.

præcipuè cùm in ea tot ſint ſupernaturalia præcepta. Contrarium enim Pelagianum eſt. De quo fuſè pariter, ac doctiſſimè ex more vide Suar. Granat. *tom.* 1. *de Grat. lib.* 2. *cap.* 23. & probatur obiter ex Scripturis: Ezechiel enim 36. 27. habetur: *Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis, & operemini.* Quod eſt intelligendum, ex eo quòd ad ambulandum in præceptis Dei, & ipſius judicia cuſtodienda, Spiritu Divino, hoc eſt, auxilio Divinæ gratiæ opus ſit. Hoc idem ſæpe docetur à Conciliis, præſertim Milevitano II. & Africano, aliàs Carthaginenſi VI. item ex Patribus: Auguſtino *Epiſt.* 89. quæ eſt ad Hilarium, ubi inquit: *Illud verò, quod dicunt* (Pelagius, & Cæleſtius) *ſufficere hominum liberum arbitrium ad Dominica præcepta implenda, etiam ſi Dei gratiâ, & Spiritûs Sancti dono ad opera bona non adjuventur, omnino anathematizandum eſt, & omnibus execrationibus deteſtandum.* Eodem *de Hæreſibus, hæreſi* 88. ibi. *Hoc pertinere ad hæreſim Pelagianorum, ut credant ſine gratiâ hominem poſſe facere omnia Divina mandata.* Ex Fulgentio *lib. de Fide ad Petrum*, ubi dicit: *Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites Divinis mandatis obedire neminem poſſe, niſi quem Deus ſuâ gratiâ prævenit.*

Secundum argumentū pro veritate Catholica à Sacro Textu deſūpta.

9 Secundum argumentum. Patet ex Scripturis præter auxilia efficacia, quibus voluntas præbet aſſenſum ſuum, multa etiam conferri auxilia Divinæ gratiæ, quibus reſiſtit arbitrium creatum; ſed hæc auxilia efficacia non ſunt: ergo ſaltem erunt ſufficientia. Probatur maior. Quia in Scripturis multoties conqueritur Deus, quòd homines interiores ſuæ gratiæ vocationes deſpexiſſent, ut patet ex illo Proverb. 1. 24. *Vocavi, & renuiſtis; extendi manus meas, & non fuit qui aſpiceret deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis.* Item ex Iſaiæ 5. ubi Dominus cum Judæis judicium proponens, eoſque arguens, & exprobans inquit: *Judicate inter me, & vineam meam; quid eſt, quod debui facere vineæ meæ, & non feci? An quod expectavi, ut faceret uvas, fecit autem labruſcas?* Ex quo teſtimonio quæro. Vel Deus auxilia ſufficientia contulit vineæ ſuæ, ut faceret bonos fructus, vel ea auxilia, quæ contulit ſufficientia non erant. Si auxilia ſufficientia contuliſſe dicatur: ergo corruit falſa præfatarum propoſitionum doctrina. Si autem, ea auxilia; quæ ſufficerent, non contuliſſe dicatur: ergo falſó, & iniquè conque-

queritur Deus, & fruſtra juſtificatur his ſermonibus ſuis, ut vincat cùm judicaverit.

10 In probationem ejuſdem maioris alter eſt Textus egregius Actor. 7. 51. ibi: *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.* Nec video qualiter cum hoc Textu, & aliis ſuprà adductis ſtare poſſit propoſitio illa decima tertia inter damnatas: *Quando Deus vult Animam ſalvam facere, & eam tangit interiori gratiæ ſuæ manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit.* Idem dico de aliis huic ſimilibus in hoc capite memoratis; quæ omnes jam dudum prædamnatæ ſunt inter Janſenij propoſitiones, quarum ſecunda, eſt: (ut patet ex Bulla Innocentii X. & Alexandri VII.) *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.* Docuerat enim Janſenius *lib. 2. de Gratia Chriſti Salvatoris, cap. 5. Nullum adjutorium gratiæ, cujus uſus ita ponitur in arbitrio voluntatis, ut illo utatur, aut non utatur; ut illud amplectatur, aut deſerat; ut illi conſentiat, aut non conſentiat, ſi voluerit, quantunvis ſine illo non velit, aut velle non poſſit, eſſe adjutorium, quo fit ut velit; ſed tantùm ſine quo non; & proinde ad medicinale adjutorium Chriſti, nullo modo poſſe pertinere.*

Refellitur propoſitio 13. & aliæ memoratæ, quæ valde cohærent Janſenianæ doctrinæ ab Alex. VII. & Innoc. X. damnatæ.

11 Ponamus igitur ex una parte illud Janſenij: *Interiori gratiæ nunquam reſiſtitur*; quod à Janſenio ſanctum eſt, in ſenſu excluſivo alterius cujuſvis gratiæ non efficacis. Et huic accedant ſequentes propoſitiones, eodem ſenſu prolatæ videlicet. IX. *Gratia Chriſti eſt gratia ſuprema, ſine quâ cōfiteri Chriſtū nunquā poſſumus, & cum qua, nunquam illum abnegamus* X. *Gratia eſt operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.* Et reliquæ uſque ad propoſitionem XXI. *Gratia Chriſti eſt gratia fortis, potens, ſuprema, invincibilis, &c.* Ex altera verò parte, ponatur illud Actor ſuprà relatum: *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*; & illud Chriſti Domini Matth. 23. 37. *Quoties volui congregare filios tuos, quem admodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti.* His etiam teſtimoniis adjugantur ſequentes Auguſtini theſes. *Conſentire autem vocationi Dei, aut ab ea diſſentire propriæ voluntatis eſt.* Ex *lib de Spiritu, & litera cap. 34. Pertinet ad nos, ut boni ſimus accipere, & habere, quod dat is, qui de ſuo bonus eſt; quo quiſqui neglecto, de ſuo malus eſt.* Ex *Epiſt. 54. ad Macedon. Non eſt indignum, ut Deus dicat: Ite in ignem æternum iis qui per liberum arbitrium miſericordiam ejus reſ-*

Relatæ propoſitiones 9. & reliquæ uſque ad 21. incluſivè, cum doctrinà Janſenij adverſantur Divo Auguſtino, & Sacro Textui.

puerunt. Ex *libr.* 2. *de Actis cum Felice Manich. cap.* 8. Ac tandē de Eſau inquit: *vocatione Dei contempta, reprobus factus eſt.* Ex *lib. ad Simplician. quæſt.* 2. Indeque, perſpecta utraque docendi viâ, reſpondeant adverſarij qualiter ejus propotiſiones cum Scripturæ ſacræ teſtimoniis, & Auguſtini theſibus conciliari, & concordari poſſint? Cùm utraque ſimul doctrina ſtare nequeat, videant utra falſa ſit, illa quæ in Scripturis ſacris, & apud Auguſtinum eſt apertiſſima, an ea potiùs, quæ ipſis apertiſſimè adverſatur?

Tertium pro veritate argumentum, ex abſurdo ex oppoſita doctrina emergente.

12 Tertium pro Catholica veritate argumentum. Fide certum eſt Chriſtum pro omnibus hominibus eſſe mortuum: ergo etiam erit indubitabile omnibus hominibus media ad ſalutem neceſſaria præparaſſe: ſicut enim nullum præbere auxilium ad ſalutem eſt ipſam nolle, ita ex oppoſito ſalutem hominibus velle eſt hominibus ad ſalutem media præparare; atqui, ſi hominibus, queis gratia efficax non conceditur, denegatur etiam gratia ſufficiens, nullam ſpiritualem utilitatem, aut fructum attuliſſet Chriſti Paſſio, & mors: ergo neceſſariò, nè tale abſurdum ſequatur aſſerendum, dici debet quòd eis etiam hominibus, queis gratiæ efficacis auxilium ſubtrahitur, aliquod auxilium ſufficiens non denegatur. Subſumpta minor ſuadetur firmiter ex eo, quia non eſt excogitabilis fructus, aut utilitas ex Paſſione, & morte Chriſti, quæ minor ſit auxiliis tantummodo ſufficientibus ad ſalutem: ergo Paſſio Chriſti, & ejuſdem mors nullum præſtaret effectum hominibus, queis auxilia ſufficientia non conferret. Tota præcedens doctrina invenitur apud Divum Thom. variis in locis; nam in 3. *diſt.* 20. *q.* 1. *a.* 1. *Dicendum* (inquit) *quòd hoc, quòd omnes homines non reparantur, non eſt ex inſufficientia medicinæ reparantis, cùm ſit ſufficiens, quantum in ſe eſt, ad reparandum omnes, qui naturam habent, vel habere poſſunt; ſed ex defectu eorum, qui reparationis effectum in ſe ipſis impediunt.* Non aliter docet 3. *p. q.* 79. *art.* 7. *ad* 2. *Dicendum quòd Paſſio Chriſti prodeſt omnibus, quo ad ſufficientiam.* Neque ſibi diſſimilis *lect.* 2. *in cap.* 2. *Epiſt.* 1. *ad Timoth. Chriſtus eſt propitiatio pro peccatis noſtris, pro aliquibus efficaciter, ſed pro omnibus ſufficienter.*

SEC.

SECTIO III.

Objectiones adverſùs doctrinam præcedentem ſolutæ.

1 OBjectio prima. Accidit aliquoties ut non impij tantùm, & peccatores, ſed juſti etiam homines talem ſentiant arduitatem in præceptis exequendis, & vincendis tentationibus, ut, quanvis orent, ac deprecentur, auxilîum opportunum non impetrent, unde miſerè cadunt: ergo iſti ſaltem auxilijs ſufficientibus deſtituuntur, & neceſſariò cadunt; quam neceſſitatem regnoſcens David, clamabat dicens *Pſalm.* 24. *verſ.* 17. *De neceſſitatibus meis erue mé.* Probatur conſequentia. Ipſi homines, ut dicitur, cupiunt tentationes vincere, ad quarum victoriam rogant auxilium; non tamen vincunt: ergo ideo eſt, quia eas vincere non poſſunt; non enim dici poteſt eos vincere tentationes non velle, cùm, ut in argumento ſupponitur, conſtet eos vincere velle, ac deſiderare. Confirmatur ex Divo Auguſtino *lib.* 1. *Retractat.* dicente: *Qui autem cogenti cupiditati bona voluntate reſiſtere non poteſt, jam hoc ita peccatum eſt, ut ſit etiam pœna peccati.* Ubi Sanctus Doctor ſatis agnoſcit aliquos in ipſis tentationibus, bonâ reſiſtendi voluntate affectos, auxilio tamen ſufficienti ad reſiſtendum penitus orbatos, quod clariùs docet *lib. de Correptione, & Grat. cap.* 11. ubi, ut infra oſtendemus, videtur docuiſſe primo tantùm homini auxilia ſufficientia data eſſe; reliquis autem non niſi auxilia efficacia.

2 Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam; nam, licèt in caſu propoſito non adſit auxilium efficax, quo præcepta ſerventur, ſive reſiſtatur tentationi, non inde eſt inferendum auxilium quoque ſufficiens deficere, cùm ex argumento id non ſequatur. Ad probationem conſequentiæ dicendum eſt tales homines ſolùm inefficaciter velle mandata exequi, ac vincere tentationes. Neque obſtat quòd à Pſalmiſtâ neceſſitas id dicatur, & ab Auguſtino impotentia; hoc enim intelligendum eſt de neceſſitate, & impotentia morali, quæ oritur ex ſumma difficultate aliquando inventa ſive ad exequenda mandata, ſive ad reſiſtendum tentationibus. *Arduitas in exequendis præceptis Dei non eſt quia auxiliū efficax deficiat.*

Quo ſenſu Divus Anſelmus in *Dialogo de lib. Arbitr. cap.* 5. & 6. inquit: *Eſt & alia ratio, quam frequens habet uſus, cur invitus, & nolens, & ex neceſſitate dicitur aliquis facere, quod tamen volens facit: nam quod non niſi difficilè facere volumus, & ideo non facimus, dicimus hoc nos facere non poſſe.* Similiter *lib. de Concordia gratiæ, & lib. Arbitr. q.*3*. cap.* 10. ait: *Ut nitentes non proficiant, aut poſt profectum deficiant, non impoſſibilitate; ſed aliquando gravi, aliquando facilè ſuperabili difficultate fieri exiſtimo. Sæpiſſimé nanque aſſerere ſolemus impoſſibile nobis eſſe quod ſine difficultate perficere non valemus.*

3 Objectio ſecunda. Nullum aliud eſt diſcrimen inter auxilium, *quo* egebat natura integra in primo homine; & quo lapſa licèt reparata in poſteris eget, niſi quòd auxilium pro primo ſtatu feliciſſimo erat ſufficiens; hoc eſt, auxilium, *quo poſſet* homo in natura integra bene operari, ſi vellet; auxilium verò pro ſtatu naturæ lapſæ neceſſariò debeat eſſe efficax, & cum *quo infallibiliter operatur bene* ipſa natura, amiſſa indifferentiâ; ergo in ſtatu præſenti interiori gratiæ nunquam poterit reſiſti. Probatur antecedens. Primò: quia, cùm natura in primo homine ſana, & integra perſeverabat, minori adjutorio egebat; maiori autem in poſteris, in quibus eſt infirma, & vulnerata; atqui maius, aut minus adjutorium non ſtat niſi in ſola ſufficientia, aut efficacia ipſius adjutorij: ergo. Secundò idem antecedens probatur: quia adjutorium gratiæ pro ſtatu naturæ reparatæ datur ex meritis Chriſti; non autem adjutorium pro ſtatu innocentiæ; neque enim Chriſtus eſſet futurus, ſi non peccaret Adamus, ut cum Divo Thoma docent innumeri Theologi: ex infinito ergo Chriſti merito debet adjutorium gratiæ, quod per illum confertur, eſſe forte, potens, & invincibile.

Objiciũt quòd ſoli naturæ integræ datum fuit auxiliũ ſufficiens; naturæ autem lapſæ ſolum auxiliũ efficax datur. Et contendunt hác doctrinam eſſe ex Divo Auguſtino ſumptam.

4 Hanc differentiam inter auxilium naturæ integræ, & lapſæ confirmari contendunt variis teſtimoniis ex Divi Auguſtini doctrina erutis. Primum illud eſt *lib. de Correptione, & Gratia, cap.* 11. ubi Sanctus Doctor inquit: *Dederat homini Deus* (intellige in ſtatu naturæ integræ) *bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat rectum, dederat & adjutorium, ſine quo in ea non poſſet permanere, ſi vellet; ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio.* Dixerat autem paulò antea: *Nec ipſum ergo Deus eſſe voluit*

buit ſine gratia, quam reliquit in ejus libero arbitrio, quoniam liberum arbitrium ad malum ſibi ſufficit; ad bonum autem nihil eſt, niſi juvetur ab Omnipotente Bono: quod adjutorium, ſi homo ille per liberum non deſeruiſſet arbitrium, ſemper eſſet bonum; ſed deſeruit, & deſertus eſt; tale quippe erat adjutorium, quod deſereret cùm vellet, & in quo permaneret, ſi vellet; non quo fieret ut vellet. Hæc prima gratia eſt, quæ data eſt primo Adam. Mox autem exponens auxiliũ nobis datum in natura dapſa, per Chriſtum ſecundum Adam ſic inquit: *Sed hæc* (gratia ſcilicet) *potentior eſt in ſecundo Adam. Prima enim eſt quà fit ut homo habeat juſtitiam, ſi velit. Secunda ergo plus poteſt, quà etiam fit, ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem, contraria concupiſcentem, voluntate ſpiritûs vincat.* Unde ſatis videtur conſtare ex Auguſtino quòd auxilium Divinæ gratiæ in natura integra fuerit ſufficiens tantùm, & *ſine quo non*: auxilium autem gratiæ in natura lapſa plenè colligitur ex eodem eſſe efficax, & *quo* fit ut homo velit.

5 Secundum Divi Auguſtini teſtimonium adducunt adverſarij ex eodem libro *cap.* 12. ibi: *Ipſa adjutoria diſtinguenda ſunt. Aliud eſt adjutorium, ſine quo aliquid non fit; aliud eſt adjutorium, quo aliquid fit. Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe non deſerere ipſum bonum, datum eſt adjutorium perſeverantiæ; non quo fieret ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberũ arbitrium perſeverare non poſſet. Nunc verò Sanctis in Regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis, non tantùm tale adjutorium perſeverantiæ datur, ſed tale, ut eis perſeverantia ipſa donetur; non ſolùm ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint; verùm etiam ut per hoc donum non niſi perſeverantes ſint.*

6 Tertium teſtimonium habetur eodem loco ibi: *Ut ergo non acciperet hoc donum Dei, ideſt, in bono perſeverantiam primus homo, ſed perſeverare, vel non perſeverare, in ejus relinqueretur arbitrio, tales vires habebat ejus voluntas, quæ ſine ullo fuerat inſtituta peccato, & nihil illi ex ſe ipſa concupiſcentialiter reſiſtebat, ut dignè tantæ bonitati, & bene vivendi facultati perſeverandi committeretur arbitrium, Deo quidem præſciente, quid eſſet facturum injuſtè; præſciente tamen, non ad hoc cogente, ſed ſimul ſciente, quid de illo ipſe faceret juſte. Nunc verò poſtquam illa magna, peccati merito,*

amiſſa libertas, etiam maioribus donis adjuvanda, remanſit infirmitas. (Et paulò infra.) *Ac per hoc, nec de ipſa perſeverantia boni voluit Deus Sanctos ſuos in viribus ſuis, ſed in ipſo gloriari, qui eis non ſolùm dat adjutorium, quale primo homini dedit, ſine quo non poſſint perſeverare, ſi velint, ſed in eis etiam operatur & velle. Ut quoniam non perſeverabunt, niſi & poſſint, & velint, perſeverandi ejus poſſibilitas, & voluntas Divinæ gratiæ largitate donetur. Tanto quippe Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo poſſint, quia ſic volunt; ideo ſic velint, quia Deus operatur ut velint. Nam, ſi in tanta infirmitate vitæ hujus, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio Dei, ſine quo perſeverare non poſſent, manerent, ſi vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent; inter tot, & tantas tentationes infirmitate ſua voluntas ipſa ſuccumberet, & ideo perſeverare non poſſent: quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut poſſent. Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut Divina gratia indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur, & ideoquanvis infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur.*

Ex Divi Auguſtini teſtimoniis intendunt colligere adverſarij ſolam gratiam efficacem dari.

7. Ex quibus videtur juxta Divi Auguſtini mentem gratiam ſubvenientem infirmitati naturæ lapſæ in eo tantùm differre à gratia ſubveniente naturæ integræ in primo homine, quòd hæc fuerit gratia ſufficiens, qua poſſet, ſi vellet, illa autem, qua certè velimus, & qua *indeclinabiliter*, & *inſuperabiliter* agatur. Unde nulla alia gratia præter hanc, cui nulla voluntas humana reſiſtit, & cujus effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei, dicenda eſt gratia Chriſti; ſed illa ſola, quæ eſt gratia ſuprema, & cum qua nunquam Chriſtum abnegamus.

8. Neque eſt prætermittendum, tanquam quartum ejuſdem Sancti Doctoris teſtimonium, quod habetur citato loco poſt relata verba; ſcilicet, *Ita factum eſt, ut voluntas hominum invalida, & imbecilla in bono adhuc parvo perſeveraret per virtutem Dei, cùm & voluntas primi hominis fortis, & ſana in ampliori bono non perſeveraverit, habens virtutem liberi arbitrij, quanvis non de futuro adjutorio Dei, ſine quo non poſſet perſeverare, ſi vellet non tamen talis, quo in illo Deus operaretur ut vellet. Fortiſſimo quippe dimiſit, atque permiſit facere quod vellet: infirmis ſervavit,*

vit, ut ipſo donante, inviƈtiſſimè quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere inviƈtiſſime nollent. Ubi notanda ſunt poſtrema illa verba: *Fortiſſimo quippe dimiſit, atque permiſit, &c.* Ex quibus nullus non colliget auxilium gratiæ, infirmæ naturæ donatum, eſſe inviƈtiſſimum, ſive, ut aſſeritur propoſitione 21. *forte, potens, ſupremum, & invincibile.*

9 Abſit autem Divum Auguſtinum Calvini præextitiſſe anteceſſorem; cujus in materia de gratia, hoc fuit inter alios errores principium infallibile: *Omnem gratiam, quæ homini in ſtatu naturæ lapſæ tribuitur, eſſe irreſiſtibilem*, ut fatetur Ameſius Calviniſmi Seƈtator. Quapropter ad objeƈtionem *num.* 3. præjaƈtum reſpondeo abſolutè negando antecedens. Ratio id demonſtrat. Si enim homo in illo ſtatu perſeveraſſet, non ſolùm darentur ei auxilia, & adjutoria neceſſaria, & ſufficientia tantùm, (hoc eſt auxilia, ſine quibus non) ut de faƈto ei data ſunt, nè caderet, ſi vellet, verùm etiam darentur ei auxilia efficacia, & congrua; imò quòd auxilium conceſſum primo homini congruum foret, & efficax, in ejuſdem poteſtate fuit, ſaltem in ſenſu diviſo. Et probatur: quia liberũ fuit primo hominum adjutorio Dei aſſentiri, ſi vellet: ergo in ſuppoſitione quòd præfatum adjutorium non rejiceretur, eſſet abs dubio congruum, & efficax.

Reſpondetur ad argumentũ quod fuit præjaƈtum num. 3.

Auxilium efficax, & ſufficiẽs conveniũt naturæ etiam integræ.

10 Ad primam probationem antecedentis, data maiori, quæ eſt Auguſtini menti conformis, ut judicat Aguirre *Tom.* 3. *Theolog. Sanƈti Anſelmi, Diſp.* 132. *ſeƈt.* 10. *num.* 34. ubi illud ex Auguſtino repetit: *Et ſi non lætiori nunc, veruntamen potentiore gratiâ indigent iſti*; negatur minor. Non enim ſolum auxilium efficax, & congruum maius eſt auxilio ſufficiente, verùm etiam duo ſufficientia tantùm auxilia, poſſunt eſſe inæqualia, maius ſcilicet, & minus: unum ſcilicet alio uberius. Imò fieri poteſt quòd duo auxilia in ubertate gratiæ ſint æqualia; unum tamen efficax, & aliud tantùm ſufficiens: ergo inæqualitas duplicis adjutorij nõ arguit neceſſariò in uno ſufficientiam; & in altero efficaciam. Hoc antecedens eſt Stapletonij *Lib.* 4. *de Grat. & lib. Arbitr. cap.* 8. Bellarm. *lib.* 6. *de libero Arbitr. cap.* 15. *ſententia* 9. Sot. *lib. de Nat. & Grat. c.* 16. Veg. *lib.* 6. *in Trident. cap.* 9. Suar. *de Auxil. lib.* 3. *c.* 20. Qui omnes docent fieri poſſe, ut ex duobus habentibus idem auxilium

Unum auxiliũ ſufficiẽs poteſt eſſe maius, & uberius alio auxilio ſufficienti.

unus conſentiat, & non alter; unde fiet in conſentiente efficax; in reſpuente verò non amplius, quàm ſufficiens. Hoc idem placet Altiſiodor. *Lib. 2. ſummæ, Tract. 2. cap. 3.* noſtroque Dionyſio Ciſterciensi in 2. *Diſt. 17. a. 3.* ubi inquit voluntatem cum æquali gratia, ſi magis conetur, poſſe magis efficere, & hunc operandi modum proprium eſſe agentis liberi.

11 Ad ſecundam ejuſdem antecedentis probationem negatur conſequentia, quæ videtur affinior falſis adverſariorum dogmatibus. Et ratio eſt: quia, licèt adjutorium Divinæ gratiæ nobis ex meritis Chriſti conferatur, ſic enim intelligitur illud Apoſtoli *ad Epheſ. 1. 3. Benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in Chriſto*; & *cap. 4. 7. unicuique noſtrûm data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti.* Et *ad Roman. 3. 24. Juſtificati per redemptionem, quæ eſt in Chriſto JESU*, non tamen inferiorem cauſam motivam habuit Deus, ut præciſa Incarnatione, auxilia gratiæ conferret primo homini: movebatur enim jam tunc à ſua met miſericordia, & bonitate, quæ infinita cùm ſit, auxilia etiam efficacia poterat primo homini præſtare, niſi per eundem ſtetiſſet. Unde, ſicut movente infinita Dei Bonitate, & miſericordiâ, primo homini ſufficiens auxilium fuit præſtitum, ita nil mirum, quòd ex meritis infinitis, Paſſione ſcilicet, & morte Chriſti, dentur hominibus lapſis ſufficientia adjutoria præter efficacia.

Infinita Dei miſericordia, & bonitas, poterat illum movere, ad conferendum auxilium efficax primo homini.

12 Nunc, ut Auguſtini teſtimoniis faciamus ſatis, ſtatuendum eſt Auguſtini mentem circa differentiam utriúſque adjutorij pro diverſis illis naturæ ſtatibus eſſe longè aliam; ut ex infra adducendis conſtabit. Neque ejuſdem Sancti Doctoris relata teſtimonia quidquam urgent, ſi pleniùs illa perſcrutemur. Sciendum enim eſt quòd, cùm Divus Auguſtinus loquitur de adjutorio conceſſo primo homini, non attendit abſolutè ad ſtatum naturæ integræ, ſecundùm ſe ſpectatum, ſed attendit ad Adamum particulariter in actu peccantem, & non perſeverantem in juſtitia originali. Illud autem gratiæ adjutorium, quo Adamus poterat perſeverare, non tamen perſeveravit, quis dubitat fuiſſe merè ſufficiens, *& ſine quo non*? Deinde, quando ipſe Sanctus Doctor agit de auxiliis naturæ lapſæ conceſſis, quibus Sancti Dei operantur *inſeparabiliter, & indeclinabiliter*, non loquitur de ipſis auxiliis univerſim

Reſpondetur ad Auguſtini teſtimonia.

Non loquitur Divus Auguſtinus de ſtatu naturæ integræ ſed de Adamo particulariter in eo ſtatu.

ſim in tota ſua latitudine; hoc eſt, non procedit de omnibus auxiliis conceſſis, vel concedendis toti naturæ lapſæ, ac reparatæ, ſed de illis tantùm, quibus prædeſtinati perſeverant de facto: hoc eſt de illis tantùm, quæ ipſis prædeſtinatis conferuntur, non tantùm ut poſſint, ſed etiam ut certè, & infallibiliter operentur, ut videri eſt ex teſtimonio *num.* 5. ſuprà adducto. Quæ quidem auxilia, licèt ſint efficacia, non inducunt conſequenter nulla præter ea dari auxilia ſufficientia.

Quænam ſint ea auxilia, quibus juxta Auguſtinum ſancti operātur inſuperabiliter.

13 Ratio id demonſtrat; nam, ſicut in ſtatu naturæ integræ darentur auxilia efficacia, ut diximus *num.* 9. ita etiam in natura reparata reperientur auxilia, non ſolùm efficacia, quibus *perſeverantia ipſa donatur*, ſed inſuper ſufficientia, quibus poſſint perſeverare, ſi velint. Hoc planè conſtat ex Auguſtino *lib.* 1. *ad ſimplician. q.* 2. dicente: *Quanvis multi uno modo vocati ſunt, tamen quia non modo eodem omnes affecti ſunt, illi ſoli ſequuntur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei.* Quibus verbis ſignificantur alteri gratiam efficacem, ſeu congruam conſequentes, alteri non congruam, aut efficacem, illi nempe; qui ei capiendæ non reperiuntur idonei. Noſtra ratio tum ſuprà attacta, tum etiam *num.* 9. jam memorata, efficaciter poteſt confirmari: quia de facto primo hominum parenti data ſunt aliquot auxilia efficacia per aliquod tempus, ſaltem breve, ut judicat noſter Aguirre *Tom.* 3. *Theolog. Diſput.* 132. *ſect.* 7. *num.* 65. Et hujus fundamentum deſumitur ex eo quòd Adamus non peccaverit in primo inſtanti uſûs rationis, ſed aliquandiu poſt. Igitur omni ea temporis duratione, quâ primus homo innocentiam à Deo receptam conſervavit, procul dubio (inquit citatus Aguirre) Deum dilexit, alioſque virtutum actus elicuit; qui ſanè in re non extiterunt ſine auxilio, eo ipſo efficaci, & adjutorio, *quo* Deus præſtaret, & ipſe faceret ut vellet. Unde ſicut falſum eſt Adamum caruiſſe auxilio efficaci, ita eſt falſum reliquos ejuſdem poſteros ſufficientibus auxiliis carere; ac inde ſomniatam differentiam inter adjutoria naturæ integræ, & lapſæ penitus corruere.

Sicut Adamo ſunt data auxilia ſufficientia, & efficatia, ſic nunc ejus poſteris.

14 Si autem quæras quodnam diſcrimen reperiatur inter adjutorium Divinæ gratiæ, naturæ humanæ, integræ, & lapſæ neceſſarium? Reſpondeo nullum eſſe diſcrimen ex par-

te

te gratiæ; ſed tantùm ex parte ipſius naturæ integræ, & lapſæ. Facem præferat Divus Thom. 1. 2. *Quæſt.* 109. *art.* 2. *in corpore* ibi: *Natura hominis poteſt dupliciter conſiderari; uno modo in ſui integritate, ſicut fuit in primo parente ante peccatum; alio modo ſecundùm quod eſt corrupta in nobis poſt primi parentis peccatum. Secundùm autem utrumque ſtatum natura humana indiget auxilio Divino ad faciendum, vel volendum quodcunque bonum, ſicut primo movente, ut dictum eſt articulo* 1. *Sed in ſtatu naturæ integræ, quantum ad ſufficientiam operativæ virtutis, poterat homo per ſua naturalia velle; & operari bonum ſuæ naturæ proportionatum, quale eſt bonum virtutis adquiſitæ: non autem bonum ſuperexcedens, quale eſt bonum virtutis infuſæ; ſed in ſtatu naturæ corruptæ etiam deficit homo ab hoc, quod ſecundùm ſuam naturam poteſt, ut non poſſit totum hujuſmodi bonum implere per ſua naturalia. Quia tamen natura humana non eſt totaliter per peccatum corrupta, ut ſcilicet toto bono naturæ privetur; poteſt quidem etiam in ſtatu naturæ corruptæ per virtutem ſuæ naturæ aliquod bonum particulare agere; (ſicut ædificare domos, plantare vineas, & alia hujuſmodi) non tamen totum bonum ſibi connaturale ita, quòd in nullo deficiat, ſicut homo infirmus poteſt per ſe ipſum aliquem motum habere; non tamen poteſt perfectè moveri motu hominis ſani, niſi ſanetur auxilio medicinæ. Sic igitur virtute gratiæ, ſuperaddita virtuti naturæ, indiget homo in ſtatu naturæ integræ, quantum ad unum, ſcilicet ad operandum, & volendum bonum ſupernaturale. Sed in ſtatu naturæ corruptæ, quantum ad duo; ſcilicet ut ſanetur, & ulterius ut bonum ſupernaturalis virtutis operetur; quod eſt meritorium. Ulterius autem in utroque ſtatu indiget homo auxilio Divino, ut ab ipſo moveatur ad bene agendum.*

De vera differentia inter auxilia pro natura lapſa, & integra.

15 Ex his quatuor ſunt colligenda. *Primum.* Auxilium ſupernaturalis gratiæ requiſitum eſſe ad agendum bonum ſupernaturale, quod eſt infuſæ virtutis; & hoc tam in natura integra, quàm in natura lapſa. *Secundum.* Præter auxilium Divinæ gratiæ admittendum eſſe pro utroque ſtatu concurſum Divinum, quo cauſa prima in ſecundas influit. *Tertium.* Neque in ſtatu naturæ ſanæ, neque in ſtatu naturæ vulneratæ ullam dari indigentiam auxilij ſupernaturalis ad hoc, vel illud opus naturale agendum; per virtutem adquiſitam. In tribus his uterque ſtatus convenit. Nota tunc *quartum* quod colligitur pro diſconvenientia; hæc autem vel ſumitur per ordinem

Convenientia, & diſparitas auxilij Divinæ gratiæ in utroque ſtatu.

ad

ad naturalia, vel per ordinem ad ſupernaturalia. Per ordinem ad naturalia in hoc ſtat diverſitas: quòd in ſtatu naturæ integræ vigebat ſufficientia ad omne opus naturale, ipſi naturæ proportionatum, in ſtatu verò naturæ lapſæ deficit virtus, ut poſſit agere rectè per omnia ſua naturalia, quanvis non ad quodlibet, ſive ad ſingula. Per ordinem ad ſupernaturalia hæc reperitur differentia; quòd virtus gratiæ erat naturæ integræ neceſſaria tantummodo ad volendum, & operandum bonum ſupernaturale; naturæ autem lapſæ non ſolùm ad agendum, ſed inſuper ut ſanetur ipſa natura. Et nullum aliud eſt diſcrimen ex parte gratiæ inter auxilium pro natura integra, & auxilium pro lapſa natura, ut colligitur ex præcedenti doctrina Angelici Præceptoris, quæ quidem diverſitas potiùs verſatur inter naturam conſideratam pro hoc, & illo ſtatu, quàm inter auxilia Divinæ gratiæ pro utroque ſtatu.

SECTIO IV.

Aliæ objectiones ſolvuntur.

1 OBjicies primò illud ex ſacro Textu apud Divum Paulum 1. *ad Corinth. cap.* 12. *verſiculo* 3. *Nemo in Spiritu Dei loquens dicit anathema JESU. Et nemo poteſt dicere Dominus JESUS, niſi in Spiritu Sancto.* Ex quibus ſic fortaſſe argumentum conſtruetur. Nullus, qui Spiritum Dei habeat, dicit anathema JESU. Spiritus autem Dei eſt ejuſdem charitas, & gratia; dicitur enim ad *Rom. cap.* 5. *v.* 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum*: ergo in eo, qui Deum abnegat, ſive in eo, qui dicit anathema JESU, gratia Dei non eſt. Igitur, ut bene, infertur gratia Chriſti, illa eſt: cũqua nũquã illum abnegamus; ſive gratia efficax, cum qua nunquam male operamur: quia illi, qui verbis, aut factis Chriſtum ſe noſſe negant, dicunt anathema JESU; quia illum tanquam ſi eſſet anathema, negant, & fugiunt, ergo nulla gratiâ Dei ſuffulti ſunt; ſiquidem *nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema JESU*; ſinminus; ergo jam quis in Spiritu Dei loquens dicit anathema JESU, quod eſt contra Apoſtoli doctrinam. Neq; igitur iſta deſeratur, ſubſcribendum

In hac objectione fundata eſt nona propoſitio ex damnatis.

cribēdum erit nonæ ex damnatis propoſitioni; cujus hic tenor eſt. *Gratia Chriſti eſt gratia ſuprema; ſine quá confiteri Chriſtum nunquam poſſumus* (quod cohæret Apoſtoli verbis relatis ibi: *Nemo poteſt dicere Dominus JESUS, niſi in Spiritu Sancto.*) *Et cum quà nunquam illum abnegamus.*

2 Reſpondetur in argumento falſó colligi ex verbîs Apoſtoli id, quod nobis objicitur; & patet, ſi præjactus locus rectè ſemel exponatur. Eſt igitur ſenſus illîus; quòd dum aliquis dicit, & operatur anathema, ſive diviſionem, & ſeparationem à Chriſto JESU; ſive dũ execratur, & maledicit JESU; hic talis nõ ſequitur Spiritum Dei, nec per Spiritũ Sanctũ movetur; imò ab eo taliter loquēte, Spiritus Sanctus reſpuitur, deſpicitur enim illîus gratia, & vocatio ad unionem, & cõmunionem cum Chriſto. Et in hujus intelligētiæ confirmationem videri poteſt Div. Hilar. Tertullian. A Lapid. Hug. & communiter Doctores ſuper hunc locum. Unde Divus Thom. in 1. *ad Corint.* 13. *lect.* 1. inquit: *Nemo in Spiritu Dei loquens dicit anathema JESU, quia nullus per Spiritum Dei peccat mortaliter, quia, ut dicitur ſapient.* 1. *Spiritus Sanctus diſciplinæ effugiet fictum::: Dicendum eſt quòd quantum eſt ex Spiritu Dei, homo non facit peccatum, ſed magis à peccato retrahitur, poteſt tamen peccatum facere ex parte voluntatis humanæ, quæ Spiritui Sancto reſiſtit, ſecundùm illud Actorum; vos autem Spiritui Sancto reſiſtitis::: & ideo ſignanter Apoſtolus non dicit: Nemo Spiritum Dei habens, ſed nemo in Spiritu Dei loquens.*

Relatus locus Apoſtoli explicatur.

3 Non aliter exponenda ſunt ſequentia illa verba loci relati: *Et nemo poteſt dicere, Dominus JESUS, niſi in Spiritu Sancto.* Cujus doctrinæ ſenſus eſt quòd, ſicut anathema, & ſeparatio à Chriſto JESU per infidelitatem, aut ab ejus amore per peccatum, non provenit à gratiã Spiritûs Sancti, ita conjunctio cum Chriſto per gratiam, & cum ejuſdem Eccleſia per Fidem ut oportet, eſſe nequeat niſi ab Spiritu Sancto, vocante, & trahente per Fidem, & gratiam, juxta illud Joann. *cap.* 6 *v.* 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Unde Alapide ſuper hunc locum Apoſtoli inquit: *Dicere Dominum JESUM; ideſt agnoſcere, credere, invocare, & prædicare nomen Domini JESU, ejuſque Fidem profiteri, ſcilicet JESUM eſſe Dominum noſtrum, ut vertit Syrus, profiteri, inquam,*

&

& invocare ut oportet, & uti proficuum eſt ad ſalutem, hoc facere nemo poteſt, niſi per Spiritum Sanctum, fides enim, ſpes, & oratio ſunt dona Spiritûs Sancti.

4 Objicies ſecundò cum quodam Gallicano Authore libri illius, cui immerito titulus: *Defenſio Conſtitutionis Innocentij X.* Auxilium ſufficiens Divo Thomæ, & priſcis Theologis, ac Patribus fuit penitus incognitum, & à Recentioribus Thomiſtis noviter excogitatum ad ſalvandam tum poſſibilitatem mandatorum ſupernaturalium, tum peccatorum inexcuſabilitatem: ergo ſola gratia efficax eſt gratia Chriſti, illa autem gratis diviſio in ſufficientem,& efficacem prorſus rejicienda. Probatur antecedens *primò*: Quia illud eſt *ſufficiens* juxta communem definitionem, quod per ſe ſolum, & independenter ab alio quocunque ſufficit ad effectum aliquem. In Schola autem Thomiſtica, præter auxilium ſufficiens, adhuc opus eſt: quòd potentia per aliud auxilium, vel per præviam motionem, ſeu phyſicam prædeterminationem applicetur, & reducatur ad operandum. Probatur antecedens *ſecundò*: quia Divus Thomas duplex tantùm diſtinguit auxilium Divinæ gratiæ;quorũ unũ dicit *habituale donum*;alterum verò *auxilium Dei moventis*; quæ diviſio colligitur *ex* 1ª 2. *q.* 109. *art.* 2. 3.4.& alijs quæſtionis ejuſdem. Aſt auxiliũ ſufficiens neque eſt habituale donum;quia nõ infunditur per modum habitûs permanentis; ſed per modum tranſeuntis actûs neque item auxilium Dei moventis; non enim involvit aliquam Dei motionem; aliter eo ipſo eſſet auxilium efficax. *Tertiò* probat Author citatus idem antecedens congerendo varia ſacræ Scripturæ, & Patrum teſtimonia, quibus probari putat omnem potentiam ad agendum circa ſupernaturales actus dependere à gratià efficaci. Cùm tamen eadem teſtimonia ſuaviùs, & faciliùs poſſint, ac debeant intelligi de gratià ſufficienti.

5 Reſpondetur negando antecedens: dari enim auxiliumgratiæ ſufficientis colligit ab ipſo ſacro Textu Cardinalis Caetanus ex antiquioribus Thomiſtis, qui floruit anno Chriſti M. D. cùm enim præfatus Doctor ſuper Epiſtolas Pauli, exponeret illa Apoſtoli verba 1. *ad Corint.* 10. *Fidelis eſt Deus qui non patietur vos tentari ſuprà id,quod poteſtis,ſed faciet etiã*

Dari auxilium ſufficiens præter efficax auxilium apertè colligunt Thomiſtæ ex Præceptore Angelico, & Scripturis.

cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere; hæc addit: *Dixit Apoſtolus ut poſſitis ſufferre, & non dixit ut ſufferatis; ſat enim eſt fidelitati Divinæ, ut tribuat poſſe ſufferre; velle autem ſufferre, & ipſum ſufferre alterius gratiæ eſt, quæ electis confertur, & non eſt omnibus communis.* Præterea corruit antecedens ex Scripturis, concilijs, & Patribus, hucuſque citatis, & relatis toto hoc capite, inter quos apertiſſimè pro noſtra ſententia eſt Divus Auguſtinus, & Divus Thomas.

6 Miror autem Gallicum Authorem hanc gratiæ diviſioné modernis Thomiſtis attribuentem; cùm et ipſa per Galliarum Prælatos tradita, accepta, & commendata ſit: nam inter articulos á Prælatis Gallicanæ Eccleſiæ ſtatutos, & per Reverendiſſimum Dominum D. Gilbertum de Choiſeul, Epiſcopum Convenarum, Theologum præſtantiſſimum, ad Sanctiſſimum D. N. Alexandrum VII. tranſmiſſos, hic erat articuli ſecundi tenor: *Gratia interior duplex eſt alia efficax quæ ſemper producit illũ effectum, ad quem impellit voluntatem: alia inefficax, quæ voluntatem excitat ad effectum, quem non producit. Prior gratia ea eſt, quam ſimpliciter, propriè, & abſolutè efficacem Thomiſtæ vocant: huic reſiſti quidem ſemper poteſt, ut iidem docent: at nunquam ita reſiſtitur, ut effectu illo privetur, ad quem impellit voluntatem; quod aliis verbis ſic exprimunt, ut reſiſti poſſe dicant in ſenſu diviſo, non autem in ſenſu compoſito. Secunda autem eſt, quam tum excitantem, tum ineffieacem, tum ſufficientem, idem ſignificantibus verbis vocant; huic verò reſiſtit, ac renititur voluntas, eamque eo effectu privat, ad quem excitat, & ad quem poteſtatem largitur; ſuperiùs explicato Thomiſtarum ſenſu ſufficientem. Poteſt quidem illi voluntas conſentiri; nec tamen, ſi abſit gratia efficax, unquã cõſentit; nõ defectu ãtecedẽtis poteſtatis, ſed liberá ſui ipſius in oppoſitum determinatione. Sed quamvis illa gratia per ſe ſpectata effectu illo careat, ad quem tendit, ad quem voluntatem excitat, & ad quem per antecedentem Dei voluntatem deſtinatur; adeò que falſum ſit hoc ſenſu omnem Chriſti gratiam ſemper habere effectum, quem Deus vult, ſi tamen ſpectetur, ut cum abſoluta Dei voluntate conjuncta, merito hoc ſenſu efficax dici poteſt, quia ſemper id in corde hominis operatur, quod Deus abſoluta voluntate intendit. Certum eſt enim apud Thomiſtas auxilium ſufficiens reſpectu unius actûs ſemper eſſe efficax reſpectu alterius, ad quem efficiendum decreto abſoluto Divinæ voluntatis*

Articulus ſecundus inter alios ad Alexandrum VII. á Prælatis Galliarum tranſmiſſos, & ſtatutos.

deſti-

deſtinatur ; adeò que apud illos omnis gratia eſt efficax alicujus effectus, ejus nimirum, ad quem proximè ordinatur, & Deus abſolutâ voluntate intendit juxta illud Iſaiæ: Verbũ, quod procedit de patre meo, non revertetur ad me vacuum, ſed faciet, quæcunque volui.

7 Conſtat igitur efficacis, & ſufficientis gratiæ diſtinctionem non eſſe Thomiſtarum commentum, ſed Auguſtini, Aquinatis, & aliorum doctrinam, à quibus edocti ſunt Illuſtriſſimi Galliarum Antiſtites, antequam Janſenij dogmata merito ſepulta noviter extumulaſſent. Licèt autem ſuperiori Canone dicatur ab ipſis Galliarum Prælatis gratiam efficacẽ, & inefficacem ita à Thomiſtis explicari, non inde intelligendi ſunt, quaſi velint Thomiſtas hujus gratiæ diviſionis eſſe inventores ; ſed tantùm hujus Catholicæ veritatis defenſores, & propugnatores adverſùs Janſenianam hæreſim: Thomiſtas enim hic, tanquam ſingulares Anti-Janſeniſtas nominant.

8 Et præter teſtimonia ex Scriptura, Conciliis, & Patribus, queis ſunt refertæ præcedentes prima, & ſecunda Sectiones, in id tendentia, quòd auxilia ſufficientia negari non poſſint; ut pateat indubitanter, hanc veritatem Thomiſtis antiquiorem eſſe, mitto tanquam hujus loci proprium, Sanctos Patres ſemper agnoviſſe duplex auxilium Divinæ gratiæ: Unum, quod ſufficit; effectum verò non infert: alterum, quod effectum infallibiliter conſequitur. Unde Divus Auguſtinus de *Corrept. & Grat. cap.* 12. *Ipſa adjutoria diſtinguenda ſunt : aliud eſt enim adjutorium, ſine quo aliquid non fit; aliud adjutorium, quo aliquid fit.* Div. Chryſoſt. *Hom.* 46. *in Joan. cap.* 6. *Ut intelligas non cogere vocationem, multos vocatos perire continget.* Vocamur autem per gratiam: in his autem, qui vocati pereunt, gratia ſine effectu invenitur. Noſter Divus Damaſcenus *Lib.* 2. *Orthodoxæ Fidei cap. ultimo : In nobis eſt virtuti immanere, & ſequi Deum, nos ad illa vocantem, atque deſerere virtutem.* Igitur dum virtutem ſequimur, adeſt gratia efficax : cùm deſerimus, en gratia ſufficiens. Falſò ergo intendit præcitatus Author Thomiſtas id noviter excogitaſſe, quod à Sanctis Patribus fuiſſe traditum reperitur.

Apud SS. PP. communis eſt illa auxilij efficacis, & inefficacis diſtinctio.

9 His poſitis, ad primam antecedentis probationem *num.* 4. præmiſſam reſpondeo ; quòd in Schola Divi Thomæ illud dicitur auxilium ſufficiens, quod poſitum ex parte poten-

tiæ, illi præbet quidquid ſufficientiæ, & complementi requiritur ad poſſe, ſeu quidquid eſt requiſitum per modum actûs primi; licèt non tribuat id, quod requiritur per modum actûs ſecundi, actualitatis, & operationis exercitæ; hoc enim ad auxilium efficax pertinere dicitur, ut latè docent noſter Illuſtriſſimus Reding. & communiter Thomiſtæ. Vide Gonet. in *Manuali Thomiſt. Tract. de Grat. cap.* 10. Igitur auxilium ſufficiens, quod immeritò impugnant Adverſarii, omnem ſufficientiam confert requiſitam ex parte actûs primi; unde meritò ſufficiens judicetur.

In auxilio ſufficienti datur quidquid requiritur ex parte actûs primi, ſive ad poſſe.

10 Ad ſecundam ejuſdem antecedentis probationem reſpondeo auxilium ſufficiens includi ſub illa communi, & lata ratione auxilii Dei moventis; hoc enim rectè dividitur in auxilium movens efficaciter, & in auxilium movens tantummodò ſufficienter: utrumque enim conſiſtit in quadam motione ſupernaturali cum hac tantùm differentia; quòd auxilio, ſeu motioni efficaci nunquam reſiſtitur; unde *Eſther. cap.* 13. dicitur: *Non eſt, qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ, ſi decreveris ſalvare Iſrael.* Motioni autem, ſive auxilio ſufficienti ſemper reſiſtitur: unde *Actor.* 7. *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*: quapropter Divus Thom. *in* 1. *ad Theſſalon. cap.* 5. *lect.* 2. ſic inquit: *Quòd aliquis dicitur extinguere Spiritum Sanctum in ſe, vel in alio, cùm alius aliquid bono ex fervore Spiritûs Sancti vult facere; vel etiam, cùm aliquis bonus motus in ipſo ſurgit, & ipſe impedit.* Actor. 7. *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.* In his ſatis demonſtrat Doctor Angelicus dari aliquam gratiam, cui reſiſtitur; hæc autem efficax non eſt; quoties enim gratia efficaciam defert, effectum infert, aut ex intrinſeca efficacitate, aut ex præviſo conſenſu noſtro, quem connotat, juxta diverſos docendi modos. Unde Medina 1. 2. *quæſt.* 109. *art.* 1. *Scito, quòd Deus geminum donum ſuæ gratiæ conferre ſolet peccatoribus, alterum, quo poſſint reſipiſcere, & ſalvari; & hoc donum omnibus hominibus confert, de quo dicitur:* Ecce ſto ad oſtium, & pulſo. *Alterum eſt auxilium efficax, quo homo efficaciter convertitur, & ſalvatur; & hoc univerſis hominibus, qui pereunt, non confert, nam certè, ſi conferret auxilium efficax, converterentur, efficaci enim Dei motioni nemo reſiſtere poteſt.* Si autem apud Divum Thomam reperire deſiderant adjutorium gratiæ ſufficientis, per formalia verba

Tam auxilium efficax, quàm inefficax participant generalem rationem auxilii moventis.

(ut

(ut inquiunt,) id ipſum expreſſè invenient in 1. 2. *quæſt.* 106. *art.* 2. *ad* 2. *Si quis poſt acceptam gratiam novi Teſtamenti peccaverit, maiori pœnâ eſt dignus, tanquam maioribns beneficiis ingratus, & auxilio dato non utens, quia, quantum eſt ex ſe, lex nova ſufficiens auxilium dat ad non peccandum.* Notaſti nè verba illa *ſufficiens auxilium ad non peccandum?* Dari auxilium ſufficiens expreſſè docetur à Div. Thoma.

11 Objicies tertiò. Ob id admittit cōmunis doctrina Sanctæ Matris Eccleſiæ auxilium gratiæ ſufficientis, ut poſſit quiſque præcepta ſupernaturalia obſervare; aſt per ſolam gratiam efficacem poſſunt ſervari, & cuſtodiri ſupernaturalia præcepta: ergo præter hanc nulla eſt gratia ſufficiens. Minor, in qua tantùm poterit eſſe diſcordia, ex eo patet; quia, ut dictum manet, nullus abſque efficacis gratiæ adjumento ſervat ſupernaturalia præcepta. Pro ſolutione notanda eſt differentia inter actum primum, ſive potentiam antecedentem, & actum ſecundum, ſive potentiam conſequentem conjunctam infallibiliter cum actu ſecundo. Licèt autem auxilium gratiæ ſufficientis non ſit per ſe tantùm ſufficiens ex parte actûs ſecundi, & potentiæ conſequentis ad obſervationem præceptorum ſupernaturalium; eſt per ſe ſolum, ſufficiens ex parte actûs primi, & potentiæ antecedentis: confert enim ipſi potentiæ quidquid eſt neceſſarium ad poſſe, unde merito dicatur ſufficiens. Sic communis Thomiſtarum doctrina, cùm tamen id ipſum emergentibus difficultatibus non careat. Auxilium ſufficiens confert naturæ quidquid ſufficit ex parte actûs primi elevati ad obſervanda præcepta ſupernaturalia.

12 Objicies quartò: Quòd Divus Auguſtinus nullam aliam gratiam Chriſti agnoſcat, niſi efficacem: ergo ſufficientem gratiam omnino rejicit. Patet antecedens ex eodem Sancto Doctore *Lib. de Corrept. & Grat. cap.* 2. *Intelligenda eſt gratia Dei per JESUM Chriſtum Dominum noſtrum, quâ ſola homines liberantur à malo, & ſine quâ nullum prorſus, ſive cogitando, ſive volendo, & amando, ſive agendo faciunt bonum; non ſolùm ut, monſtrante ipſâ, quid faciendum ſit, ſciant; verùm etiam, ut præſtante ipſâ faciant cum dilectione, quod ſciunt.* Utrùm ex Doctrina Divi Auguſtini ſola gratia efficax, intelligenda ſit gratia per Chriſtum.

13 Sed contra. Non enim negari poteſt gratiæ ſufficientis auxilium hominibus præſtitum, ab ipſo Auguſtino non ſemel edoctum fuiſſe, ut patet ex dictis *ſect.* 1. *num.* 2. & 6. Reſpondendum igitur Auguſtini mentem loco ab adverſariis præjacto hanc eſſe: quòd nullus hominum liberetur à malo per

naturæ vires, ſed per ſolam JESU Chriſti Domini noſtri gratiam, ſine quà nullum bonum ſupernaturale fit, nec fieri poteſt. Quòd autem hic ſit Auguſtini ſenſus, patet: illius enim diſputatio, ac doctrina ſuprà memorata, dicta eſt adverſús Pelagium, qui aſſerebat nudum naturæ arbitrium, cum ſolà legis doctrinà præcepta monſtrante, abſque alià per Chriſtum gratia ſufficere ad opera ſupernaturalia, & meritoria.

SECTIO V.

An efficacitas Divinæ gratiæ creatam libertatem comprimat?

1 NE *fortè aliquid veneni relinquatur ſub melle*, (Petron. *lib.* 3.) diligenter examino ſequentes propoſitiones. X. *Gratia eſt operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.* XXI. *Gratia JESU Chriſti eſt gratia fortis, potens, ſuprema, invincibilis, &c.* Quæ in id ulteriùs tendunt, quòd auxilium efficacis gratiæ fortiter, & non ſuaviter à Deo diſpoſitum, creatam voluntatem omnino comprimat, ejuſdem libertate penitus ſubactà: unde dicitur *JESU Chriſti gratia invincibilis; & quam nihil impedire poteſt, aut retardare.* Quæ falſa doctrina, cùm libertatem creatam totaliter deſtruat, ſpecialiter adhuc poſtulat impugnari.

Specialiùs impugnantur propoſitiones 10. 21.

2 Dico igitur. JESU Chriſti Domini noſtri gratia (non tantùm ſufficiens, verùm etiam quantumcunque efficax) libertatem noſtram non deſtruit, ſed ſemper retardari, impediri, & vinci poteſt per arbitrium creatum; quod ſemper libertate gaudet in oppoſitum declinandi.

Efficacitas gratiæ non deprimit libertatem creatam.

3 Pro facilitate, & claritate doctrinæ præſcire oportet multiplicem inveniri apud Theologos libertatis acceptionem. Alia enim eſt libertas à ſervitute, alia à coactione, alia à neceſſitate. Primo ſenſu libertas opponitur ſervituti; & in hoc ſenſu illi homines, qui ſervi non ſunt, dicuntur liberi, & rectè, nam ſervitus aliquam inducit neceſſitatem parendi; & ſic paratur via ad proprium ſenſum loci illius ad *Roman.* 8. *Liberabitur à ſervitute corruptionis.* Similiter per translationem qui peccato ſerviunt, dicuntur non liberi: unde dicitur ab Apoſtolo ad *Roman.* 6. *Cùm ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ; nunc autem*

Libertas à ſervitute.

liberati

liberati à peccato. Quo ſenſu intelligitur Divus Auguſtinus de *civitate Dei lib.* 14. *cap.* 15. dum ait *primum parentem per peccatum, libertatem, quam concupivit, amiſiſſe*, quia ſcilicet factus eſt ſervus peccati.

4 Secundo ſenſu libertas opponitur coactioni. In hac acceptione, quidquid ſpontaneè agit, liberè dicitur agere, quanvis neceſſariò, ſive naturaliter agat; in quo ſenſu aves dicuntur volare liberè; & Spiritus Sanctus (ab Scoto *diſt.* 10. *q.* 1.) liberè dicitur procedere à Patre, & Filio; quatenus proceſſione non coactâ, ſed ſpontaneâ, & ſi neceſſariâ, & naturali, procedit. Hæc autem libertas, licèt non ſufficiat ad indifferentiam, ut eſt Catholicorum doctrina, eſt tamen ſufficiens ad voluntarium, non enim obeſt appetitui interno, ac voluntario, ſiquidem abſque ullo genere coactionis, aut violentiæ ſubſiſtit. Libertas à coactione.

5 Tertio tandem ſenſu libertas opponitur determinationi, & neceſſitati, potentiam ad unum tantùm determinanti, ſublatâ ad oppoſitum facultate. Sub iſtâ ſignificatione libertas denominari ſolet liberum arbitrium; conſiſtitque in quadam facultate voluntatis, & rationis, ad operandum cum indifferentiâ, & dominio actionis; ita quòd in poteſtate, & uſu voluntatis conſervetur indemne velle, aut nolle exercere, aut ſuſtinere actionem. Libertas à neceſſitate.

§. I.

Noſtra præcedens concluſio fit evidens, non tantùm ex Conciliis, & Patribus, verùm etiam ex Sacro Textu.

6 Patet ex Conciliis noſtræ concluſionis veritas: nam Tridentinum contra Lutherum, & Calvinum *ſeſſ.* 6. *cap.* 5. docet quòd *tangente Deo cor hominis per Spiritûs Sancti illuminationem: illam abjicere poteſt.* Et *Canon.* 4. ait: *ità ut tangente Deo cor hominis, poſſit diſſentire, ſi velit, & illam inſpirationem, & motionem abjicere.* Accedit Concilium Sen. *Decret.* 15. *Fidei*, ubi dicitur: *Nec denique tale ſit hujuſmodi trahentis Dei auxilium, cui reſiſti non poſſit.* Noſtra concluſio definita eſt in Conciliis, Tridentino, & Senouenſi. Divus Auguſt.

7 Ex Patribus etiam Catholica veritas ſatis oſtenditur. Auguſtinus enim *lib.* 1. *de libero Arbitr. cap.* 11. & *lib.* 3. *cap.* 1. oſten-

tendit naturam illam, quæ hominis mentem excellit, non *cogere*, id eſt, *neceſſitare* voluntatem hominis ad libidinem; non quia non habeat poteſtatem illam neceſſitandi; ſed quia juſta eſt; inferiorem autem naturam neceſſitare, Deo eſſet injuſtum. Et certé, ſi in arbitrio creato non eſſet libertas à neceſſitate, injuſté damnarentur peccatores, quatenus neceſſariò deliquerunt. Nec ſimiliter juſté mercedem aliquam reciperent ex eo quod neceſſitante gratiâ operati ſunt. Eandem doctrinam repetit *lib.* 3. *de libero Arbitr. cap.* 3. *Si enim neceſſe eſt, ut velit, unde volet, cùm voluntas non erit.* Et infra: *Voluntas igitur noſtra, nec voluntas eſſet, niſi eſſet in noſtrâ poteſtate; porrò quia eſt in noſtrâ poteſtate, liberum eſt nobis.* Et iterum: *Nec voluntas eſſe poterit, ſi in poteſtate non erit.* Ex quibus patet voluntatis naturam, & liberi arbitrii genium penitus deſtrui ab iis, qui per gratiam voluntati neceſſitatem judicant inferri. Auguſtinum ſequitur Divus Thomas, cujus teſtimonia vide *num.* 17. infrà.

Si non detur libertas à neceſſitate, homines injuſtè, acciperent à Deo præmia, aut pœnam.

8 Divus Chryſoſtomus *Hom.* 42. *ad populum*: *Noſtras non prævenit voluntates, nè noſtram terminet libertatem.* His verbis non negat Chryſoſtomus prævenientem gratiam abſolutè; gratiam enim prævenientem ſæpe in ejus doctrina reperimus; negat igitur Divinam gratiam ita prævenire noſtram voluntatem, quòd ejus deſtruat libertatem. Idem Sanctus Doctor *Hom.* 46. *in Joan.* 6: *Non vi, & neceſſitate quadam Deus bonos facere conſuevit, neque electio ejus violenta eſt; ſed ſuaſoria, ut enim intelligas non cogere vocationem, multos vocatos perire continget. Quamobrem conſtat in noſtro eſſe arbitrio, an ſalvemur, an perdamur.*

Div. Chryſoſt.

9 D. Hieronymus in *Epiſt. ad Demetriadem* ſic inquit: *Tuum eſt eligere, ſi volueris in agône, atque certamine coronari.* Aſt poſitâ efficaci gratiâ, quomodo poſſet bonum, aut malum eligi, ſi *gratiam nihil impedire, aut retardare poteſt*; aut ſi ipſa gratia eſt *invincibilis*, ut dicitur propoſitionibus *num.* 1. memoratis? Hieronymi doctrinæ accinit Divus Irenæus *Lib.* 4. *cap.* 17. *Vis à Deo non fit, ſed bona ſententia adeſt illi ſemper, & propter hoc conſilium quidem bonum dat omnibus; poſuit autem in homine poteſtatem electionis.*

Div. Hieron.

Div. Irenæus.

10 Accedunt noſtri Sancti Doctores Damaſcenus, & Anſelmus, quorum primus, *lib.* 2. *Orthodoxæ Fidei cap. ultimo* inquit: *In nobis eſt virtuti immanere, & ſequi Deum nos ad illa vocantem, at-*

Div. Damaſcenus.

que

que deſerere virtutem. Secundus autem in *Matth.*6.ſic inquit: *In Paulo videtur cogens voluntas Dei; ſed non eſt; quia licèt ſit percuſſus, tamen voluntate erat liberâ, ut reſiſteret, ſi vellet.* Quid clarius?

Div. Anſelmus

11 Dicent ex præjactis hoc tantummodo colligi, quòd poſitâ gratiâ efficaci, adhuc conſervetur in voluntate libertas à coactione, non autem à neceſſitate. Ex quâ ratione videtur dixiſſe Chryſoſtomum *num.*8. allegatum: *Neque ejus electio violenta eſt.* Eundem ſenſum fortaſſe ſecutus eſt Irenæus *num.* 9. citatus, dicens: *Vis à Deo non fit.* Sed contra: patet enim pluſquàm apertè, Concilia, & Patres non tantùm probare intendiſſe libertatem à coactione, ſed etiam à neceſſitate. Patet, quia Concilia procedunt contra Lutherum, & Calvinum, & alios ejus erroris anteceſſores, qui per gratiam efficacem libertatem à neceſſitate omninò deſtrui docebant; non autem negabant remanere adhuc libertatem à coactione, quia neque Stoici, neque Manichæi, aut ullus unquam hæreticorum, libertatem à coactione negare intenderunt; ut notat Ruardus Tapperius adverſus Calvinum *articul.*2.*pag.*237. Præterea Sanctorum Patrum doctrina procedit in defenſionem liberi arbitrii; non autem conſervatur liberum arbitrium noſtrum, ſi tollatur à neceſſitate libertas; unde Auguſtinus *num.* 7. citatus: *Voluntas igitur noſtra nec voluntas eſſet, niſi eſſet in noſtra poteſtate, porrò, quia eſt in noſtra poteſtate, liberum eſt nobis.*

Relata à P.P. intelligenda ſunt non de libertate à coactione ſed de libertate à neceſſitate.

12 Si autem dicas, ſufficere ad libertatem quòd actus à voluntate, & gratiâ efficaci elicitus immunis ſit à coactione, & violentia, incidis in errorem Michaelis Baij, cujus hæc erat 39. propoſitio inter cæteras ejuſdem Authoris, damnatas per Sanctum Pium V. Gregorium XIII. & Urbanum VIII. *Quod voluntariè fit, etiamſi neceſſitate fiat, liberè fit.*

Error Baij aſſerentis ad libertatem ſufficere, quòd actus ſit voluntarius.

13 Ex Sacra Scriptura conſtat etiam veritas noſtræ concluſionis; dicitur enim *Geneſ.* 4. *v.* 7. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Joſuè 24. *v.* 14. *Optio vobis datur, eligite hodie quod placet, cui ſervire potiſſimùm debeatis.* Eccleſiaſtici 15. *v.* 14. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui.* Ex his locis evidenter conſtat arbitrium hominis eſſe liberum ad utrumlibet ita, quòd in ejus dominio, & poteſtate ſit bonum, aut malum eligere. Si autem liberè dicant hanc poteſtatem, & indifferentiam tolli per gratiam, abſurdum

Sacræ Scripturæ teſtimonia probantia noſtrâ aſſertionẽ.

dum dicent, temerariè enim hoc grande malum gratiæ attribuunt. Neque id ex Sacra Scriptura colligi poteſt, imò contrarium habetur ex Sacro Textu; nam *Eccleſiaſtici* 31. *v.* 11. dicitur: *Beatus ille vir, qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit; ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino, &c.* Locus iſte intelligitur de viro auxilio efficacis gratiæ adjuto; nam abſque hujuſcemodi adjutorio neutiquam meritoriè operaretur, unde diceretur beatus: & tamen hic ipſe, dum non eſt tranſgreſſus, & dum malum non fecit, liber erat, ut tranſgrederetur, & ut faceret mala: ergo gratia efficax non tollit potentiam ad utrumlibet, ſive libertatem à neceſſitate? ergo gratia efficax non eſt invincibilis; nec talis, cui reſiſti non poſſit.

§. II.

Præcedens concluſio ſuadetur Theologicis rationibus.

Efficacitas gratiæ, non habet vim auferendi libertatem.

14 NEc deſunt rationes, queis noſtra reſolutio reddatur indubitabilis: harum prima ſit: quia nulla vis, aut efficacitas reperiri poteſt in gratia ſuprema, & congrua, quæ voluntati inferat neceſſitatem, vel auferat libertatem, & potentiam operandi in contrarium. Aut enim ea virtus, & efficacitas eſſet diſtincta ab ipſomet actu ſecundo, quem voluntas elicit; vel eſſet ipſemet actus voluntatis liberæ, ſecundùm aliquam rationem ſpectatus; atqui neutrum poteſt ſuſtineri: ergo neque eſt ſuſtinendum, quòd per gratiam congruam, ſeu efficacem, deſtruatur libertas. Probatur minor quoad primam partem. Quia illa virtus, & efficacitas, quæ ſit diſtincta ab actu ſecundo, hoc eſt, ab actu voluntatis, ineſſe debet voluntati per modum actûs primi, tum quia ſupponitur eam eſſe diſtinctam ab actu ſecundo, tum quia, cùm non fiat à voluntate, non poteſt eſſe actus ſecundus; atqui virtus, & efficacitas, quæ ſe habeat per modum actûs primi, non poteſt neceſſitare voluntatem ad actum ſecundum: ergo. Probatur hæc minor. Quia quod ponitur ex parte actûs primi, non minuit potentiam agendi, & non agendi, quæ ſolùm tollitur per actum ſecundum. Et confirmatur.

matur. Quia hac, & non ex alia ratione habitus infuſi quantumvis perfecti, non poſſunt neceſſitatem inferre voluntati circa objecta indifferentia, ſive non neceſſaria ſimpliciter: ergo idem dicendum de hac efficacitate, & virtute, poſita ex parte potentiæ per modum actûs primi. Probatur minor illa præcipue, quoad ſecundam partem. Quia in ipſo actu ſecundo voluntatis nulla ratio conſiderari poteſt, quæ à ſola gratia procedat, & non à voluntate: ergo ipſa ratio, virtus, & efficacitas nunquam eſt antecedens, ſed concomitans, quia fit (ſaltem ſimul) à voluntate: ergo ſemper ex hac parte eſt ſubjecta dominio voluntatis; quia ſemper eſt potens dare, vel non dare ſuum influxum.

15 Secunda ratio; quia, ſi gratia efficax deſtruit libertatem, omnem meriti rationem penitus evertit: ait enim Boetius *lib. de Interpretation.* Quòd *ſi omnia vel caſu, vel neceſſitate fierent, nec laus digna benefacientibus, nec ultio delinquentibus, nec leges ullæ eſſent juſtæ, quæ aut bonis præmia, aut malis reſtituerent pœnas.* Confirmatur hæc veritas communis: quia juxta illud *Geneſ.* 4. *v.* 7. cùm Deus Caino præmium pro meritis propoſuiſſet, ſtatim ejus libertatem à neceſſitate prædicavit, quaſi indicans nec præmium eſſe, nec meritum ſine libertate; locus igitur Geneſeos ita habet: *Nonné ſi bene egeris, recipies, ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit? Sed ſub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Unde Divus Thomas *quæſt.* 29. *de Gratia Chriſti art.* 6. *in corpore* inquit: *Per actum proprium quis mereri non poteſt, niſi ſit dominus ſui actûs; ſic enim ſuum actum quaſi pretium pro præmio dare poteſt. Et quæſt.* 6. *de Malo artic. unico* ſic habet: *Quidam poſuerunt, quòd voluntas hominis ex neceſſitate movetur ad aliquid eligendum; nec tamen ponebant, quòd voluntas cogeretur::: Hæc autem opinio eſt hæretica, tollit enim rationem meriti, & demeriti in humanis actibus; non enim videtur eſſe meritorium, vel demeritorium, quod aliquis ſic ex neceſſitate agit, quod vitare non poſſit. Eſt etiam annumeranda inter extraneas Philoſophiæ opiniones, quia non ſolùm contrariatur Fidei, ſed etiam ſubvertit omnia principia Philoſophiæ moralis. Aſt de hoc latiùs nobis eſt agendum cap. 9. ſect.* 1.

Si gratia deſtruit libertatē, neque ultio, neque laus ulla juſta eſt.

16 Tertia ratio; quia Deus per gratiam non eſt deſtructor voluntatis, & libertatis ejuſdem, imò potiùs per gratiam liber-

Deus non eſt per gratiā deſtructor, ſed cōſervator libertatis.

libertatem conſervat; ſed libertas non eſt, ſemel admiſſo quòd efficaci gratiæ reſiſti non poſſit: ergo nullatenus ſuſtinere licet propoſitionem illam, quæ tenet gratiam à nullo impediri, aut retardari poſſe, &c. Maior, in qua eſt tantùm difficultas, conſtat ex Divo Auguſtino *lib. de Corrept. & Grat. cap.*8. dicente: *Voluntas quippe humana non libertate conſequitur gratiam, ſed gratia libertatem, & inſuperabilem fortitudinem.* Hanc veritatem probat Divus Thomas quodam Angelico diſcurſu in 1. *p. q.* 19. *art.* 8. eundem repetit *q.* 22. *art.* 3. præſertim in reſponſione *ad primum*, & 3. *contra Gent. cap.* 94. *quæſt.* 6. *de Verit. art.*3. *ad* 3. Igitur ſic diſcurrit Divus Thomas. *Melius dicendum eſt, quòd hoc contingit propter efficaciam Divinæ voluntatis. Cùm enim aliqua cauſa efficax fuerit ad agendum, effectus conſequitur cauſam, non tantùm ſecundùm id, quod fit, ſed etiam ſecundùm modum fiendi, vel eſſendi. Ex debilitate enim virtutis activæ in ſemine, contingit, quòd filius naſcitur diſſimilis patri in accidentibus, quæ pertinent ad modum eſſendi. Cùm igitur voluntas Divina ſit efficaciſſima, non ſequitur ſolùm, quòd fiant ea, quæ Deus vult fieri, ſed quòd eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Vult autem quædam fieri Deus neceſſariò, quædam contingenter, ut ſit ordo in rebus ad complementum univerſi, & ideo quibuſdam effectibus aptavit cauſas neceſſarias, quæ deficere non poſſunt, ex quibus effectus de neceſſitate proveniunt; quibuſdam autem aptavit cauſas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingentes eveniant.* Id ipſum docet *Opuſculo* 3. *cap.*140. ubi ferè ſub eiſdem terminis inquit: *Ad efficaciam Divinæ voluntatis pertinet, ut non ſolùm fiat, quod Deus vult, ſed ut hoc modo fiat, quo illud fieri vult; vult autem quædam fieri neceſſariò, & quædam contingenter, quia utrumque requiritur ad complementum univerſi. Ut igitur res utroque modo provenirent, quibuſdam adaptat neceſſarias cauſas, quibuſdam verò contingentes.*

17 Colligendum eſt ergo ex Divi Thomæ doctrina res omnes evenire eo modo, quo Deus eas eſſe decernit. Ipſe autem ſtatuit, quòd gratia non ſolùm elevet voluntatem ad actus ſupernaturales infallibiliter, verùm etiam liberé; hoc eſt, conſervando ipſius voluntatis potentiam ad oppoſitum. Unde dicit idem Divus Thomas 4. *contra Gentes cap.* 70. *Bona Spiritûs Sancti, quantum eſt de ſe, habent virtutem, quòd hominem ſine peccato conſervare poſſunt; neque homo peccare poteſt, ſecundùm ea vi-*

vivens: poteſt autem contra ea agens, & ab eis diſcedendo peccare. Similiter 1. *parte quæſt. 62. art. 3. ad 2.* ſic inquit: *Modus autem naturalis intellectualis naturæ eſt, ut liberè feratur in ea, quæ vult, & ideò inclinatio gratiæ non imponit neceſſitatem; ſed habens gratiam, poteſt ea non uti, & peccare.* Item 1. 2. *quæſt. 106. art. 2. ad 2. Dicendum, quòd gratia novi Teſtamenti, & ſi adjuvet hominem ad non peccandum, non tamen ita confirmat in bono, ut peccare non poſſit.*

SECTIO VI.

Proponitur, & refellitur præcipuum adverſariorum fundamentum.

1 DEus per auxilium efficax Divinæ gratiæ in voluntatem creatam determinat ad bonum, ut ad malum declinare non poſſit: ergo auxilium efficax libertatem creatam omnino tollit. Probatur antecedens. Quia auxilium efficax ſecum defert prædeterminationem phyſicam voluntatis ad conſenſum; quæ phyſica prædeterminatio conſiſtit in quadam cauſalitate, vel formali, vel effectiva, indifferentiam voluntatis ita coarctante; (inquit Suar. *lib. 3. de Auxiliis cap. 7. num. 1.*) ut ſub illa determinatione exiſtens, & in ſenſu compoſito, non poſſit non conſentire in illum actum, ad quem prædeterminatur: ergo per illud auxilium non manet voluntas libera.

An phyſica prædeterminatio tollat libertatem?

2 Confirmatur. Quia talis prædeterminatio eſt antecedens uſum etiam conditionalem arbitrii creati, ut cum Thomiſtis docet noſter Reding. in ſua Theologia Scholaſtica *tom. 1. q. 5. art. 5. Controv. 6. num. 5.* Ubi oſtendit hanc eſſe mentem Divi Auguſtini, & Divi Thomæ, idem docet, ac demonſtrat *quæſt. 6. art. 5.* aſt prædeterminatio voluntatis ad unum, ſi eſt antecedens, ejus indifferentiam, ac libertatem tollit neceſſariò. Imò antecedens prædeterminatio ſemel admiſſa Catholicos Auguſtinianos cum hæreticis Calviniſtis certè confundit; nam, ut opponit noſter Petrus à S. Joſeph Monachus Fulienſis in ſua ſuavi Concordia *diſp. 2. ſect. 7. num. 1.* Phyſicæ prædeterminationis aſſertores fateri tenentur, ſe convenire cum Calviniſtis in principio illo, quod contendunt eſſe Auguſtinianum, & Catholicum; nempe Deum, ſuo æterno,

An omnis antecedens prædeterminatio voluntatis ejus indifferentiam deſtruat?

An Catholicæ prædeterminationis aſſertores cum Calviniſtis conveniant?

no, abſoluto, & efficaci decreto antecedenter ad omnem præſcientiam futuræ cooperationis noſtri arbitrij prædeterminaſſe omnes actus, qui à nobis eliciuntur; & in tempore movere motione efficaci voluntatem noſtram, ut eos actus eliciat, quos ſuo æterno conſilio ſtatuit, ut fierent; ita ſcilicet, ut poſitâ ejuſmodi motione, neceſſe ſit voluntatem operari.

Præcedens argumentum nō urget in opinione Molinæ.

3. Ad argumentum reſpondeo negando antecedens; & ad probationem ipſius, & confirmationem ejuſdem reſponderi poteſt primò negando antecedens; non enim eſt valdé certum Deum phyſicé prædeterminare actus liberos voluntatis certæ, ut tenet receptiſſima opinio Moliniſtarum. Huic ſententiæ inhærendo, auxilium efficax Divinæ gratiæ nullam præſupponit antecedentem prædeterminationem, ſed ſubſequentem actum liberum, per ſcientiam mediam prævisum. Hoc fortaſſe Auguſtino arriſit, inquit enim ad *Simplician. lib. 1. q. 2. Nullius Deus fruſtra miſeretur, ſic enim eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat.*

Prædeterminatio antecedens ad operandum liberè non tollit libertatem, imò perficit.

4. Attamen, quia has duas Thomiſtarum, & Moliniſtarum ſententias extremé oppoſitas, poſtea ad examen vocabimus, utramque conciliaturi; admiſſis prædeterminationibus phyſicis, nego eaſdem libertatem deprimere, aut extorquere conſenſum; ratio eſt: quia Deus nullum actum liberum prædeterminat, ut neceſſariò fiat, ſed ut liberè eliciatur: ergo ipſa prædeterminatio potiùs inſerviret libertati, quàm neceſſitati. Unde Divus Anſelmus *in lib. de Concordia præſcientiæ Dei cum lib. arbitr.* ita diſſerit: *Quoniam quod Deus vult, non poteſt non eſſe; cùm vult hominis voluntatem nullâ cogi, vel prohiberi neceſſitate ad volendum; & vult effectum ſequi voluntatem, hinc neceſſe eſt voluntatem eſſe liberam, & eſſe, quod vult.* Anſelmum ſequutus eſt Divus Thomas *q. 6. de Verit. art. 3. ad 3.* ſic inquiens: *Deus agit in voluntate, non per modum neceſſitatis, quia voluntatem non cogit, ſed movet eam, non auferendo modum ſuum, qui in libertate ad utrumlibet conſiſtit. Et ideo, quamvis Divinæ voluntati nihil reſiſtat, tamen voluntas, & quælibet alia res exequitur voluntatem Divinam, ſecundùm modum ſuum: quia & ipſum modum Divina voluntas rebus dedit, ut ſic ejus voluntas impleretur: & ideo, quædam implent neceſſariò, quædam contingenter, licèt illud, quod Deus vult, ſemper fiat.*

Præ-

5 Præjactum argumentum (teſte Illuſtriſſimo, ac doctiſſimo viro Hyacintho Libelli Ordinis Prædicatorum, primùm ſacri Palatii Magiſtro, poſtea Avenionenſi Archiepiſcopo, quem noſter Eximius Caramuelius ſummis laudibus effert) à Simone Mago, Hæreticorum omnium Primate, fuit excogitatum, & à Divo Petro Apoſtolorum Principe, ſupradata reſponſione ſolutum. Refert enim memoratus Libelli in opuſculo de Origine doctrinæ Divi Thomæ circa concordiam Divinæ gratiæ, & decretorum Divinorum cum libertate noſtra, quod ſequitur, ex dicto opuſculo deſumptum.

6 „Primus, qui Eccleſiam Dei antequam adoleſceret, „præfocare tentavit, fuit Simon Magus, ſeductor inſignis, „qui incredibilem habuit apud ſuos Samaritas exiſtimatio- „nem, adeò, ut eum omnes *virtutem Dei magnam* appellarint; „& niſi hujus irruentis mali principio Deus obſtitiſſet, peri- „culum fuiſſet, nè adhuc in cunis vagiens Eccleſia compri- „meretur. Multa crepuit de ſe, quæ potiùs portenta, quàm „opiniones appellari debent; ſed (quemadmodum antiqui „Scriptores nobis reliquerunt) arbitrii creati libertatem po- „tiſſimùm tentavit evertere, ut concuſſo libero arbitrio, quod „eſt Chriſtianæ Religionis fundamentum; ædificium, quod „Apoſtoli ſua doctrinâ parabant extruere, prorſus impedi- „ret. Et quoniam vir erat callidiſſimus, & ſycophanta vafer- „rimus, jam jam plurimos ad ſui ſequelam traxiſſet, quos „veluti nepotes, Satanæ genitori, cujus eum primogenitum, „Ignatius Martyr Epiſcopus, ad Trallianos appellavit, ge- „neraſſet, niſi Deus opportunè occurriſſet. Ipſi enim turbas „Cæſareæ ſeducenti occurrit Sanctus Petrus Apoſtolorum „Princeps, qui ipſum veluti apoſtatam, & deſertorem acri- „bus verbis redarguit; defectionem increpavit, ſubdoloſæ „doctrinæ technas detexit, diſputando Sophiſmata reſolvit, „atque invictis argumentis pervicaciam confodit.

Simon Magus præjacto illo argumento libertatem arbitrij creati tentavit evertere.

Reſiſtit ei Div. Petrus, qui argumentationē ſolvit.

7 „Inter capita, de quibus diſputarunt Sanctus Petrus, & „Simon Magus, unum fuit de libertate arbitrii creati, contra „quam argumentabatur Simon iiſdem prorſus argumentis, „quibus urgent nos (*intellige Thomiſtas*) adverſarii noſtri, & qui- „bus ſolent impugnari noſtra decreta prævenientia, & præde- „finientia noſtra auxilia efficacia, noſtra præſcientia indepēdēs à

„veritate objectiva,& futuritione; cui SãctusPetrus poſt Chriſ-
„ tum primus Eccleſiæ Miniſter iiſdem prorſus modis reſpon-
„ dit,quibus nos reſpondere ſolemus;adeò,ut,me quidẽ judice,
„ nec tantillum noſtræ reſponſiones à reſponſionibus Divi
„ Petri diſſentiant. Sed unde nam hæc acceperim,tenete. Ex-
„ tant libri Recognitionum Sancti Clementis Romani, viri
„ domi ſuæ nobilis,ut qui ex Cæſarũ familia originem traxerit
„ qui Divo Petro ſucceſſit, & quem narrant à Petro vivente,
„ ad Apoſtolatûs apicem vocatum, nimirum ut, eo defuncto,
„ Romanam Eccleſiam gubernaret. Hunc libros prædictos
„ ſcripſiſſe tradunt omnes,qui res antiquas curioſè ſcrutantur.

8 „ Inter alia, quæ *lib. 3. paulò poſt principium* narrantur,
„ una diſputatio eſt inita Cæſareæ, inter Simonem Magum,&
„ Petrum Apoſtolum, ubi multa divinè Divus Petrus de ma-
„ lo, de felicitate, de ſtudiis hujus vitæ diſſeruit. Sed de libero
„ arbitrio inquirente, & contradicente Mago, Divus Petrus ea
„ reſpondit, & reſolvit, quæ modò nos ipſi reſpondemus, &
„ quæ Sanctus Thomas nobis dictavit, ut reſponderemus.
„ Quod,ut quàm verum ſit, cognoſcatis, placet hîc diſputatio-
„ nem quoad ea, quæ rei noſtræ inſerviunt, tranſcribere.

9 „ Dicebat Simon quòd unuſquiſque ſicuti ei fato de-
„ cernitur vel ſapit aliquid, vel intelligit, vel rapitur, & pati-
„ tur,& in nullâ rê hominem eſſe ſui arbitrij. At contrà Sanc-
„ tus Petrus argumentatus eſt, neceſſe eſſe hominem eſſe ſui
„ arbitrii, aliter convulſa eſſe omnia, fruſtra ſtudium ſectandi
„ meliora; fruſtra Principibus hujus Mundi legibus præeſſe,
„ fruſtra punire, vana jura populorum, miſeros eſſe eos, qui
„ ſervant cum labore juſtitiam; beatos verò illos, qui in deli-
„ ciis poſiti, cum luxuriâ, & ſcelere viventes tyrannidem te-
„ nent. Quibus Simon minimè acquieſcens, & ultimum ex-
„ perimentum doctrinæ Divi Petri facere volens, inſtitit in-
„ terrogans: Si quod Deus vult eſſe,eſt,& quod Deus vult non
„ eſſe, non eſt? Quaſi diceret: Si hoc mihi concedas, jam fate-
„ beris, nihil à nobis liberè agi; quippe quod Deus vult eſſe,
„ neceſſariò eſt. Quæ objectio tam valida Simoni videbatur,
„ ut confidens Petrum non reſponſurum, ſe obtemperaturum
„ ſpoponderit, ſi illi Divus Petrus reſpõdiſſet. Quod argumẽtũ
„ illud eſt, quod Adverſarii noſtri inſolubile exiſtimant, & cui

Sanctus

„ Sanctus Thomas imperturbabili, ac eodem ſemper tenore „ verborum reſpondet, cui Thomiſtæ ſumma animorum „ concordiâ,& antiquis temporibus ſatisfecerunt,& hodie,quo „ tempore moleſtiùs perurgentur, ſatisfaciunt.

10 „ Videamus quæ oracula fuderit Petrus, & attenté „ proprietatem, atque magnificentiam doctrinæ perpendite. „ Dicit omnium, quæ moventur, quædam neceſſariò moveri, „ quædam voluntarié, & liberé moveri; ſolent motus neceſſi- „ tate duci, ut ſtatutum compleant curſum, hominem verò „ actus ſuos liberos,ac voluntarié elicere.Jam ergo inquit:(hæc „ ſunt verba Divi Petri) Ignoras, Simon, & valde ignoras „ quomodo in ſingulis quiſque, voluntas Dei fiat. Quædam „ enim voluit, ut diximus, ita eſſe, ut aliud eſſe non poſſent, „ quàm id quod ab initio inſtituta ſunt, & his neque præmia, „ neque ſupplicia ſtatuit.Ea verò, quæ ita eſſe voluit, ut in ſua „ poteſtate habeant agere, quod velint, his pro actibus, ac vo- „ luntatibus ſuis ſtatuit, ut aut remunerationes mereantur, „ aut pœnas. Cùm ergo in duas, ut docui, partes dividantur „ cuncta,quæ moventur, ſecundùm eam,quam ſuprà diximus, „ diſtinctionem, omne, quod Deus vult, eſt; quod autem non „ vult, non eſt.

11 Habeant igitur Adverſarii ex doctrinâ infallibili Sancti Petri Apoſtoli,quod præmiſimus *num.*4.ſcilicet prædeterminationes phyſicas libertatem non lædere, nam Deus nullum actum prædeterminat noſtri liberi arbitrii, ut neceſſariò fiat, ſed ut liberè eliciatur. Aſt dicent cum Suario in *opus lib.* 1. *c.* 13. *num.*6.7.& aliis Scientiæ Mediæ defenſoribus non poſſe intelligi, imò implicare, quòd Deus actum prædeterminet, & ſimul velit eundem actum eſſe liberum à neceſſitate. Videtur enim, idem eſſe voluntatem prædeterminare, ac illam neceſſitare. Sed, ſi ingenué dicam,quod ſentio, ſatis eſſet Theologis Chriſtianis ſcire,quod *in ditione Dei cuncta ſunt poſita*, ut dicitur *Eſther cap.* 13. Et quòd *non eſt, qui poſſit Dei reſiſtere voluntati*; ibidem: Et quòd *Dominus omnium Deus eſt, nec eſt qui reſiſtat Maieſtati ejus*; ibidem. Unde Apoſtolus *ad Roman.*9.*Voluntati ejus quis reſiſtit*; quæ omnia intelliguntur de voluntate efficaci. Et præterea ſatis eſſet agnoviſſe hanc ſupremam Dei dominationem noſtram libertatem non excludere: inquit enim

Scriptura Sacra *Eccleſiaſt.* 15. *n.* 14. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui.* Et *Proverb.* 18. *v.* 21. *Mors, & vita in manu linguæ.* Scire autem, quomodo ſuaviter ſtare, & compati poſſint Divinum decretum, & dominium, cum libertate noſtra, hoc ipſum Dei judicio reſervetur. Inquit enim *Eccleſiaſticus cap.* 18. *à num.* 2. *Quis ſufficit enarrare opera illius? Quis enim inveſtigabit magnalia ejus? Virtutem autem magnitudinis ejus quis enuntiabit? aut quis adjiciet enarrare miſericordiam ejus?* Nunquid novit aliquis Animæ vivificantis inductionem in embryone, ſordidam illam, & mortuam materiam? Eſt nè qui perfectè, & plenè attingat, qualiter oſſa in utero matris carnali cortice induantur? Minimè: quid ergo mirum, ſi Dei decreta (æquè, & ſecreta) nullus percalleat; præcipuè cùm tam *incomprehenſibilia ſint judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus?* Ad *Roman.* 11. Unde præclarè ad noſtrum inſtitutum, dicitur *Eccleſiaſtes* 11. *n.* 5. *Quomodo ignoras, quæ ſit via Spiritûs, & quâ ratione compinguntur oſſa in ventre prægnantis; ſic neſcis opera Dei, qui fabricator eſt omnium.* In tractatu de Voluntate Dei circa quæſtionem illam ſatis celebrem: Quid ſit voluntas Dei libera? Invenio Suares ſtatuentem nodum hunc quoddã eſſe noſtræ Religionis myſterium, quod in hac vita cognoſci non poteſt. Igitur ſatis ſit, quòd nodum inter decretum Dei, & libertatem noſtram agnoſcamus in Cælis.

Quæſtio difficillima, & quæ in hac vitâ cognoſci non poteſt.

12 Hanc Suarii inſtantiam facillimè ſolvo juxta mea principia, alibi tradita. Aſt, quia pro nunc Thomiſtam ago, phyſicas prædeterminationes juxta eorundem doctrinam defendens, reſpondeo non aliter, quàm noſtri Reding citati reſponſionem proferens his verbis: „Libertas radicaliter conſiſtit in indifferentiâ judicii, ſeu objecti per intellectum voluntati propoſiti. In motu enim cujuſlibet potentiæ conſideranda eſt ratio, per quam potentia movetur ab objecto. At voluntas fertur in ſuum objectum ſub ratione boni. Si ergo voluntati poſſit proponi objectum, quod ſecundùm unam conſiderationem eſt bonum, ſub aliâ verò ratione deficit à bonitate, conſequens eſt voluntatem non neceſſariò ferri in tale objectum, ex Sancto Thom. 1. 2. *q.* 10. *art.* 2. Ex hoc ipſo igitur ineſt voluntati vis electiva, quòd ejus objectum ſit cum indifferentia boni, & mali per intellectum repræſentabile.

Quomodo reſpondeant Thomiſtæ ad inſtãtiam P. Suar.

„ bile. In hac autem vi electivâ eſt quædam dominativa fa-
„ cultas agendi pro libito ita, ut poſitis omnibus ad agendum
„ neceſſariis, voluntas poſſit agere, vel non agere. In iſta verò
„ operandi, vel non operandi facultate conſiſtit formaliter li-
„ bertas. Si ergo prædeſtinatio ſcientiam conditionatam an-
„ tecedens, ſeu phyſica prædeterminatio voluntatem relinquat
„ cum indifferentiâ, tum objectivâ judicii, tum activâ facul-
„ tatis electivæ, ac dominativæ, tunc illa derogat libertati. At ex
„ hoc ipſo, quòd Deus bona opera noſtra prædeſtinans, ea non
„ faciat voluntatem cogendo, aut voluntati reſiſtendo, ſed di-
„ mittēdo in ſuâ poteſtate, imò conferat virtutē ea agendi cum
„ libertate dominativæ facultatis ad utrum libet, neceſſe eſt
„ hominem non niſi liberé agere. Qui autem faciliûs velit hunc nodum, & alios huic ſimiles nullo negotio ſolvere, noſtram non contemnat opinionem in Dædalo Theologico, ubi infringuntur tela adverſùs hanc Sanctæ Matris Eccleſiæ doctrinam de libertate voluntatis creatæ.

SECTIO VII.

Reſpondetur allis argumentis.

1 Argumentum primum. Gratia Dei efficax infuſa in cor hominis neceſſariò præſupponit voluntatem efficacem illius operis, ad cujus executionem infunditur gratia; ſed voluntati Dei efficaci nemo poteſt reſiſtere: ergo neque gratiæ efficaci. Probatur maior; quia gratia efficax ſemper exequitur finem ſuum, quod quidem nequit eſſe abſque voluntate Dei efficaci; dicitur enim *Pſalm.* 113. *n.* 3. *Deus autem noſter in cælo omnia, quæcunque voluit, fecit. Et Pſalm.* 134 *n.6. omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in cælo, in terra, in mari, & in omnibus abyſſis.* Minor, in quâ ſita eſt tota difficultas, contas, ex ſacro Textu variis in locis; nam *Geneſ. cap.* 50. *n.* 19. dicitur: *Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?* Similiter *Eſther cap.* 13. *Domine Rex omnipotens, in ditione tuâ cuncta ſunt poſita, & non eſt, qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ.* Item *Job cap.* 23. *n.* 13. *Nemo avertere poteſt cogitationem ejus.*

Infuſionem gratiæ efficacis præcedit volūtas efficax Dei; cui nemiuem poſſe reſiſtere, objicitur.

2 Sed cōtra: quòd hæc Sacræ Scripturæ teſtimonia adducta in

bationem minoris argumenti præjacti, intelligentiam, & interpretationem longé aliam poſtulant; apertiſſimum enim eſt in ſacris litteris hominem eſſe ad operandum liberum, neque à Deo neceſſitari: unde *Num cap.*30.*n.*19. *Teſtes invoco hodie Cælum, & terram, quod propoſuerim vobis vitam, & mortem, benedictionem, & maledictionem. Elige ergo vitam, ut vivas.* Joſue 24.13. *Sin autem malum vobis videtur, ut Domino ſerviatis, optio vobis datur, eligite hodie, quòd placet cui ſervire potiſſimùm debeatis.* Ex lib.2.Reg. 24.12. *Trium tibi datur optio; elige unum, quod volueris ex his, ut faciam tibi.* Nec minus in novo Teſtamento, dicitur enim *Matth.* 19.17. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Item *Matth.* 23. 37. *Quoties volui congregare filios tuos, ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti:* Et *Apoc.*3.29. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo; ſi quis aperuerit mihi januam; intrabo ad illum.* Ecce præmiſſa teſtimonia ſatis clarè probant hominem habere libertatem faciendi, & non faciendi; eligendi vitam, aut mortem; obediendi, aut reſiſtendi Deo vocanti.

Verus, & proprius ſenſus ſacræ Scripturæ in teſtimoniis præjactis ad probationē minoris illîus argumēti num.1.

3 Reſpondendum igitur argumento, negando minorem: ad teſtimonia Sacri Textûs, ad ejuſdem minoris probationem oblata, dicendum: ea eſſe intelligenda per maximam exaggerationem, qua infallibilitas efficacis voluntatis Dei commendatur. Explicatur igitur illa Dei efficacitas per noſtrum infallibilem conſenſum, quaſi per impotentiam ad reſiſtendum. Sicut alibi circa cognitionem illam, (nobis inſcrutabilem) quam Deus habet de futuris conditionatis, liberis, quæ ab hominis libertate pendent, indicat Sacra Scriptura, aliqualem incertitudinem, & formidinem in Scientia Divina, non quia Deus ea futura non cognoſcat certò, & evidenter, ſed ut per eum dicendi modum plus commendetur humana libertas. Appono exempla *Geneſeos* 3. de Adamo ſic loquitur Deus: Nunc ergo, nè forté mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum. Ubi ly *fortè* denotat Deum non eſſe omnino certum; an Adamus, ſi manſerit in Paradyſo, ſumat de ligno vitæ. Item *Deuteronom.* 4. dicitur eodem ferè modo: *Cuſtodite igitur ſolicitè animas veſtras, nè fortè decepti faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem.* Ubi particula *fortè* eandem incertitudinem videtur inſinuare. Aſt certum eſt illum dicendi modum, incertitudinem in Scien-

tia

tia Divina non probare, ſed tantùm noſtram libertatem demonſtare; unde Divus Hieronymus in *cap. 26. Jerem. Verbum ambiguum forſitan, Maieſtati Domini non poteſt convenire; ſed noſtro loquitur affectu, ut liberum hominis ſervetur arbitrium.* Sic ſimiliter, cùm dicitur neminem poſſe reſiſtere voluntati Dei, neceſſitas non poteſt convenire noſtro libero arbitrio, in ſacris literis multoties commendato; ſed proceditur per conſiderationem ad Divinam voluntatem efficacem, quæ ſemper impletur.

4 Poterit aliter reſponderi, idcirco dici, quòd voluntati Dei nemo poſſit reſiſtere; quia plerumque cenſetur impoſſibile, quidquid judicatur arduum, neceſſarium, quidquid eſt difficile. Unde Divus Anſelmus in *Dialogo de libero Arbitr. cap. 5. & 6.* ſic inquit: *Eſt & alia ratio, quam frequens habet uſus, cur invitus, & nolens, ex neceſſitate dicitur aliquis facere, quod tamen volens facit; nam quod non niſi difficilè facere volumus, & ideo non facimus, dicimus hoc nos facere non poſſe.* Nil commodius ad confirmandam hanc ſecundam ſolutionem noſtram. Idem noſter Anſelmus *Lib. de Concord. gratiæ, & liberi arbitr. quæſt. 3. cap. 10.* ait: *Ut nitentes non proficiant, aut poſt profectum deficiant, non impoſſibilitate; ſed aliquando gravi, aliquando facilè ſuperabili difficultate, fieri exiſtimo. Sæpiſſimè namque aſſerere ſolemus impoſſibile nobis eſſe, quod ſine difficultate perficere non valemus.* Utraque reſpondendi ſemita in eandem viam quaſi tendunt. Et hic mihi videtur clarior, & verior nodum hunc ſolvendi modus.

Alter reſpondendi modus.

5 Hinc patet, qualiter exponendus ſit Divus Auguſtinus *lib. de Corept. & Grat. cap. 14.* inquiens: *Non eſt itaque dubitandum voluntati Dei, quæ in Cælo, & in terra, omnia quæcunque voluit fecit, humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quo minus faciat ipſe, quod vult.* Hinc enim ſolùm colligitur ex Sancto Doctore, voluntatem Dei infallibiliter eſſe complendam, illique non eſſe reſiſtendum arbitrio creato, unde ibidem inquit Sanctus Auguſtinus: *Deo volenti ſalvum facere, nullum hominis reſiſtit arbitrium. Sic enim velle, & nolle in volentis aut nolentis eſt poteſtate, ut Divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem.* Quibus verbis clariſſimè conſtat Auguſtini mentem in id collimare, ut voluntas efficax Dei ſemper finem exequatur, & liberum arbitrium ſervetur indemne.

Non alio ſenſu intelligendus eſt Divus Auguſtinus.

Ar-

Contendit hoc argumentum gratiam impedire virtutem agendi.

6 Argumentum ſecundum. Humana corda per Divinam gratiam, non ſolùm reguntur à Deo, verùm etiam aguntur ab ipſo, ipſis mere paſſivè ſe habentibus; ſed ad libertatem neceſſariò requiritur virtus activa, ut diximus *cap.* 4. *ſect.* 2. *n.*12. ergo Divina gratia penitus libertatem deſtruit. Probatur maior ex illo Apoſtoli ad *Roman.* 8. *Quicunque Spiritu Dei aguntur, hi ſunt Filii Dei.* Et confirmatur ex Divo Auguſtino *lib. de geſtis Pelagij* contra adverſarios gratiæ Domini noſtri JESU Chriſti *cap.* 3. *Procul dubio plus eſt agi, quàm regi; qui enim regitur, aliquid agit, & à Deo regitur, ut aliquid agat rectè. Qui autem agitur, agere aliquid ipſe vix intelligitur. Et tamen, tantum præſtat voluntatibus noſtris gratia Salvatoris, ut non dubitet Apoſtolus dicere: Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi ſunt Filij Dei.* Sed contra: quia ipſe Auguſtinus *Serm.* 13. *de verbis Apoſt.* Inquit: *Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi Filii Dei ſunt. Dicet mihi aliquis: ergo agimur, non agimus. Reſpondeo; imò & agis, & ageris, & tunc bene agis, ſi à bono agaris. Spiritus enim Dei, qui te agit, agentibus adjutor eſt; ipſum nomen adjutorii, præſcribit tibi, quia & tu ipſe aliquid agis. Nemo adjuvatur, ſi ab illo nihil agatur, quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi ſunt Filii Dei, non literâ, ſed Spiritu, non lege præcipiente, minante, promittente, ſed Spiritu exhortante, illuminante, adjuvante.* Igitur ad argumentũ nego maiorem tam rigidè, & ſeveré probatam, ut tantam inducat diverſitatem inter *regi*, & *agi*: nam juxta Auguſtinum, quaſi idem ſunt, per Spiritum Dei *regi*, & *agi*. Inquit enim Sanctus Doctor loco ſuprà citato, aſt prope finem: *Quæ cùm ita ſint, Filij Dei, qui hoc noverunt, & ſe Spiritu Dei regi, & agi gratulantur.* Ubi *regi*, & *agi* pro eodem uſurpantur. Præterea Sanctus Doctor loco in argumento ſupra adducto non docet eum, qui à Deo movetur, nihil agere, ſed tantùm vix intelligi aliquid agere ipſum, qui a Deo agitur. Unde Suar. *tom.* 1. *de Grat. Prolog.* 6 *cap.* 7. *in commentariis margin. ſuper Auguſt.* inquit: *Hinc fortè quiſpiam ex mente Auguſtini colligat quem Deus agit non cum indifferentia agere, neque cum poteſtate non agendi, & reſiſtendi motioni Dei. Hunc verò ſenſum excludit particul, vix, quæ potiùs denotat eum, qui à Deo agitur, aliquid agere; licèt non à ſe ſed ex motione Dei. Unde de illo, qui ſic motus bonum diligit, ait paulò inferiùs Auguſtinus*: (1) Non ſolùm voluntas id agit, ſed divinitus ad-

Quaſi idẽ ſunt per Spiritum Dei *regi*, & *agi*. Divus Auguſtinus non negat eos *agere*, qui per Spiritum Dei moventur.

(1) Citatur à Suario Divus Auguſtinus l. de Geſt contra Pelag in ConcilioPalæſt cap. 3.

adjuvatur. *Et rurſum inferiùs.* (2) Se Spiritu Dei *agi*,& *regi* gratulantur. *Idem ergo eſt à Deo* agi, *quod* regi; *ac ſubinde ſicut qui regitur, aliquid agit, ita qui agitur; quod alibi diſertè Auguſtinus explicuit.* (3) Manet igitur filios Dei per gratiam, à Deo *agi*, hoc eſt, *regi*. Præterea eoſdem in tantum agi Spiritu Dei, in quantum adjuvantur Spiritu exhortante, illuminante, adjuvante. Nemo autem adjuvatur, niſi ad agendum. Hæc omnia conſtant ex Auguſtino ſuprà relato.

(2) Iterum citatur Auguſtinus ibidem.

(3) *Alibi*, ſcilicet Serm. 13. de verbis Apoſt.

7 Argumentum tertium. Non nos, ſed Divina gratia, aut Deus per illam eſt, qui in nobis operatur omnia, & quævis opera gratiæ; atqui in libertate noſtra non eſt, quòd Deus, ſive gratia Divina operetur, aut non operetur: ergo Deus libertatem noſtram deſtruit per gratiam. Maior jam fuit controverſa *cap.* 4. *ſect.* 2. *à num.* 8. ſuper propoſitiones 3. & 4. ipſa eſt Calvini multis in locis, nam *lib.* 2. *Inſt. cap.* 3. §. 10. ſic inquit: *Voluntatem movet, non qualiter multis ſeculis traditum eſt, & creditum, ut noſtræ poſtea ſit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari; ſed illam efficaciter afficiendo. Illud ergo toties à Chryſoſtomo repetitum repudiari neceſſe eſt, quem trahit, volentem trahit.* Idem habet *eodem libro, & capite* §. 8. ſic inquiens: *Erunt fortaſſe qui concedent, voluntatem à bono, ſuopte ingenio averſam, â ſola Dei virtute converti, ſic tamen, ut præparata, ſuas deinde in agendo partes habeat. Hoc perperam illi tribuitur. Ideo non rectè à Chryſoſtomo ſcriptum eſt nec gratiam ſine voluntate, nec voluntatem ſine gratia quidquam poſſe operari.*

Calvini argumentum pro libero arbitrio nihil operante cum gratia.

8 Ipſa maior præcedentis argumenti probatur à Calvino *primò* ex illo 1. *ad Corint.* 12. 9. *Deus, operatur omnia in omnibus. Secundò* ex 2. *ad Corint.* 3. 5. ubi Apoſtolus inquit: *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Tertiò* ex eodem Paulo ad *Philip.* 1. 6. *Deus operatur in nobis velle, & perficere.* Confirmatur ex illo *Jac.* 1. 17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.*

9 Sed contrà, dicitur enim *Pſalm.* 26. 9. *Adjutor meus eſto, nè derelinquas me.* Et *Pſalm.* 69. 1. *Deus in adjutorium meum intende.* Item ad *Rom.* 8. 26. *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram.* Inquit autem Divus Auguſt. *Serm.* 13. *de verbis Apoſtoli*, ut jam ſuprà memini: *Nomen adjutorii præſcribit tibi, quia tu ipſe aliquid agis.*

Corruit argumentũ Calvini ex doctrina Sacræ Scriptqræ, & P.P.

Dein-

Deinde 1. *ad Corint.* 15. 10. inquit Apoſtolus: *Gratia ejus in me vacua non fuit, ſed abundantiùs illis omnibus laboravi; non autem ego, ſed gratia Dei mecum.* Quod ſic explicat Divus Auguſtinus *lib. de Grat. & libero Arb. cap.* 5. *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum, id eſt, non ſolus, ſed gratia Dei mecum, ac per hoc nec gratia Dei ſola, nec ipſe ſolus, ſed gratia Dei cum illo.* Tandem ad *Philip.* 4. 13. ait Apoſtolus: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Unde Auguſtinus *tract.* 72. *in Joan. Operante in ſe Chriſto, cooperatur homo ſalutem æternam, & juſtificationem ſuam.* Et in Enchiridio *cap.* 13. inquit: *Hominis voluntatem Deus præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam.* Et libro *de peccatorum merit. cap.* 18. hæc ſcribit. *Quòd ad Deum nos convertimus, niſi ipſo excitante, & adjuvante, non poſſumus.* Quapropter noſter Divus Bernardus *lib. de Grat. & liber Arb.* ſic inquit: *Conatus noſtri caſſi ſunt, ſi non adjuvantur.*

Reſpondetur ad ſingula, quæ continentur in argumento præjacto.

10 Nunc ad argumentum præter ea, quæ diximus *cap.* 4. *ſect.* 3. *num.* 4. reſpondetur negando maiorem. Ad teſtimonia in ejus probationem adducta, reſpondetur, *ad primum*: Apoſtolum ibi non agere de gratià Divinà operante, aut cooperāte, ſed de gratiis gratis datis (ut dicitur) id eſt, de dono linguarum, prophetiæ, miraculorum, quæ omnia dicit eſſe à Deo, & hoc, nemo eſt, qui neget. *Ad ſecundum*, reſpondeo ex eo ſolùm colligi poſſe nos ſinè auxilio Divinæ gratiæ, nihil ad ſalutem pertinens poſſe inchoare, aut perficere, quod cum Auguſtino fatemur ex *lib. de Prædeſt. Sanct. cap.* 2. ubi inquit: *Nemo ſibi ſufficit ad incipiendum, vel perficiendum quodcunque opus bonum.* Ita pariter reſpondetur *ad tertium*, cùm enim inquit Apoſtolus Deum operari in nobis velle, & perficere, hoc intendit, quòd ſcilicet Deus in principio, & progreſſu boni operis nobis adſit per ſuam gratiam, ita, ut noſtrum velle, & perficere, non ſolùm ſit à nobis, ſed etiam à Deo, qui nobiſcum operatur. Unde Divus Auguſtinus *lib. de Grat. & liber Arb. cap.* 9. ſic ait: *Non enim quia dixit: Deus operatur in nobis velle, & perficere, ideo liberum arbitrium abſtuliſſe putandus eſt. Quod ſi ita eſſet, non ſuperiùs dixiſſet: Cum timore, & tremore, veſtram ſalutem operamini.* Et *cap.* 17. ejuſdem Libri, ait: *Ut velimus, ſinè nobis operatur, cùm autem volumus, ut faciamus, nobiſcum cooperatur.*

11 Ad confirmationem, reſpondetur ex Becano in *Controverſ. lib.* 3. *cap.* 4. verum eſſe dona Dei, ſcilicet Fidei Spei, &

Chari-

charitatis, itemque actualis gratiæ, à Deo provenire, tanquam ab Authore omnis boni ſpiritualis; non tamen inde ſequi, nos cum ejuſmodi donis non cooperari. Imò ideo hæc dona conferuntur à Deo, ut cum ipſis cooperemur. Hoc, ut inquit citatus Becanus, ſignificat Chriſtus in Parabola Evangelica, *Luc.* 19.13. cùm ait: *Vocatis autem ſervis ſuis, dedit eis decem mnas, & ait ad illos: Negotiamini, dum venio.* Et infra: *Juſſit vocari ſervos, quibus dedit pecuniam, ut ſciret, quantum quiſque negotiatus eſſet.* Hîc per ſervos intelliguntur omnes fideles Chriſtiani, quibus diſtribuit dona ſuæ gratiæ eo fine, ut quiſque bene iis utatur juxta monitum Apoſtoli 2. *ad Corint.* 6.1. *Exhortamur, nè in vacuum, gratiam Dei recipiatis.* Solutio ad confirmationem argumenti.

12 Argumentum quartum ex Calvino loco ſuprà citato; ubi opponens illud *Ezech.* 36. 26. *Auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum;* colligit (& cum eodem peſſimo Magiſtro, hujus temporis Hæretici) quòd, ſicut liberum non eſt lapidi, ut à Deo convertatur in carnem; quià ſolùm paſſivè ſe habet lapis, ad eam converſionem, ita non ſit homini liberum, quòd ex impio juſtificetur; quia ad hanc converſionem, paſſivé tantùm ſe habebit. Hoc fundamentum eſt futile, nam voluntas noſtra, & cor lapideum non eſt, ſed carneum, & liberum in agendo, atque adéo non merè paſſivé ſe habens, etiam in cõverſionibus, ipſæ enim humano genio accommodantur, nam Deus per gratiam naturam non deſtruit. Igitur voluntas noſtra ſemper libera, formam lapidis, aut carnis ſucceſſivé poteſt ſuſcipere, quatenus, & peccati duritiem, & gratiæ teneritudinem in ſe habere poteſt. Unde ex eodem *Ezech.* c.31. id habemus: *Projicite à vobis iniquitates veſtras, & facite vobis cor novum.* Unde patet cor lapideum, non fieri carneum abſque Dei, & cordis concurſu. Concurrit enim Deus, ut patet ex præjactis illis verbis: *Dabo vobis cor carneum;* ipſum verò cor, aut voluntas etiam concurrit, quod patet ex illo: *Facite vobis cor novum.* Aliud argumentum ex Calvino ſolutum.

13 Ex ſuprà dictis à *numero* 7. diſce, quàm falſæ ſint propoſiones illæ XV. & XVII. in quibus docent adverſarii operationes meritorias, & ſupernaturales, non à nobis, ſed à ſolà gratià, ſive à voluntate Divinà procedere. Nam in prima illarum dicitur: *gratiam operari in corde obedientiam.* In altera verò ſtatuitur: *Dei gratiam eſſe ejus Omnipotentem voluntatem;* quæ quidem ut Colligitur falſitas propoſitionem. 15. 17. & 21.

ut inquiunt, ſe ſola vult; & ſe ſola agit abſque creatæ voluntatis concurſu. Idem repetunt propoſitione XXI.

SECTIO VIII.

Propoſitiones XII. & XIII. accuratè diſcutiuntur, itemque aliæ his affines.

1 EST, & alius error peior priore non enim ſolummodo in memoratis propoſitionibus negant adverſarii omnem gratiam ſufficientem, quatenus eam ſolùm gratiam agnoſcunt, quæ effectum ſuum exequitur infallibiliter, (ſeu, ut ipſi contendunt, neceſſariò) verùm inſuper excludunt, dari in Deo generalem voluntatem ſalvandi omnes homines. Cum enim in *propoſitione* 12. dicatur: *Quando Deus vult ſalvare Animam, quocunque tempore, quocunque loco effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei*; & ſimiliter in *propoſitione* 13. *Quando Deus vult Animam ſalvam facere, & eam tangit interiori gratiæ ſuæ manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit*: inſurgit conſequenter Deum illos ſalvare noluiſſe, ex quorum malitia (ut tenet ſana doctrina) voluntas Dei effectum non eſt conſecuta, ſive eos qui Deo vocanti non responderunt, ſed reſtiterunt. His erroribus adhærent ſequentes propoſitiones 30. *Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter* 31. *Deſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum, pacem intimo cordium inſert, quando eis illam optat* 32. *JESUS Chriſtus ſe morti tradidit ad liberandum pro ſemper ſuo Sanguine primogenitos, ideſt, electos de manu Angeli exterminatoris.* In quibus concluſionibus iterum ſtatuitur Deum non omnes ſalvare velle, unde neque Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum. Unde *propoſitione* 33. dicitur: *Proh. quantum oportet bonis terrenis, & ſibimetipſi renuntiaſſe ad hoc, ut quis fiduciam habeat ſibi, ut ita dicam, appropriandi Chriſtum JESUM, ejus amorem, mortem, & myſteria, ut facit Sanctus Paulus dicens: Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Hujus enim nequiſſimæ propoſitionis virus peſtiferum in eo ſtat, quòd nec omnes homines fiduciam habeant appropriandi ſibi amorem Chriſti, Paſſionem, mortem, & reliqua myſteria nec dicendi cum Divo Paulo: Dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me; tanquam ſi Chriſtus ali-

Propoſitiones 12. 13. 30. 31. 32. & 33. aſſerentes Deum non velle omnes homines ſalvos eſſe; Et Chriſtum pro omnibus non eſſe mortuum, accuratiùs impugnantur.

aliquos homines non diligeret, aut pro aliquibus non eſſet paſſus, & mortuus;& reliqua myſteria pro aliquibus non inſtituiſſet. Non eſt igitur neceſſaria (ut judicatur in hac propoſitione) rerum terrenarum abdicatio,neque bonorum temporalium renuntiatio, ſed ſola fides ſufficit; ut quiſque credat Chriſtum omnes diligere, & pro omnibus eſſe mortuum.

2 Hos errores impugnaturus, ſequentem excito quæſtionem: *Utrùm in Deo ſit generalis voluntas ſalvandi omnes; ſubindeque an Chriſtus pro omnibus ſit mortuus?* Poſt Calvinum, & Lutherum negativè reſolventes, celebris facta eſt propoſita diſputatio ex erroribus Janſenij *lib.9.& 10.de Grat.Chriſti*;itéque *lib. 3. cap.* 20. ubi inquit: *Neque enim juxta doctrinam antiquorum pro omnibus omnino Chriſtus paſſus, aut mortuus eſt, aut pro omnibus omnino, tam generaliter ſanguinem fudit; cùm hoc potiùs tanquam errorem à Fidè catholica abhorrentem doceant eſſe reſpuendum.* Et infra: *Omnibus verò illis, pro quibus ſalutem fudit, & quatenus pro iis fudit, etiam ſufficiens auxilium donat, quo non ſolùm poſſint, ſed etiam re ipſa velint, & faciant id, quod ab eis volendum, & faciendum eſſe decrevit.* Ex primo loco Janſenij colligitur Chriſtum non eſſe mortuum pro omnibus. Ex loco ſecundo habetur voluntatem Dei circa æternam ſalutem ſolùm extendi ad eos homines, quibus confert auxilia, queis poſſunt conſequi, & de facto conſequuntur æternam ſalutem. Et *cap.*21. ejuſdem libri *Chriſtus* (inquit) *pro infidelium in infidelitate morientium, aut juſtorum non perſeverantium ſalute, mortuus non eſt; nec ſanguinem fudit; nec ſe ipſum redemptionem dedit; nec Patrem oravit; imò non magis pro æterna liberatione ipſorum, quàm pro diaboli deprecatus eſt.*

Proponitur quæſtio circa præſentes errores.

Janſenij errores in præſenti.

3 Ante reſolutionem præſentis dubii, hoc neceſſariò cenſeo præmonendum. Videlicet: voluntatem Dei in ſe unicam, & ſimpliciſſimam, eſſe ex parte objecti, & circunſtantiarum, multiplicem. Igitur ex conſideratione termini; *primò* à Divo Auguſtino in *Enchiridio cap.* 100. *& ſequentibus* dividitur in voluntatem efficacem, quæ ſemper impletur, de qua intelligitur Iſaiæ *Omnis voluntas mea fiet*, *cap.* 46. 10. & in voluntatem inefficacem, quæ non ſemper impletur, de qua intelligendum eſt illud Apoſtoli ex 1. *ad Tim.* 2. 4. *Vult omnes homines ſalvos fieri.* Hujus diviſionis etiam ſub aliis terminis fit mentio apud Authores, voluntatem Dei in abſolutam, & conditionatam

Voluntas Dei efficax, & inefficax, abſoluta, & conditionata.

T divi-

dividentes; quæ diviſio, ut notat Becanus, à ſuperiori non differt: conditionata enim, & inefficax; abſoluta, & efficax coincidunt; ad minus parùm differunt.

4 Dividitur *ſecundò* voluntas Dei à noſtro Damaſceno *lib. 2. de Fide Orthodoxa cap. 29.* in voluntatem antecedentem, & conſequentem. Circa intelligentiam utriuſque membri iſtius diviſionis aliquod eſt diſcrimen, aſt penes verba, non autem penes illorum ſenſum. Inquit enim Becanus *cap. 11. de Volunt. Dei num. 7.* Voluntatem antecedentem illam eſſe, quâ Deus vult aliquid ſecundùm ſe, non habita ratione circunſtantiarum, quo pacto vult omnes homines ſalvos fieri. Voluntatem conſequentem eſſe illam, quâ Deus vult aliquid, non jam ſecundùm ſe, ſed habita ratione circunſtantiarum; cujus contrarium vellet, ſi non eſſent tales circunſtantiæ; quo pacto vult aliquos damnare, habita ratione peccatorum; quæ ſi non eſſet, vellet eos ſalvare. Unde conſtat voluntatem antecedētem ortum ducere ex bonitate Dei, at verò cōſequentem ex vitio hominis provenire. Unde Damaſcenus ſupracitatus: *Voluntas antecedens eſt acceptio Dei, ex ipſo exiſtens; & conſequens eſt conceſſio ex noſtra cauſa.*

Voluntas Dei antecedens, & conſequens.

5 Hanc acceptionē antecedētis, & conſequentis voluntatis tenēt cōmuniter Thomiſtæ cum ſuo Angelico Præceptore 1. *p. q.* 19. *art.* 1. ubi voluntatem antecedentem, & conſequentem ſic explicat: *Secundùm Damaſcenum, intelligitur de voluntate antecedente, non de voluntate conſequente; quæ quidem diſtinctio non accipitur ex parte ipſius voluntatis Divinæ, in qua nihil eſt prius, vel poſterius, ſed ex parte volitorum. Ad cujus intellectum conſiderandum eſt, quòd unumquodque ſecundùm quod bonum eſt, ſic eſt volitum à Deo; aliquid autem poteſt eſſe in prima ſui conſideratione, ſecundùm quod abſolutè conſideratur, bonum, vel malum, quod tamen, prout cum aliquo adjuncto conſideratur (quæ eſt conſequens conſideratio ejus) è contrario ſe habet. Sicut hominem vivere eſt bonum, & hominem occidi eſt malum, ſecundùm abſolutam conſiderationem; ſed ſi addatur circa aliquem hominem, quòd ſit homicida, vel vivens in periculum multitudinis; ſic bonum eſt eum occidi, & malum eſt, eum vivere; unde poteſt dici, quòd judex juſtus antecedenter vult hominem vivere; ſed conſequenter vult homicidam ſuſpendi. Similiter Deus antecedenter vult omnem hominem ſalvari, ſed conſequenter, vult quoſdam.*

Quomodo à Thomiſtis explicetur voluntas Dei antecedens, & conſequens.

dam damnari, ſecundùm exigentiam ſuæ juſtitiæ.

6 Molina, Vaſques, & communiter Jeſuitæ, illam dicunt eſſe voluntatem antecedentem, quâ Deus aliquid vult, antequam prævideat noſtrum conſenſum, noſtra merita, vel demerita: illã autem dicunt eſſe voluntatem conſequentem, quæ in Deo eſt poſt præviſionem noſtri conſenſûs, noſtri meriti, vel demeriti. Inſurgunt Thomiſtæ impugnantes hunc explicandi modum, qui tamen, ut dictum eſt *num.* 4. non in re, ſed tantùm in verbis eſt. Quia, cùm præfati D. D. teneant Deum non prævidere futurum liberum, niſi poſt exploratum conſenſum noſtrum, & ante noſtrum conſenſum Deum non agnoſcere noſtros actus liberos, niſi ſecundùm ſe, hoc eſt, præſcindendo à circunſtantiis futuritionis, aut non futuritionis; hinc eſt, quòd apud hos Authores idem ſit: Deum aliquid velle ante conſenſum noſtrum, ac velle ſecundùm ſe, præſcindendo à circùnſtantiis, per quas exiſtet. Similiter idem erit Deum velle aliquid poſt noſtrum conſenſum præviſum, ac velle, ſub circunſtantiis, per quas exiſtet.

Quomodo à Jeſuiſtis.

Opinionis utriùſque concordia.

7 *Tertiò* dividitur voluntas Dei apud Magiſtrum ſententiarum *in* 1. *diſt.* 45. & Divum Thom. *ibidem quæſt.* 1. *art.* 4. in voluntatem ſigni, & beneplaciti. Voluntas ſigni, eſt quoddam ſignum volũtatis Divinæ, quo Deus ſe aliquid velle ſignificat. Voluntas beneplaciti eſt ille actus Divinæ voluntatis, quo Deus aliquid vult. Utrumque diviſionis membrum habemus ex Sacro Textu: nam de ſignis, quibus Deus ſuam voluntatem nobis indicat, intelligitur illud *Pſal.* 15. *Mirificavit omnes voluntates meas in eis.* Et illud *Pſalm.* 110. *Magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates ejus.* De voluntate autem beneplaciti dictum eſt illud *ad Roman.* 12. *Ut probetis, quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta.* Et illud *Pſalm.* 105. *Memento noſtri, Domine, in beneplacito populi tui.* An verò externa ſigna, quæ in Deo dicimus voluntatem ſigni, ſemper verè ſignificent internam voluntatem, ſeu beneplacitum Dei? Dicetur infra *ſect.* 11. *num.* 1. & 2.

De voluntate ſigni, & beneplaciti.

QUÆSTIONIS RESOLUTIO.

8 **I**N *Deo datur generalis, & antecedens voluntas (etiam poſt Adæ lapſum) ſalvandi omnes homines, quos condidit; & pro quorum ſalute Filium ſuum morti tradidit.* Dixi *poſt Adæ lapſum*, docet enim Janſenius *lib.* 9. & 10. de gratia Chriſti Salvatoris Deum ante peccatum Adæ, omnibus, ac ſingulis hominibus æternam Beatitudinem conferre voluiſſe voluntate generali, & antecedenti; ex qua primò parenti obtulit auxilia ſufficientia. Non poſſe autem perſiſtere hanc generalem voluntatem ſalvandi omnes homines in damnatione primi peccati conſtitutos; nam in eo ſtatu, inquit, Deus non confert auxilia generalia, & ſufficientia, ſed ſolùm ſpecialia, & efficacia; hæc autem ſolis electis conceduntur.

Janſenij deliramentum.

9 Noſtra reſolutio, quoad utramque partem, eſt abſolutè ex mente omnium Catholicorum contra Calvinum, Lutherum, & Janſenium. Pater Gonet. *tom.* 1. *diſp.* 4. *art.* 2. inquit Gregorium Ariminenſem, & Vaſqueſium aliquo modo favere Janſenianæ doctrînæ. Noſter Aguirre *tom.* 3. *in Theolog. Sancti Anſelmi diſput.* 127. *ſect.* 1. *n.* 2. poſtquam ſtatuit, quòd, quemadmodum Calviniſtæ, & Janſeniani negant Deum paraſſe, & obtuliſſe omnibus hominibus lapſis remedia neceſſaria ad ſalutem æternam, ſic & conſequenter negant conferri de facto omnibus adultis auxilia ſufficientia ad ſalutem; addit: *Imò nec deſunt ex Thomiſtis, & Jeſuitis, qui in hac parte eos ſequantur, quoad gentiles, & barbaros, plures.* Plurimos igitur ibidem citat Authores, quos ego ab ignominia hujus notæ vindicare cupiens (ut par eſt) notandum propono cum eodem Aguirre *tom.* 3. *diſp.* 126. *ſect.* 1. *n.* 3. *Verbum, dare, dupliciter uſurpari, primò quatenus idem eſt, ac præparare, & offerre; ſecundò, prout ſignificat conferre in exercitio. Inter quæ duo eſt diſcrimen, quòd priori ſenſu ſolùm denotatur beneficium aliquod præparari, aut offerri, quantum eſt ex parte benefactoris, ſive recipiatur in re ab iis, quorum intereſt, ſive non: poſteriori autem ſenſu importat ex parte eorum actualem receptionem; & ſic correlativa ſunt, dare, & accipere.* Hac doctrinâ ſuppoſita, ſtatuunt Authores â Cardinale Aguirre citati, & innumeri alij apud Gonet. *diſput.* 5. *de Reprobatio-*

Noſtra reſolutio eſt cõmunis contra Lutherum, & alios hæreticos.

Sint ne aliqui Doctores Catholici adverſùs noſtram Concluſionem.

ne artic. 5. §. 1. quòd, ſi ly *dare* intelligatur, quatenus correlativum ad accipere, & prout ſignat ipſam intrinſecam receptionem auxiliorum, Deus non dat omnibus reprobis media, ſeu auxilia, ad ſalutem ſufficientia. Si autem ly *dare* ſumatur, prout ſignificat idem, quod præparare, ſeu offerre, Deus omnibus reprobis, tam parvulis, quàm adultis, dat media, ſeu auxilia ad ſalutem ſufficientia. Vide Gonet. citatum, ipſe enim unus eſt ex citatis à noſtro Cardinale Aguirre. In hoc ſeſu intelligendi ſunt Catholici Doctores.

§. I.

Noſtra reſolutio de voluntate Dei generali, & antecedenti ſalvandi omnes homines; itemque de Chriſti Paſſione & morte pro omnibus, oſtenditur ex Scriptura, & Conciliis.

10 Ex ſacra Pagina deducitur noſtra reſolutio, & primò ex illo *Marc. ultimo*, ubi à Chriſto dictum eſſe legimus: *Euntes in Mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ*; & infra ibidem: *Baptizate omnes gentes.* Cùm igitur prædicatio Evangelij, & Baptiſmus ſint media, per quæ Chriſtus nos ad æternam ſalutem perducit, in promptu ſit ex his argumentum. Nemo rationabiliter operans applicat media congrua, & neceſſaria, niſi ad finem illorum intentum, & volitum; ſed Chriſtus applicat *univerſo Mundo*, *omni creaturæ*, & *cunctis gentibus* univerſaliter media ad æternam ſalutem: ergo datur in eo generalis voluntas ſalutis, omnium hominum; *non ſic tamen*, (inquit Divus Auguſtinus *lib. de Spir. & lit.* paulò poſt initium) *ut eis adimat liberum arbitrium, quo bene, vel malè utentes juſtiſſimè judicentur.* Eſt igitur illa voluntas ſolùm antecedens ex ſola bonitate Dei orta, non attentis circunſtantiis meritorum, vel demeritorum voluntatis creatæ; quapropter addit Auguſtinus: *Quod cùm ſit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cùm ejus Evangelio non credunt.* Et ex his urgeo in hunc modum. Ergo qui non credunt Evangelio, contra voluntatem Dei faciunt. Et quænam eſt iſta voluntas, niſi ſalvandi omnes? Teſtis ſit Auguſtinus, hæc enim eſt voluntas, de qua loquitur, dicens citato loco: *Vult autem Deus omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; non ſic tamen, &c.* Probatur concluſio ex Sacro Textu.

11 Apud Divum Paulum aperta eſt Eccleſiæ doctrina; abſque dependentia diſcurſus, aut accommodationis alicujus; inquit enim *ad Roman. 8. 32. Proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Item *Ep. 2. ad Corint. c. 5. n. 14.* ibi: *Si unius pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* Præterea in *1. ad Timot. 2.* hoc præclarum teſtimonium reperitur: *Qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus & mediator Dei, & hominum homo Chriſtus JESUS, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Tandem *in 1. Joan. 2.* ſic legimus: *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantùm, ſed etiam pro totius Mundi.*

Ex Conciliis. 12 A Sacris Conciliis veritas Catholica ſæpiſſimè definita fuit, & quod primò nobis occurrit, eſt Nicænum I. in cujus Symbolo omnibus hominibus juſtis, & reprobis; & ad vitam, & interitum æterno Dei conſilio deſtinatis, hæc propo-

Nicænum I. ſitur credendi formula: *Credo in JESUM Chriſtum:: qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cælis; & incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt; Crucifixus etiam pro nobis, paſſus, & ſepultus.* Reſpondeant adverſarij; ſit nè aliquis homo, qui ad fidem hujus articuli non teneatur? Accedit Concilium Arelatenſe, ubi in forma

Arelatenſe. abjurationis Lucido præſtita §. 6. ſic dicitur: *Item Anathema ille, qui dixerit, quòd Chriſtus non pro omnibus mortuus ſit, nec omnes homines ſalvos eſſe velit.* Docuerat enim præfatus Lucidus *Quòd Chriſtus pro iis tantùm, quos crediturus præſcivit, advenisset.* Poſtea verò, humiliter ab eodem Concilio edoctus, ſe erraſſe profeſſus eſt his verbis, quæ habentur in ſuæ Fidei profeſſione. *Sacrorum teſtimoniorum authoritate, quæ abundè per ſpatia Divinarum inveniuntur Scripturarum, ex ſeniorum doctrina ratione patefacta, libens fateor, Chriſtum etiam pro perditis advenisse, quia eodem nolente perierunt.*

Cariſiacenſe. 13 Eandem doctrinam habemus ex Concilio Cariſiacenſi, ubi ab Hincmaro Rhemenſi Archiepiſcopo, & aliis Patribus ſic fuit ſtatutum: *Chriſtus JESUS Dominus noſter, ſicut nullus homo eſt, fuit, vel erit, cujus natura in illo aſſumpta non fuerit; ita nullus eſt, fuit, vel erit homo, pro quo paſſus non fuerit; licèt non omnes Paſſionis ejus myſterio redimantur. Quòd verò omnes Paſſio-*

nis ejus myſterio non redimuntur, non reſpicit ad magnitudinem, & pretij copioſitatem, ſed ad infidelium, & ad non credentium ea fide, quæ per dilectionem operatur; reſpicit partem: quia poculum humanæ ſalutis, quod confectum eſt ex infirmitate noſtra, & virtute Divina, habet quidem in ſe, ut omnibus proſit; ſed ſi non bibitur, non medetur. Quanta autem ſit hujuſce Concilij Authoritas, & qualiter, cum Concilio Valentino III. ſub Leone Papa IV. com- Tridentinum.
pati valeat; vide Aguir. *tom. 3. Theolog. Sanctum Anſel. diſput. 115. ſect. 6. à principio, & deinceps, & diſput. 126. ſect. 3. à num. 30.* Firmatur noſtra reſolutio ex Trident. *Seſſ. 6. cap. 3.* ſic de Chriſto Domino dicente: *Et ſi ille pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt; ſed ij duntaxat, quibus meritum Paſſionis ejus communicatur.*

§. II.

Eadem reſolutio oſtenditur ex S. S. Patribus.

14 SAncti Patres tum Græci, tum Latini Catholicam doctrinam, quam tenet Eccleſia, prædocuerunt: inquiunt enim Dionyſius Areopagita *lib. de Cœleſ-* Dionyſius.
ti Hierarchia, cap. 9. ad immenſum, & infinitum Divini luminis pelagus, quod ſemper paratum eſt, & patet omnibus ad participandum.

15 Methodius Martyr *in cap. 9. Epiſt. ad Roman. Aliud* Methodius.
quidem vas in honorem, aliud verò in ignominiam. Non quod alios bonos, alios non bonos faciat; abſit. Verùm Dei bonitas ad omnes communiter pertinet, & quantum in ipſo ſitum eſt, hoc eſt, ſecundùm ipſius conſilium, & voluntatem vellet omnes probos, & fideles eſſe, & virtute præditos. Sed ut jus, poteſtatemque Divinam exprimeret, quæ quæcunque libet facere poteſt, iſtud poſuit.

16 Chryſoſtomus *Homil. 26. in Epiſt. ad Roman. Non om-* Chryſoſtomus.
nes lucrifacturus erat Chriſtus, & nihilominus pro univerſis mortuus eſt, quod in ſe ſitum erat faciens. Idem *Homil. 7. in Epiſt. 1. ad Timoth.* ait: *Chriſtus pro omnibus, & propter omnes,* (ſe ipſum dedit) *ut uno pro omnibus mortuo, omnes in ipſo vivamus.* Idem confirmat reſolvendo duplicem objectionem, ſive quæſtionem; quarum una habetur *Homil. 44. de longitudine dierum*; videlicet. *Paulus ait: Qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitio-*

nem veritatis venire. Cur igitur non omnes ſalvi facti ſunt, ſi vult omnes ſalvos eſſe? Quoniam non omnium voluntas illius voluntatem ſequitur; porrò ipſe neminem cogit. Si igitur, qui ſalvi facti non ſunt, voluntatem Dei non ſequuntur, exinde eſt, quia in Deo datur voluntas ſalvandi omnes. Sic procedit idem Sanctus Doctor *Hom.* 7. *in Joan.* dicens: *Quomodo illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum? Illuminat profectò, quantum in ipſo eſt. Si qui autem ſponte ſua mentis oculis conniventibus ad hujus lucis radios aciem dirigere nolunt, non ex luminis naturâ in tenebris perſiſtunt, ſed ex malitiâ.*

Auguſtinus. 17 Auguſtinus *tract.* 12. *in Joan.* ſuper illa verba: *Non enim miſit Deus Filium ſuum, ut judicet Mundum, ſed ut ſalvetur Mundus per ipſum,* ſic inquit: *Ergo quantum in Medico eſt, ſanare venit ægrotum; ipſe ſe interimit, qui præcepta Medici ſervare non vult. Venit Salvator in Mundum. Quare Salvator dictus eſt Mundi, niſi ut ſalvet Mundum?* Non autem diceretur, veniſſe Chriſtum, ad ſalvandum Mundum, niſi veniſſet ad ſalvandos omnes homines; & hoc verum non eſſet, deficiente in Deo voluntate ſalvandi omnes. Idem docuit *lib. de Spirit. & lit. cap.* 33. ut jam ſuprà memoratum eſt, inquiens apertiſſimè: *Vult autem Deus omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; non ſic tamen, ut adimat liberum arbitrium, quo bene, vel malè utentes, juſtiſſimè judicantur. Quod cùm ſit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cùm ejus Evangelio non credunt.*

Proſper. 18 Proſper *in reſp. ad* 2. *object. Vincentij,* ſic inquit: *Synceriſſimè credendum, atque profitendum eſt, Deum velle, ut omnes homines ſalvi fiant; ſiquidem Apoſtolus, cujus iſta ſententia eſt, abſolutiſſimè præcipit, quòd in omnibus Eccleſiis piiſſimè cuſtoditur, ut Deo pro omnibus hominibus ſupplicetur.* Idem *in reſp. ad object. Gallorum ſent.* 8. ſic habet: *Qui dicit, quòd non omnes velit Deus ſalvos fieri, ſed certum numerum prædeſtinatorum, duriùs loquitur, quàm loquendum eſt de altitudine inſcrutabilis gratiæ Dei, qui & omnes vult ſalvos fieri.*

Anſelmus. 19 Anſelmus *Oratione* 28. juxta correctionem Gerbeonis, per colloquium ad Chriſtum Dominum, ſic inquit: *Æquali dilectione nos omnes creaſti; æquali dilectione, pro omnibus Paſſionem ſuſcepiſti, æqualiter omnibus vitam æternam præparaſti.* Quod eſt intelligendum, quatenus voluntate antecedenti voluit omnibus

bus ſalutem æternam conferre, & ad id media præparare; licèt non æquali voluntate conſequenti, & efficaci. Unde idem Anſelmus in illa verba *Matth.* 6. *Fiat voluntas tua*, ſic ſcribit: *Duæ ſunt voluntates in Deo; una miſericordiæ, quæ non eſt cogens, neque aliquid libero arbitrio aufert, quâ omnes homines vult ſalvos fieri, quod tamen in libera eorum poteſtate poſitum eſt; & eſt alia, quæ eſt de effectibus rerum, de qua dicitur: Omnia quæcunque voluit fecit. Hæc, providentiæ concordat ſemper; alia verò non ſemper. Si enim velit per miſericordiam, de aliquo pravo, quòd ſit juſtus, & conferat ei gratiam ſuam, & tamen ille per liberum arbitrium contradicat, nec gratiæ Dei conſentiat, hæc voluntas Dei non concordat providentiæ, quia quanvis per dulcedinem, gratiam conferat, tamen ſcit non conſenſurum, &c. Itaque homines reſiſtunt voluntati miſericordiæ, & non reſiſtunt voluntati juſtitiæ.*

20 Thomas, Doctor Angelicus *in* 3. *diſt.* 2. *q.* 1. *art.* 1. inquit: *Hoc, quòd omnes homines non reparantur, non eſt ex inſufficientia medicinæ reparantis, cùm ſit ſufficiens, quantum in ſe eſt, ad reparandum omnes, qui naturam habent, vel habere poſſunt, ſed ex defectu eorum, qui reparationis effectum in ſe impediunt.* Non autem impedirent effectum, ſi non eſſet ulla voluntas reparandi illos. Idem, 3. *p. q.* 79. *art.* 7. *ad* 2. *Dicendum, quòd Paſſio Chriſti prodeſt omnibus, quoad ſufficientiam.* Et idem docet, *lect.* 2. *in cap.* 2. *Epiſt.* 1. *ad Timot.* dicens: *Chriſtus eſt propitiatio pro peccatis noſtris; pro aliquibus efficaciter, ſed pro omnibus ſufficienter; quia pretium ſanguinis ejus eſt ſufficiens ad ſalutem omnium.* Angelicus Doctor.

§. III.

Noſtra, & Catholicæ Eccleſiæ doctrina, fundatur variis rationibus.

21 PRima fundamentalis ratio deſumitur ex Caetano ſupra illud Apoſtoli *ad Timoth.* 1. *cap.* 2. *Unus enim Deus, unus & mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus JESUS, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Ubi ſic præfatus Author diſcurrit. „ Ex hoc quòd, non niſi unus „ eſt Deus, omnium hominum curam illi uni incumbere ma„ nifeſtatur, & cùm ſit naturâ bonus, conſequens eſt, ut om„ nibus Rationes pro noſtra concluſione.

„ nibus proponat ſalutem, & agnitionem veritatis; ſi nanque „ eſſent plures Dii, cogitari poſſet, quòd unus Deus haberet „ curam ſalvandi aliquos homines, & alius haberet curam ſal- „ vandi alios; ſed ubi unus tantùm eſt Deus, illi uni incumbit „ cura omnium. Similiter etiam, ſi plures eſſent mediatores „ inter Deum, & homines, exiſtimaretur, quòd unus eſſet „ mediator pro quibuſdam, & alius pro aliis, ſed ex quo unus „ mediator Dei, & hominum, ad reconciliandum homines „ Deo, illi uni incumbit mediare inter Deum, & omnes ho- „ mines. Denique ab effectu manifeſtat Apoſtolus, quòd etiam „ mediator vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitio- „ nem veritatis venire, ex hoc ipſo, quòd dedit ſe ipſum pre- „ tium ad redimendum, non aliquos, ſed omnes. Ad has angustias reducuntur illi omnes, qui negant dari in Deo generalem voluntatem ſalvandi omnes homines; ſive Chriſtum pro omnibus fuiſſe mortuum. Aut enim pluſquam unum Deum, & pluſquam unum Redemptorem fingent: aut ab uno Deo, & ab uno Redemptore bonitatem auferent.

Ex unitate, & bonitate Dei, & Redemptoris deducitur voluntas Dei, e Paſſio Chriſti pro omnibus redimendis.

22. Secunda ratio traditur ex Aguir. *tom. 3. Theol. Sancti Anſel. diſput. 126. ſect. 5.* & eſt validiſſima: omnibus iis, pro quibus Chriſtus paſſus, & mortuus eſt, voluit Deus æternam ſalutem, & felicitatem conferre; ſed Chriſtus fuit paſſus, & mortuus pro omnibus hominibus: ergo omnibus hominibus ſalutem voluit animarum. Maior probatur; quia media ad unum tantùm finem tendentia, non applicantur juſtè, & ordinatè, niſi ad eundem finem; ſed Chriſti Paſſio, & mors eſt medium tantummodo ordinatum ad æternam animarum ſalutem: ergo hanc appropriavit Deus iis omnibus, pro quibus mortuus eſt Chriſtus, ſive illis, quibus Chriſti Paſſio, & mors fuit applicata. Minor patet ex variis Sacræ Scripturæ teſtimoniis allegatis *num.* 11. hujus ſectionis. Confirmatur ſequenti fundamento.

Chriſti mors pro omnibus indicat voluntatem ſalvandi omnes.

23. Tertia ratio. Chriſtus mortuus eſt, pro his omnibus, qui per peccatum mortui erant; ſed nullus fuit hominum, qui per peccatum mortuus non eſſet: ergo nullus eſt homo, pro quo Chriſtus non fuiſſet paſſus, & mortuus. Minor eſt indubitabilis, ſi ab ejus univerſalitate Beatiſſimam Virginem excipiamus; quam ad præſentem controverſiam non revocamus,

mus, nullum enim eſt dubium, circa voluntatem Dei, & Chriſti mortem pro electis. Præterea utraque præmiſſa ſuadetur ab Apoſtolo 2. *ad Corint.* 5. *Si unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt.* Ex hoc Apoſtoli teſtimonio colligit Divus Auguſtinus contra Pelagianos etiam parvulos eſſe mortuos per peccatum; quia Chriſtus, ut liquet ex verbis Apoſtoli, etiam pro illis mortuus eſt. Unde *lib.* 5. *Operis Perfecti contra Julian. cap.* 37. inquit: *Conditam bonam naturam, peccatoque vitiatam, Medico Chriſto indigere, à parvulis uſque ad ſenes; quia pro omnibus mortuus eſt.* Et *lib.* 2. *cap.* 175. id præmiſerat: *Si unus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt. In hos omnes, quia mortui ſunt, cum peccato mors pertranſit per illum, in quo omnes moriuntur. Ibi ſunt & parvuli, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, qui propterea pro omnibus hominibus mortuus eſt, quia omnes mortui ſunt.* Hæc autem Divi Auguſtini argumentatio eſſet inanis, & enervis, (ut notat Aguirre ſupracitatus) ſi Chriſtus non fuiſſet mortuus omnino pro omnibus hominibus; quia facilè reſponderi poſſet à Juliano, adverſùs quem diſputabat Sanctus Doctor, Chriſtum non fuiſſe mortuum pro parvulis, ſi pro omnibus non eſt mortuus.

Ex generalitate peccati fit evidens generalitas redemptionis.

24 Reſpondent Janſeniſtæ, *primò*. Chriſtum ideo pro omnibus mortuum dici ab Apoſtolo, quia ejus mors eſt pretium ſufficiens pro omnibus, ſi omnibus foret applicata; negant autem eam fuiſſe omnibus appropriatam in redemptionem, & æternam ſalutem. Sed contra *primò*. Quia eadem Chriſti Paſſio, & mors eſt ſufficiens pretium pro redemptione dæmonum; & tamen à Patribus, & Conciliis non dicitur, Chriſtus Redemptor, & Salvator dæmonum, ſed tantùm hominum: ergo horum, & non illorum redemptio plus aliquid importat ex parte Redemptoris; quod nil aliud poteſt excogitari, præter applicationem ipſius mortis, & Paſſionis ex parte Redemptoris. Contra *ſecundò*, quia Sacræ Scripturæ teſtimonia, *num.* 11. à nobis relata, ſatis denotant merita Chriſti applicata fuiſſe in proventum, beneficium, & ſalutem omnium; ut indicant ipſamet Apoſtoli verba: *Pro omnibus mortuus eſt*, & illa ex 1. *ad Timoth.* 2. *Chriſtus JESUS, qui dedit redemptionem ſe ipſum pro omnibus.* Similia ejuſdem Apoſtoli *ad Rom.* 8. *Pro nobis omnibus tradidit illum.* Ubi ly *dedit*, & ly *tradidit* apertè denotant

Oſtenditur cōtra Janſeniſtas Chriſti Paſſionem, & mortē omnibus ſufficientem, fuiſſe omnibus applicatam.

denotant applicationem redemptionis, & non tantùm ſufficientiam pro omnibus. Aliter verificari nequeunt illa Joannis verba in 1. *cap.* 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantùm, ſed etiam pro totius Mundi.* Quomodo autem eſſet propitiatio pro omnibus; ſi ejus meritum non eſſet omnibus appropriatum?

25 Reſpondent *ſecundò* Chriſtum eatenus dici pro omnibus fuiſſe mortuum, quatenus pro omnibus (non collectivè, & æqualiter, ſingilatim) ſed diſtributivè mortuus eſt ita, quòd diſtributione facta per ſingulas gentes, & nationes, per ſingulos hominum ſtatus, aliqui reperiantur ex ipſis, pro quibus ſe dederit Chriſtus redemptionem. Unde Chriſtum mortuum fuiſſe dicunt non pro omnibus, ſed pro aliquibus omnium. Contra *primò*. Ergo jam Scriptura Sacra, & ejus veriſſimum teſtimonium minimè verificatur: inquit enim Chriſtum pro omnibus (non pro aliquibus omnium) fuiſſe paſſum, & mortuum. Contra *ſecundò*. Quia hic falſus interpretandi modus generali Patrum intelligentiæ aperté diſſonat: docent enim Chriſtum fuiſſe mortuum, & pro omnibus hominibus generaliter, & pro ſingulis, nullo excepto; ſed pro quolibet collectivé, & ſingilatim æqualiter. Unde Clemens Alexandrinus *ſtromat. lib.*7. *pag.* 298. juxta editionem Comel. anni 1592. inquit Chriſtum *ad communem hominum veniſſe ſalutem.* Et poſt hæc *pag.* 300. addit: *Verbum æternum tum ſingulis privatim, tum communiter omnibus unus eſt Salvator.* Chryſoſtomus in *expoſitione ad Galat. cap.* 2. *v.* 20. ſic ait: Redemptor noſter *quemlibet hominum tanta charitatis menſurâ complectitur, quantâ Orbem univerſum.* Cyrillus Alexandrinus *in Epiſt. ad Monach.* quæ annexa eſt Concilio Epheſino, *prim. part. cap.* 1. ſic ſcribit: *Ut ipſi* (Filio Dei) *attribueretur Paſſio, & unus ex omnibus reſurgens, qui pro omnibus erat mortuus; proprio ſanguine redimeret quidquid ſub Cælo eſt; ac Patri eos omnes, qui in univerſa terra conſiſtunt, adquireret.* Hilarius *initio commentarij in Pſalm.* 91. eandem veritatem docuit; inquiens ad hoc fuiſſe *Unigenitum Dei filium, hominem natum, ut æternitatem omnibus, qui per inhabitantem in carne noſtra peccati legem moriebantur, inveheret.* Maximus Martyr, *Cent.* 1. *de Charit. ſentent.* 71. ſic loquitur: *JESUS Chriſtus charitatem ſuam in nos oſtendens, pro omni humana natura paſſus eſt, & omni-*

Fit evidens cõtra Janſeniſtas Chriſtum fuiſſe mortuum pro omnibus; non diſtributivè tantúm, verúm etiam collectivé, & generaliter.

omnibus ex æquo ſpem reſurrectionis largitus eſt. Hos Patres ſequitur noſter Anſelmus variis in locis: nam *Oratione* 28. (ut ſuprà citavimus num. 19.) inquit: *Æquali dilectione nos omnes creaſti, æquali dilectione pro omnibus Paſſionem ſuſcepiſti; æqualiter omnibus vitam æternam præparaſti.* Idem ad illa verba *Epiſt. 1. ad Timoth. 2. Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*, ſic inquit: *Nullum excipiens, qui vellet redimi ad ſalvandum.* Et hinc patet hoc Apoſtoli teſtimonium nullam apud Patres exceptionem admittere, quod jam antea notatum fuit à Divo Proſpero *lib. 2. de vocat. gent. cap.* 16. dum inquit: *Nulla ratio dubitandi eſt, JESUM Chriſtum Dominum noſtrum pro impiis, & peccatoribus mortuum, à quorum numero ſi aliquis liber inventus eſt, non eſt pro omnibus mortuus Chriſtus.* Ex his ſatis liquet, quàm nova doctrina, & à Sanctis Patribus Eccleſiam univerſam in veritate edocentibus, aliena ſit hæc Janſeniſtarum evaſio.

26 Impugnatur inſuper utraque ſolutio, quia, ut bene advertit Joannes Baptiſta Gonet. *tom. 1. diſp. 4. de Volunt. Dei, art. 2. §. 2. num.* 25. „Utraque hæc evaſio pugnare videtur „contra definitionem Tridentini ſeſſ. 6. cap. 3. ubi definit „Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus in eo ſenſu, in quo „negabatur à Calvino: Calvinus autem non negabat Chriſ„tum mortuum eſſe pro omnibus, quantum ad ſufficientiam „pretii, neque etiam pro aliquibus, ex omni genere, & con„ditione, nam in caput 17. Joannis utraque evaſione utitur „ad explicanda Scripturæ loca, in quibus dicitur Chriſtum eſ„ſe mortuum pro omnibus: ergo, &c.

Janſeniana evaſio impugnatur doctrina Tridentini.

27 Tertia ratio; qua utuntur præfatus Gonet. Dechãps, noſter Illuſtriſſimus Abbas Reding. & alij, qui à tempore editi Janſeniani operis illud impugnarunt; in eo præcipuè fundatur, quòd præſens error Dei, & Chriſti charitatem erga homines minuit; Spem Theologicam evellit; & Fidem deſtruit. Probatur prima pars. Quia, ſi in Deo non eſt voluntas ſaltem antecedens ſalvandi omnes, anguſta ſit charitas Dei; & præterea callida, mendax, & ſimulata; fictè enim videns civitatem, ſuper quam flevit, ut dicitur *Luc.* 19. inquiebat: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Matth.* 23. Et fictè ſimiliter diceretur in Scripturis ſanctis Chriſtum ex nimia charitate, quam

Suppoſita evaſione Janſenij minuitur Dei amor in nos; ſimulque in nobis perit Fides, & Spes.

habet erga homines, mortuum fuiſſe pro omnibus, &c.

28 Si autem hoc ſemel admittendum ſit, frigeſcit neceſſariò hominum charitas ergaChriſtum Salvatorem omnium. Cùm enim Deus non omnes in veritate diligat, neque Chriſtus pro omnibus ſit mortuus, nulla ratio poteſt urgere eos,qui à Deo, & Chriſto non diliguntur, ut Chriſtum veraciter ament. Immenſitas enim amoris Chriſti erga eos,prò quibus eſt mortuus, illis eſt præcipuus amoris ſtimulus. Unde ad *Corint.2.cap.5.*inquit Apoſtolus: *Charitas Chriſti urget nos, æſtimãtes hoc,quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt,ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt.*

Hominum etiã charitas erga Redemprorem frigeſcit.

29 Probatur quòd ex hoc errore ſpes Theologica evellatur, hæc enim erat pars ſecundi hujus tertij fundamenti. Probatur inquam.Iis tantùm licetBeatitudinem prudenter ſperare, pro quibus Chriſtus eſt mortuus; ſed juxta præſentem errorem, Chriſtus non eſt pro omnibus mortuus: ergo ſtando iis deliramentis, non omnibus licet prudenter ſperare Beatitudinem. Vides nè, quantum Spes Theologica ruat? Patet ultimò, quòd Fides pereat, niſi præſens error corrigatur: quia unuſquiſque noſtrûm tenetur credere, Chriſtum Dominum fuiſſe natum, paſſum, mortuum, &c. pro nobis omnibus, & ſingulis,non excluſis reprobis: nam etiam reprobi tenentur dicere illud ſymboli in Nicæna Synodo: *Qui propter nos homines,& propter noſtram ſalutem deſcendit de Cælis, & incarnatus eſt::: Crucifixus etiam pro nobis, paſſus, & ſepultus eſt.* Dum igitur unuſquiſque hominum (& inter eos reprobi) hoc profitentur,conſtanter aſſerit Chriſtum, & pro ſe hoc profitente,ſive juſto,ſive reprobo, fuiſſe mortuum. Si autem hoc verum eſt, delendus erit conſequenter præſens hæreticorum error.Si verò falſum, aut dubium id, quod creditur,& profitetur, jam Fides corruit, quæ nequit docére articulos falſos, aut dubios proponere credendos.

Hîc habes quæ diximus de Fide,&Spe n.27.

SEC-

SECTIO IX.

Diluuntur fundamenta adverſariorum.

1 TRiplicis generis eſſe poterunt argumenta, quibus ducti hujus temporis Pſeudo-Catholici hæreticam ſuam ſententiam fundari putant. Aliqua enim deducuntur ex Sacra Paginà, alia ex Patribus, & Conciliis deſumuntur; nonnulla tandem Theologicis rationibus fundantur.

2 Objicient 1. ex Sacrà paginà, illud *Matth.26. Hic eſt ſanguis novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*, ubi Chriſtus aperté oſtendit ſe non eſſe mortuum pro omnibus hominibus, neque ejus ſanguinem pretioſiſſimum, ad omnium ſalutem, & redemptionem, eſſe ordinatum, ſed multis tantummodo applicatum. Hic eſt adverſariorum Achilles, in quo maximè Lutherus, & Calvinus confidunt, nec minus, qui his anteceſſoribus morem gerunt.

An Chriſti ſãguis non pro multis ſolummodo, ſed pro omnib' [illegible] ſit?

3 Divus Thomas hũc Matthæi locum Theologico ſtylo exponens, difficultatem omnino ſolvit, ſufficientiam ab efficacià diſtinguens, quatenus Chriſti Sanguis pro omnibus, inquit, eſt fuſus, & applicatus quoad ſufficientiam redemptionis; non tamen eſt effuſus efficaciter quoad effectum ipſius redemptionis, niſi pro multis: *Sanguinem* (inquit) *Sanguinem Chriſti fuſum eſſe, & pro multis, & pro omnibus, quia, ſi conſideretur ſufficientia, ipſa eſt propitiatio pro peccatis noſtris, & non pro noſtris tantùm, ſed pro totius Mundi. Sed, ſi conſideremus efficaciam, effectum non habet; niſi in his, qui ſalvantur, & hoc ex culpà hominum.* Hæc ſolutio præjactum fundamentum penitus enervat, eſtque doctrinæ Damaſceni conformis.

Quo ad ſufficientiam pro omnibus; quo ad efficaciam pro multis.

4 Quod autem mihi facilius, & hujus loci propriùs videtur reſpondendum, eſt: quòd *tô multis* idem valet, ac *omnibus*, ut eſt communis Græcorum Patrum ſententia. Ratio eſt, quia hæc conſequentia eſt neceſſaria: ſunt omnes, ergo ſunt multi. Et eàtenus verificatur Chriſtum mortuum eſſe *pro hominibus* juxta Apoſtolum, & *pro multis* juxta Matthæum, quatenus multi ſunt ex eo, quòd omnes ſint. Unde apud Theophylactum ſ[illegible] Quas [illegible] locum illum *Matth.26.* ita legimus: *Nam omnes ſunt* [illegible] ſecutoribus,

Sententia eſt Græcorum Patrum, quòd ly *multis* idem eſt, ac omnibus, [illegible] ribus.

apud Euthymium in eundem locum habemus: *Scripturam frequenter multis dicere pro, omnibus.* Et patet: nam ad *Rom.* 5. dicitur: *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita, & per unius obeditionem juſti conſtituuntur multi.* Quibus verbis voluit Apoſtolus ſignificare peccatum originale transfuſum eſſe in omnes Adæ poſteros, non autem in multos tantùm.

5 Objicient 2. Chriſtus pro ſolis prædeſtinatis orabat, non verò pro reprobis, ùt patet ex illo *Joan.* 17. *Non pro Mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi.* Ex quo duo ſunt colligenda. *Primum:* Ergo ſalutem reproborum minimé deſiderabat. *Secundum:* Ergo pro eiſdem minimé fuit paſſus, & mortuus: nam præciſé loquendo ſecundùm æſtimationem orationis, aut mortis, plùs eſt mori, quàm orare; & pluris eſt facienda mors, quàm oratio; quanvis ex dignitate operantis pretium utriuſque operis valoris ſit infiniti, & æqualis meriti. Antecedens præterquam quòd ſit ex Sacro Textu apertiſſimum, confirmatur ex Sanctorum Patrum interpretatione, judicat enim Divus Auguſtinus in illa Chriſti oratione reprobos non fuiſſe incluſos. Auguſtinum ſequutus eſt Divus Thomas, nam *Lect.* 2. *in cap.* 17. *Joan.* inquit: *Non pro Mundo rogo, ideſt, pro Mundi dilectoribus.* Et in 3. *p.q.* 21. *art.* 4. *ad* 2. tenet *Chriſtum non oraſſe pro omnibus crucifixoribus, neque etiam pro omnibus, qui erant credituri in eum.*

Chriſtus oravit etiam pro reprobis.

6 Reſpondetur negando antecedens; licèt enim Chriſtus in ea oratione, quam ad Patrem fudit in cœnaculo, pro reprobis non oraverit; de qua oratione avulſum eſt præjactum illud Joannis teſtimonium; alibi tamen oravit. Unde doctiſſimus Pater Sylveyra Luſitanus ex Carmelitarum familiâ præclariſſimus Textûs Evangelici Commentator, ad relatum Joannis locum, *tom.* 5. *lib.* 7. *cap.* 20. *quæſt.* 8. inquirens: *Quare Chriſtus dixit, quòd pro ſuis diſcipulis orat, non verò pro Mundo?* Per ſequentia ſic ſolvit.

7 „ Ob hæc præſentia verba quidam fuerunt hæretici „ Scripturam malè intelligentes tempore Divi Auguſtini, (con- „ tra quos ipſe agit lib. de Prædeſtinatione, & Gratia) qui di- [illegible]bant Chriſtum Dòminum, ſolùm pro prædeſtinatis oraſſe, [illegible]m, ac mortuum eſſe. Ex quo aſtruebant, prædeſtinatis [illegible]cata eorum ſalutem impedire, nec reprobis ulla bo-

na

„ na opera prodeſſe ad ſalutem. Hanc impiam hæreſim, his „ ſæculis renovarunt Marc. Luth. Joannes Hus, & alii hæreti- „ ci.

8 „ Tamen ſacra Scriptura aperté, & claré docet Chriſ- „ tum Dominum oraſſe, & natum eſſe, ac paſſum pro omni- „ bus hominibus, etiam reprobis; qui ob ſua ſcelera, & peccata „ reprobantur, ac damnantur, 1. *Joan.* 2. *n.* 2. *Qui eſt propitiatio pro „ peccatis noſtris, non pro noſtris autẽ tãtùm, ſed etiam pro totius Mũdi.* „ Et pẽdens in Cruce pro ſui crucifixoribus oravit, *Luc.* 23. *n.* 34. „ *Pater, dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt.* Quod vaticina- „ tũ eſt à David *Pſalm.* 108. *n.* 4. *Pro, eo ut me diligerẽt, detrahebãt „ mihi, ego autem orabam.* Et *Iſai.* 53. *n.* 12. *Ipſe peccata multorum tulit, „ & pro tranſgreſſoribus rogavit.* Quòd verò Chriſtus ſit natus, „ paſſus, & mortuus pro omnibus; tota ſacra Scriptura, ac Fi- „ des Catholica profitetur, &c.

9 „ At Chriſtus in præſenti: *Pro eis rogo, non pro Mundo,* „ nomine Mundi intelliguntur homines contenti in Mundo; „ ſenſus eſt, ac ſi dicat Chriſtus: Non rogo modò pro omni- „ bus hominibus, nec enim ſemper, & ubique pro omnibus „ omnia petenda ſunt, ſed modò rogo peculiariter pro his meis „ Apoſtolis, utpote meis peculiaribus amicis, ac ſectatoribus, „ quibus ultimum vale dico; relinquens eos inter multas per- „ ſecutiones, ac adverſitates mei cauſâ: ac proinde multam cõ- „ fidentiam, ac conſolationem eis præbeo, dum ipſi præſentes „ audiunt me hac oratione mea eos Patri meo commendare, „ ut eos cuſtodiat, & ſervet. Deinde etiam nunc peculiariter „ orat pro eis, quia eos inſtituerat fundamenta, ac columnas „ ſuæ Eccleſiæ, ſic etiam peculiariter pro Petro oravit, quia „ ſuæ Eccleſiæ futurus erat caput. *Luc.* 22. *ſic ait: Ego rogavi „ pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Sicut ergo peculiariter pro „ ſolo Petro oravit, quia inter reliquos Pontificium ei tradide- „ rat, ſic etiam inter cæteros peculiariter orat pro undecim „ Apoſtolis, quia eos Eccleſiæ fundamenta deſignaverat.

Chriſtus ſicut aliquando pro ſolo Petro rogavit, ſic aliquando pro ſolis Apoſtolis.

10 „ Pro cæteris crediturìs infra in hoc cap. oravit *num.* „ 20. *Non pro eis autem rogo tantùm, ſed pro eis, qui credituri ſunt „ per verbum eorum in me.* Et pendens in Cruce pro perſecuto- „ ribus oravit: *Ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt. Luc.* 23. Quas „ preces tunc non fundebat pro diſcipulis, ſed pro perſecutori-

Oravit pro crediturìs, & pro perſecutoribus.

„ bus, ex quibus multi fuerunt reprobi, & damnati; ita etiam „ modò in cœnaculo orat pro diſcipulis, non verò pro perſe-„ cutoribus.

11 Ex his colligendum eſt nil reperiri apud Divum Thom.in primo illius teſtimonio n. 5. ſuprà relato, quod ſit Catholicæ veritati diſſonum: ſolùm enim probat Angelicus Præceptor eo loco, & tempore, Chriſtum non oraſſe pro Mũdi dilectoribus. In ſecundo autem teſtimonio cenſendum eſt, Divum Thomam hoc tantùm docuiſſe;quòd ſcilicet Chriſtus neque pro omnibus crucifixoribus, qui erant credituri in eum, oraverit efficaciter, ſed tantùm ſufficienter: eo ſenſu, quo ab eodem Sancto Doctore clariùs dictum eſt, ut vidimus præcedenti *num.3*.

12 Objicient 3. Innumeri propè homines ad Deum non veniunt per Fidem, imò, & per mores: ergo non vocantur à Deo, neque interius vocem ejus audiunt, inquit enim *Joan.6. Omnis, qui audivit à Patre meo, & didicit, venit ad me*; Atqui Deus ſalvare non vult eos, quos non vocat: ergo non vult ſalvare eos, qui ad ſe non veniunt. Minor ſubſumpta probatione non eget, neque enim videtur dicendum velle Deum ſalvare, & nolle vocare, cùm vocare, medium ſit ad ſalvare. Præſens teſtimonium Divi Joannis fortaſſe judicabitur non parum favens ſequenti propoſitioni, quæ inter damnatas eſt XVII. *Gratia eſt vox illa Patris, quæ homines interiùs docet, ac eos venire facit ad JESUM Chriſtum; quicunque ad eum non venit, poſtquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus eſt doctus à Patre.* Sed contra, multi enim audiunt vocantis Dei vocem, ad quem tamen venire nolunt, quapropter inquit Scriptura *Pſalm. 94. Hodie ſi vocem ejus audieritis,nolite obdurare corda veſtra.*Unde illud Joannis intelligitur de omnibus, qui Patrem efficaciter vocantem audierunt; quibus ita ſuadetur vox Patris, ut perſuadeatur, ut loquitur Divus Auguſtinus. Igitur ad argumentum reſpondeo conſequens eſſe verum, ſi intelligatur de vocatione congrua, ſeu efficaci; falſum autem, ſi de inefficaci vocatione intelligatur. Ad minorem ſubſumptam, reſpondeo falſò ibi ſupponi, aliquos eſſe homines à Deo non vocatos, nam in 1. *ad Timot.2.* inquit Apoſtolus: *Qui* (Deus) *vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Vocantur igitur omnes à Deo, non verò

In hoc Textu Joannis fundatur propoſitio 17.

Deus omnes vocat, ſed non efficaciter omnes.

verò omnes efficaciter, ſicut nec omnes vult efficaciter ſalvare. Sic intellige Aug. *de Præd.S.c.8.*

13 Inſtabis 1. Illi ſaltem homines, ad quos Evangelii prædicatio nunquam pervenit, quapropter venire ad Deum non poſſunt, nullum à Deo auxilium, nec ſaltem ſufficiens receperunt: ergo iis ſaltem æternam ſalutem Deus non vult. Confirmatur. Nam ex eo conſtat Deum velle omnes homines ſalvare, quia, ut diximus, auxilia ſaltem ſufficientia omnibus præſtat, quibus ad eum venire poſſint, ſi velint; quibus ergo præfata auxilia denegat, cùm ad Deum conſequenter venire non poſſint; dicitur enim *Joan.6. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*; eos dicemus Deum ſalvare non velle. Jam, quòd aliqui ſint infideles, ad quorum aures clangor Evangelicæ tubæ non ſonuit, patet experientiâ in diſſitis, ac barbaris aliquot nationibus, ferarum potiùs, quàm hominum more viventibus in quibuſdam remotiſſimis Orbis plagis, quod de Septentrionalibus refert Adamus Bremenſis. De his verificatur ad litteram illud Apoſtoli ad *Rom.10. Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante?*

Præſtet nè Deus omnibus auxilia ſufficientia.

De his, qui Evangelii notitiam non habent.

14 Sed contrà; quia ut teſtatur ſacra Scriptura *Pſal. 18. In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum::: nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus.* Ad quæ poſtrema verba ſic inquit Divus Auguſtinus *Expoſit.1. in Pſal.18. Cùm autem Verbum etiam caro factum eſt, & habitavit in nobis, mortalitatem noſtram ſuſcipiens, non permiſit ullum mortalium excuſare ſe de umbrâ mortis, & ipſam etiam penetravit verbi calor.* Quod autem ſic intelligendum vult Divus Proſp. *lib.2. de vocatione Gentium, cap. 29. ut neque ulli pereuntium, excuſatio ſuppetat de abnegato lumine veritatis.* Sibi accinit qui *cap. 17.* ejuſdem libri dixerat: *In extremis Mundi partibus ſunt aliquæ nationes, quibus non dum gratia Salvatoris illuxit:::: quibus tamen illa menſura generalis auxilij, quæ deſuper omnibus ſemper hominibus eſt præbita, non negatur.*

Nullus eſt homo deſtitutus omnino ſufficienti auxilio ad converſionem.

15 Igitur ad inſtantiam patet eſſe reſpondendum, negãdo id, quod in antecedẽte aſſumitur; videlicet aliquos eſſe homines, omni penitus auxilio, vel ſufficienti deſtitutos, ut ad Deum poſſint venire per Fidem. Ad cujus captum, diſtinguendum eſt duplex vocationis genus; unum, quod per Fidem trahit ad Deum;

Deum; aliud,quo per Fidem vocamur ad Chriſtum: & utriûſque meminit Divus Proſper ſupràcitatus poſtremo loco ex *cap.*17.*libri de vocatione Gentium.*Fateor igitur non omnibus ſemper tribui auxilia *proximè ſufficientia* ad Fidem, & converſionem in Chriſtum: nego tamen, aliquibus negari auxilia ſufficientia, ad Fidem, & converſionem in Deum; & conſequenter *remotè* ſaltem *ſufficientia* ad converſionem, & Fidem in Chriſtum, ut ex ſequentibus patebit.

De auxiliis ſufficientibus ad Fidem in Deum, & Chriſtum.

16 Patet ergo non omnibus dari auxilia proximé, & ſufficienter diſponentia,ut convertantur ad Chriſtum; quia juxta ordinem communis providentiæ in Chriſtum non credimus niſi ex prædicatione, (aut revelatione) quæ nondum pervenit ad omnes regiones gentium, ac ad ſingulos earum incolas. Quòd autem ad hos etiam perveniant auxilia ſufficientia ad Fidem in Deum, & remoté ſaltem in Chriſtum, patet ex ſequentibus.

17 Quælibet creatura, ex præciſâ ratione entis creati, eſt principium evidentiſſimum, quo rationalis animus ducatur abſtractivé ad cognitionem unius cauſæ primæ, ejus quoque virtutis, & Divinitatis; inquit enim Apoſtolus ad *Roman.*1. *Inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, à creatura hujus Mundi intellecta conſpiciuntur; ſempiterna quoque ejus virtus, & Divinitas, itaut ſint inexcuſabiles.* Hac cognitione excitati, & præſertim per auxilium Divinæ gratiæ, Deum ipſum jam cognitum inquirentes, per bona opera gradatim aſcendendo pervenire poterunt ad agnitionem Chriſti, aut ab hominibus acceptam, Deo ita diſponente,aut per Cuſtodem Angelum communicatam,aut per ipſum Deum mirabiliter infuſam.Quod quidem cõſequetur,ſi cũ gratia excitãte,& adjuvãte cooperãdo imprimis moveantur ad dolorẽ de peccatis præteritis; deinde ad ſervãdã in poſterum legẽ naturalẽ; poſtea ad eleemoſynas, & alia bona opera, rectæ rationi conſentanea exercenda, tãdẽ ad rogandum,& impetrandum aliquid à Deo. Quæ omnia ſi præſtent, (inquit Becan. 1.*p.c.*15.*de Reprobatione. quæſt.*7. *n.*9. cum Theologorum communi) præparantur ad maiora, præſertim ad Fidem Chriſti acceptandam. Si verò non præſtent, ſibi ipſis eſt imputandum, non verò Deo quaſi auxilia omnino neganti, aut omnium hominum ſalutem nullo modo deſideranti. Hanc veritatem confir-

confirmat Divi Thomæ doctrina *q. 14. de Verit. art.* 11. *ad* 1. licentis: *Si aliquis nutritus in ſylvis, vel inter bruta animalia, ductu rationis ſequeretur in appetitu boni, & fuga mali; certiſſimè eſt tenendum, quòd ei Deus vel per internam inſpirationem, revelaret ea, quæ ſunt ad credendum neceſſaria, vel aliquem Fidei Prædicatorem dirigeret, ſicut miſit Petrum ad Cornelium.* Hic, ut conſtat ex *Act. cap.* 10. ſervando legem naturalem, dando eleemoſynas, invocando Deum, impetravit, ut ab Angelo monitus, & ab Apoſtolorum Principe inſtructus, veram Fidem, & Baptiſmum reciperet. Hoc autem, quod Cornelio contigit, omnibus, qui Legem ſervaverint, evenire poteſt. Quod tamen, non viribus naturæ, ſed miſerenti Deo eſt tribuendum, ut inquit Divus Thom. *lect.* 3. *in cap.* 10. *Epiſt. ad Rom. Sed tamen hoc ipſum, quod aliqui faciunt, quod in ſe eſt, convertendo ſe ſcilicet ad Deum, ex Deo eſt, movente corda ipſorum ad bonum.* Quomodo autem movet, niſi auxilia præbendo? Quomodo autem hæc præſtat ad Fidem, & ſalutem auxilia, ſi eos ſalvare non vult?

18 Notandum hîc cum Aguirre *tom.* 3. *Theolog. Sancti Anſel. diſp.* 128. *ſect.* 1. eſſe veram fidem ſupernaturalem, & Theologicam, illam, quam haberet Gentilis deductam ex naturalibus argumentis, formatis tamen per lumen, & auxilium Divinæ gratiæ prævenientis, & excitantis, ex quo eſt ortus ille Fidei aſſenſus; qui proinde eſt initium aliquod ſalutis. Creaturæ igitur, ex quarum cognitione elicit Gentilis aſſenſum firmum in Deum, ad eum actum non concurrunt, ut cauſæ, ſed tantùm, ut occaſio ad hoc, ut intellectus Divina gratiâ præventus, & excitatus eliciat aſſenſum *veræ, & Theologicæ Fidei* (ut inquit Aguirre) *inchoatæ ſolùm, & imperfectæ, neque porrigentis ſe ad myſteria Fidei Chriſtianæ, quâ explicitè creditur Incarnatio, & myſterium Trinitatis, aliaque ejuſmodi; quæ nequeunt diſtinctè credi, niſi audiantur, nec audiri, niſi prædicante aliquo, ut loquitur Apoſtolus.*

Eſt vera, & Theologica Fides, quam haberet Gentilis deductam ex principiis naturalibus per auxilium tamē Divinæ gratiæ.

19 Dices commune eſſe Theologis cum Divo Thom. 2. 2. *q.* 10. *art.* 2. poſſe in quibuſdam hominibus barbaris reperiri infidelitatem purè negativam; hoc autem non poſſe ſubſiſtere, admiſſa præcedente doctrinâ. Aut enim ipſi barbari homines permittunt ſe duci auxilio ſupernaturali ad credendum in ipſum Deum, aut præfatum auxilium contemnunt; ſi primū,

jam

jam conſtituuntur veri Fideles per illum aſſenſum veræ, & Theologicæ Fidei: ſi autem ſecundum, non jam tantùm negativè, ſed privativè hæretici, & infideles conſtituuntur; nam ex propriâ malitia, credere recuſant.

20 Aſt reſpondetur adhuc infidelitatem negativam eſſe ſuperſtitem; & hoc ex duplici principio. *Primum.* Quia adhuc dabitur infidelitas quoad omnia myſteria Fidei, quæ nec prædicata, nec revelata fuerunt; ac proinde mere negativa, præcipuè, cùm nec fuerit aliqua obligatio illa inveſtigandi. *Secundum.* Quia in prima luce uſûs rationis Deus miſericorditer confert omnibus hominibus, etiam barbaris, auxilia ſaltem remotè ſufficientia, ad ipſum inquirendum, & amandum; ut docet Divus Thom. *2.2.q.86. art.6.* quem ſequuntur Gonet ibidem Godoy 1.2.*q.*109.*diſp.*40.§.*ultimo*; eis ſuffragantur Patres Salmanticenſes Carmelitani; ſic enim pleniùs verificatur illud Joannis 1. teſtimonium de Verbo incarnato: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum*; & illud Apoſtoli ad *Timoth.2.Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Qui igitur Deum in illâ luce non quæſierunt, nec in eum crediderunt, infidelitatem contrahunt negativam. Nam, licèt in actu, culpabiliter non crediderint, (ut cenſent præfati Doctores) attamen, nulla eis remanet cogitatio, advertentia, aut veſtigium ejuſdem veritatis objectivæ in primâ illâ luce ſibi ipſis repræſentatæ ad credendum. Ex quibus fit, quòd oblivio veritatis propoſitæ ad credendum, ſit naturalis, & invincibilis in ſe, licèt in ſuâ cauſa vincibilis; ac proinde etiam infidelitas redditur in ſe invincibilis, hoc eſt negativa.

Infidelitas negativa in nonnullis Gentilibus.

21 Inſtabis 2. Chriſti Paſſio, & mors nullam attulit utilitatem illis parvulis, qui in utero matris ſunt mortui; neque enim eis prodeſt gratia actualis eo, quòd careant uſu rationis; neque habitualis, quæ nullo unquam medio, aut remedio intra uterum potuit applicari: ergo ſaltem circa eos nulla in Deo fuit voluntas ſalvationis. Reſpondetur antecedens eſſe verum, ſi hoc tantùm intendat, quòd ſcilicet Chriſti Paſſio, & mors fructum non habet in his parvulis; eſſe tamen falſum, ſi velit Chriſti mortem, & Paſſionem non fuiſſe oblatam, pro ipſis etiam parvulis. Nec pluris refert, quòd actualis gratia non eis inſerviat, aut quòd habitualis non applicetur, Deus enim

QuanvisChriſti Paſſio, & mors nullum fructum habeat in parvulis, qui in utero matris ſunt mortui, pro illis tamen fuit oblata.

enim his parvulis deſignavit remedia peccati originalis juxta varia tempora legis naturalis, ſcriptæ, & novæ; queis infantes ſalutem conſequerentur, ſi eis parentes uterentur, uti poterant. Inſtituta igitur ſunt ea remedia ex voluntate generali, quam Deus habet ſalvandi omnes, & conſequenter eos parvulos. Cum hac tamen cohæret, ut aliquibus infantibus originalis peccati non applicetur remedium ex variis impedimentis, abortûs, negligentiæ, &c.

SECTIO X.

Extricantur alia argumenta, quæ adverſùs noſtram ſententiam objiciuntur, ex authoritatibus, & ratiociniis.

1 OPponent 1. illud Concilij Valentini 3. *cap.* 4. *Chriſtus non eſt mortuus pro his, qui in impietate mortui erant.* Ubi oſtenditur Chriſti mortem pro ſolis prædeſtinatis fuiſſe ordinatam, non autem pro reprobis. Reſpondetur aliam eſſe mentem Concilij, aliam hæreticorum aſtum, qui fruſtra tacere volunt ſequentia verba ejuſdem capitis, videlicet; *ante Paſſionem ejus.* Docet igitur Concilium loco citato, quòd *Chriſtus non eſt mortuus pro his, qui in impietate mortui erant ante Paſſionem ejus.* Et hoc non ita eſt intelligendum, ut mors Chriſti prævisa, ejuſdemque pretium, & redemptio non fuerit oblata etiam pro illis, *qui in impietate mortui erant ante Paſſionem Chriſti*, quando in hoc Mundo adhuc poſiti poterant conſequi æternam ſalvationem; ſiquidem intuitu Chriſti Paſſionis, & mortis data ſunt eis auxilia ſufficientia ad ſalutem. Solùm igitur ſanctum eſt à Concilio Valentino; pro his, qui erant jam in æterna damnatione poſiti, Chriſtum non fuiſſe mortuum, eo fine, ut pro eo ſtatu eis adhuc applicaretur copioſa Chriſti redemptio; dicitur enim: *In inferno nulla eſt redemptio.*

Chriſtus mortuus eſt, etiam pro antea damnatis, non tamen eo fine, ut etiam in eo ſtatu, mors Chriſti illis prodeſſet.

2 Opponent 2. quædam Divi Auguſtini teſtimonia, in quibus maximè fidunt hæretici, intelligentes hunc eſſe Doctoris Africani ſcopum, quòd teſtimonium illud 1. *ad Timoth.* 2. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, ita reſtrictè ſit interpretandum, ut nunquam univerſaliter accipiatur, ſed diſtributivè per

Quædam Divi Auguſtini teſtimonia adverſùs noſtrã doctrinam ſolutione difficillima.

per aliquot ex omnibus; quod ita colligi inquiunt ex Auguſtino *lib.* 4. *contra Julian.* c. 8. & *de Prædeſt. Sanctorum*, *cap.* 8. expreſſiùs autem ex *lib. unico de Correptione, & Gratia, cap.* 14. qui liber inſertus eſt tom. 7. editionis Baſileæ; ibi enim inquit:

Lucæ c. 11. v. 42. væ vobis Phariſæis, quia decimatis mentham, & rutá, & omne olus!

„ Ita dictum eſt omnes homines vult ſalvos fieri, ut intelligantur omnes prædeſtinati, quia omne genus hominum in eis „ eſt, ſicut dictum eſt Phariſæis: Decimatis omne olus; ubi „ non eſt intelligendum, niſi omne, quod habebant. Neque „ enim omne olus; quod erat in toto terrarum Orbe, decimabant. Secundum iſtum locutionis modum, dictum eſt; „ ſicut & ego omnibus per omnia placeo. (*Ex* 1. *ad Corint.* 10.) „ Nunquid ergo qui hoc dixit, placebat etiam tam multis perſecutoribus ſuis? Sed placebat omni generi hominum, quod „ Chriſti congregabat Eccleſia, ſive jam intus poſitis, ſive „ introducendis in eam.

3 Id ipſum teſtimonium Magni Auguſtini poſſunt adverſarii confirmare ex doctrina ejuſdem Sancti Doctoris in *Enchir. cap.* 105. ubi ſic inquit: „ Aut certè ſic dictum eſt, „ qui omnes homines vult ſalvos fieri, non quòd nullus hominum eſſet, quem ſalvum fieri nollet, qui virtutes miraculorum facere noluit apud eos, quos dicit acturos fuiſſe pœnitentiam, ſi feciſſet; ſed ut per omnes homines, omne „ genus humanum intelligamus, per quaſcunque differentias „ diſtributum: Reges, privatos, nobiles, ignobiles, ſublimes, „ humiles, doctos, indoctos, integri corporis, debiles, ingenioſos, tardi cordis, fatuos, divites, pauperes, mediocres, „ mares, fœminas, infantes, pueros, adoleſcentes, juvenes, „ ſeniores, ſenes, in linguis omnibus, in moribus omnibus, in artibus omnibus, in profeſſionibus omnibus, in voluntatum, „ & conſcientiarum varietate innumerabili conſtitutos, & ſi „ quid aliud differentiarum eſt in hominibus.

Pater Vaſques non rectè ſentiens de Auguſtini mente.

4 Præcedentes Divi Auguſtini expoſitiones ſupra locum illum 1. *ad Timot.* 2. ita Theologorum vexavit ingenia ad noſtram ſuſtinendam ſententiam, (ita inquam) ut non dubitaverit Pater Vaſqueſius aſſerere hunc locum Divi Pauli non eſſe à Divo Auguſtino rectè expoſitum; & ſic ſe expedit Theologus hic (verè clariſſimus) ab hac difficultate. Abſit autem, quòd de doctrina Auguſtini, quem omnes Doctores Magiſtrum

trum Optimum venerantur, ita judicemus. Scio Divum Auguſtinum à Summis Pontificibus longè aliter, quàm à Vaſquelio in 1. *p. diſp.* 83. *c.* 2. *num.* 12. ſæpe honorari; inquit enim Joannes Papa II. *in Epiſt.* 3. *quæ eſt ad Senatores*: *Sanctus Auguſtinus, cujus doctrinam, ſecundùm Prædeceſſorum meorum ſtatuta, Romana ſequitur, & ſervat Eccleſia.* Nec doctrinæ Catholicæ veritatem decet in aliquibus Auguſtinum habere ducem, in aliquibus oppugnatorem pati; & quæ damnat ab Auguſtino deviantes, ipſum deſerere non debet.

Doctrina Divi Auguſtini à SS. Pontificibus veneratione habita.

5 Igitur, reſpondeo Auguſtinum fuiſſe locutum de voluntate efficaci, & conſequente, non de voluntate antecedente, & inefficaci. Et in hoc ſenſu inquit in primo teſtimonio relato *num.* 2. de ſolis prædeſtinatis eſſe intelligendùm, quòd Deus omnes velit ſalvos fieri, quod eſt extra controverſiam. Quæres tamen unde ſit colligendum hanc eſſe propriam Auguſtini mentem? Reſpondeo id ipſum ex eodem libro, & ex eodem capite eſſe planum: in eo enim eſt Auguſtini ſermo de ea voluntate, qua Deus vult, & actu facit, quòd homines de viis ſuis malis actu veniant ad viam juſtitiæ; de illa iterum voluntate, cui nullum hominum reſiſtit arbitrium: de illa tandem voluntate, qua Deus de his, qui faciunt, quæ non vult, facit ipſe, quæ vult. Cùm autem hæc omnia, propria ſint voluntatis efficacis, & conſequentis, planum fit Auguſtini mentem in expoſitione præjacta in id duntaxat tendere, quòd in Deo voluntas efficax, & conſequens ſalvandi omnes homines ſit efficax, & conſequens voluntas ſalvandi ſolos prædeſtinatos, quod non tollit antecedentem, & inefficacem voluntatem ſalvandi reprobos; quam toties prædicat Scriptura, & ipſe Auguſtinus fatetur, ut diximus, & oſtendimus *Sect.* 8. per totam.

Auguſtini mẽs aperitur; ipſe autem loquitur de Divina voluntate ſalvandi omnes homines: quæ eſt efficax reſpectu omnium hominum; nõ collectivè, ſed diſtributivè per aliquos omniũ.

6 Ut autem conſtet Divum Auguſtinum in vero, & proprio ſenſu à nobis eſſe expoſitum, illud libri de Correptione, & Gratia caput decimum quartum fideliter tranſcribo.

Cùm autem homines per correptionem in viam juſtitiæ, ſeu veniunt, ſeu revertuntur, quis operatur in cordibus eorum ſalutem, niſi ille, qui, quolibet plantante, atque rigante, & quolibet in agris, atque arbuſtulis operante, dat incrementum Deus, cui volenti ſalvum fa-

cere nullum hominum reſiſtit arbitrium? Sic enim velle, vel nolle in volentis, aut nolentis eſt poteſtate, ut Divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem. De his enim, qui faciunt, quæ non vult, facit ipſe, quæ vult. Et quod ſcriptum eſt, quòd vult omnes homines ſalvos fieri, nec tamen omnes ſalvi fiunt, multis quidem modis intelligi poteſt, ex quibus in aliis opuſculis noſtris aliquos commemoravimus: ſed hic unum dicam. Ita dictum eſt, omnes homines vult ſalvos fieri, ut intelligantur omnes prædeſtinati, &c. ut ſuprà n. 2.

Divus Auguſtinus duplicem in Deo diſtinguit voluntatem, unam efficacem, unam ſufficientem.

7 Præterea: quia Div. Auguſt. capite citato duplicem in Deo diſtinguit voluntatem; quarum primæ arbitrium creatum non reſiſtit. Hæc eſt voluntas efficax, & conſequens. Alteri voluntati reſiſtit libertas creata, atque adeò non impletur. Hæc eſt voluntas inefficax, & antecedens. Inquit enim: *Non eſt itaque dubitandum voluntati Dei, qui in Cælo, & in terra omnia quæcunque voluit fecit, & qui etiam ea, quæ futura ſunt, fecit, humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quo minus faciat ipſe, quod vult; quandoquidem etiam de ipſis hominum voluntatibus, quod vult, cùm vult, facit.* Hæc autem omnia neceſſariò ſunt intelligenda de voluntate efficaci, & conſequente. Statim de voluntate inefficaci, & antecedente agens, ſic immediaté procedit: *Niſi fortè, ut ex multis aliqua commemorem, quando Deus voluit Sauli regnum dare, ſic erat in poteſtate Iſraelitarum ſubdere ſe memorato viro, ſive non ſubdere, quod utique in eorum erat poſitum voluntate, ut etiam Deo valerent reſiſtere.* Alia tandem proſequitur uſque ad finem ejuſdem capitis decimi quarti, quæ omnia ſunt dicta, & intelligenda de voluntate Dei inefficaci, & antecedente.

8 Unde, hoc citatum caput libri de Correptione, & Gratia; duplicem continet partem: prima eſt de voluntate conſequente, & efficaci, ſecunda de voluntate antecedente, & inefficaci. Quando igitur Sanctus Doctor dixit in prima parte, Deum ſolos prædeſtinatos velle ſalvos fieri, calamum imbibebat in voluntate efficaci & conſequente; quapropter, abs dubio eſt reſolvendum, quòd juxta doctrinam Divi Auguſtini, Deum ſolos prædeſtinatos, velle efficaciter, ſalvos fieri. Hoc tamen non tollit, quominus, & reprobos inefficaciter, & antecedenter velit ſalvos fieri, juxta doctrinam præcedentem.

9 Ad aliud teſtimonium Auguſtini, *num.* 3. relatum, cui

adhuc

adhuc ſupereſt reſpondendum, de voluntate Dei ſalvandi omnes, non generaliter, ſed diſtributivè, per quævis hominum genera, quatenus ſolum velit ſalvare aliquos ex omnibus hominnm ſortibus; reſpondeo ſimiliter ex Joanne de S. Thoma, in *primam p. diſp.* 5. *art.* 8. Deum omnes inefficaciter ſaltem, & antecedenter, velle ſalvos fieri, ſed ex omnibus, & diſtributione accommodata, velle efficaciter aliquos ſalvos fieri, nempe prædeſtinatos ſolummodo. Igitur Divus Paulus inquiens, Deum velle omnes homines ſalvos fieri, vel eſt intelligendus de voluntate antecedente,& inefficaci, ut vult noſter Damaſcenus; vel de efficaci, & conſequente, ut exponit Auguſtinus. Si primum; vult ſalvos fieri omnes homines, univerſaliter, nullo excluſo. Si ſecundum; vult ſalvos fieri omnes diſtributivé; hoſt eſt aliquos ex omnibus. Unde D. Thomas *in* 1. *diſt.* 46. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 1. ſic inquit: *Secundum Damaſcenum verbum Apoſtoli intelligitur de voluntate antecedente, & non de conſequente. Sed ſecundùm Auguſtinum intelligitur de conſequente, unde exponit eam dupliciter, uno modo,ut ſit diſtributio accommoda pro omnibus, qui ſalvantur; alio modo, ut ſit diſtributio pro generibus ſingulorum.* Hæc viam præparant ad facilem intelligentiam cujuſdam teſtimonii Div. Gregorij Papæ in 1. *Reg. lib.* 5. quod nobis ſolent objicere adverſarii; ſcilicet: *Omnes quippe homines vult ſalvos fieri, quia de omni genere hominum eligit, quos ad gaudium æternæ ſalutis trahit.*

Reſpondetur ſub eadem ſolutione ad aliũ locum D. Auguſtini relatũ *num.* 3.

10 Opponent 3. Juxta doctrinam Div. Auguſtini, omnes illi, pro quibus mortuus eſt Chriſtus,vitam æternam conſequuntur, aſt hoc non verificatur de reprobis: ergo pro reprobis, Chriſtus mortuus non eſt, ſed pro ſolis prædeſtinatis. Maior probatur, ex eo quia *Epiſt.* 2.*ad Evodium* inquit S. Doctor: *Non perit unus ex his,pro quibus mortuus eſt Chriſtus.* Et *ſerm.* 8. *in natali S. Vincentij* prædicat, *Chriſtum non perdere, quos ſanguine redemit.* Sed contra, nam etiam ex eis hominibus, quos Chriſtus accepit datos à Patre, & quos,dum in terris ageret, ſervabat & cuſtodiebat, dictum eſt periiſſe aliquem; ut conſtat ex *cap.* 17. *Joann. verſ.* 12. *Cùm eſſem cum eis, ego ſervabam eos, in nomine tuo, quos dediſti mihi, cuſtodivi: & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis.* Chriſtus autem cuſtodiebat & ſervabat, quos acceperat, orando, & moriendo pro eis: ergo juxta ſacrum

Multi pereunt ex eis, quos Chriſtus accepit à Patre.

crum Textũ; pareunt illi etiam, pro quibus Chriſtus eſt mortuus. Neque Auguſtinus nobis contradicit, ſolùm enim intendit, quòd cùm Chriſtus pro omnibus ſit mortuus, nullus hominum pereat ex defectu charitatis, aut virtutis Chriſti, in illis defendendis.

14 Opponent 4. Divum Thomam docuiſſe *in 3. p. q. 21. art. 4. ad 2. Chriſtum non oraſſe pro omnibus crucifixoribus, neque etiam pro omnibus, qui erant credituri in eum.* Et exinde colligent: **1.** Ergo Chriſtus non oravit pro omnibus. **2.** Ergo (& à fortiori) etiam non eſt mortuus pro omnibus. 3. Ergo, non fuit illi voluntas ſalvandi omnes. Reſpondeo Div. Thomam articulo citato, ſolùm docuiſſe orationem Chriſti, non fuiſſe à Patre exauditam pro omnibus, neque pro omnibus acceptam. Unde etiam docuit Chriſtum non oraſſe pro omnibus efficaciter, & abſoluté; ſed inefficaciter & ſecundùm quid, pro reprobis; videlicet òravit pro omnium ſalute, niſi obſtaret reproborum impietas, Divinam Juſtitiam provocans, & excitans ad pœnas pro demeritis infligendas. Ut autem mens Divi Thomæ citato articulo aperiatur, profero Angelici Doctoris ibidem doctrinam.

Chriſtus, quanvis ineſſicaciter, oravit pro omnibus, mortuus eſt pro omnibus; & omnes voluit ſalvos facere.

12 „Reſpondetur; dicendum, quòd (ſicut dictum eſt) „oratio eſt quodammodo interpetrativa voluntatis humanæ. „Tunc ergo alicujus orantis exauditur oratio, quando ejus vo- „luntas adimpletur. Voluntas autem ſimpliciter hominis eſt „rationis voluntas: hoc enim abſoluté volumus, quod ſecun- „dùm deliberatam rationé volumus. Illud autem, quod volu- „mus ſecundùm motũ ſenſualitatis, vel etiam ſecundùm motũ „volũtatis ſimplicis, quæ cõſideratur ut natura, non ſimpliciter „volumus, ſed ſecũdùm quid, ſcilicet, ſi aliud non obſiſtat, quod „per deliberationem rationis invenitur. Unde talis voluntas „magis eſt dicenda velleitas, quàm abſoluta voluntas; quatenus „ſcilicet homo hoc vellet, ſi aliud non obſiſteret. Secũdùm auté „voluntatem rationis Chriſtus nihil aliud voluit, niſi quod „ſcivit Deum velle. Et ideo omnis abſoluta Chriſti voluntas, „etiam humana, fuit impleta, quatenus fuit Deo conformis, „& per conſequens, omnis oratio fuit exaudita.

Textus Divi Thomæ pro confirmatione noſtræ ſolutionis.

13 Ecce ex hac doctrina duplex fuit in Chriſto orationis genus; unum ſecundùm voluntatem abſolutam, & efficacem; aliud

aliud ſecundùm velleitatem, ſive ſecundùm voluntatem inefficacem, & ſecundùm quid. Secundùm hanc voluntatem, & ſecundùm hoc orationis genus oravit Chriſtus pro omnibus; non verò, ſi oratio ſumatur primo modo. Corroborantur quæ diximus. Quia Divus Thomas loco præcitato ſolùm diſputabat: *Utrùm oratio Chriſti ſemper fuerit exaudita?* ut patet in titulo. Ad hanc quæſtionem reſolvit Chriſti orationem ſemper fuiſſe exauditam; ſi oratio fuerit effuſa ex abſoluta voluntate; non verò ex voluntate ſecundùm quid. Cùm autem in contrarium videretur inſurgere Chriſtum oraſſe pro omnibus crucifixoribus, non tamen fuiſſe exauditum; negat Sanctus Doctor Chriſtum pro his omnibus oraſſe: ergo hoc procedere dicemus in ſenſu ſuppoſitionis; hoc eſt, intelligendo de oratione abſoluta, ſecundùm voluntatem efficacem, quia in hoc ſenſu tantũmodo ſtatuit Divus Thomas Chriſti orationem ſemper fuiſſe exauditam; & inſuper, quia ſolùm in hoc ſenſu fuit locus objectioni.

An Chriſti oratio ſemper fuerit exaudita?

14 Opponent 5. Voluntas humana in Chriſto fuit omnimodè Divinæ voluntati conformis, ita, quòd nil aliud appeteret, niſi quod Deo placeret; ſed non eſt Divinæ voluntatis, quòd Judas v. g. æternam ſalutem aſſequatur: ergo neque Chriſtus pro illius ſalute oravit, neque Paſſionem, & mortem ſuam pro Judæ, & reproborum ſalvatione Deo obtulit: Reſpondetur non eſſe quidem Divinæ voluntatis conſequentis, & efficacis, quòd Judas, aut reproborum aliquis æternam vitam aſſequatur; eſſe tamen Divinæ voluntatis antecedentis, & inefficacis, quòd nullus eorum pereat, ſed habeat vitam æternam; ut conſtat ex dictis: quatenus Deus omnium hominum ſalutem primaria intentione, & in prima conſideratione vult; ut inquit Divus Thom. 1. *p. q.* 19. *art.* 1. Licèt hoc ipſum non velit conſideratione conſequenti, ſecundùm exigentiam demeritorum. Igitur Chriſti humana voluntas, Divinæ voluntati fuit conformis per omnia: peroptabat enim, & exorabat omnium ſalutem; aſt diverſo modo; reproborum enim ſecundùm ſe, prout eſt objectum voluntatis Divinæ antecedentis, & inefficacis; prædeſtinatorum autem, non ſolùm ſecundùm ſe, conſideratam ſolummodo ante circunſtantias conſequentes; ſed efficaciter etiam perſ-

Humana Chriſti voluntas per omnia fuit Divinæ voluntati conformis; etiã in eo, quod pro reprobis oraverit.

pectis, & attentis circunſtantiis, ſeu meritis eam comitantibus, & poſtulantibus: unde Divus Thomas *lect. 2. in cap. 2. Epiſt. 1. ad Timoth. Chriſtus eſt propitiatio pro peccatis noſtris; pro aliquibus efficaciter, ſed pro omnibus ſufficienter.* Et prædicto modo Paſſionem, & mortem ſuam Deo Patri obtulit pro reprobis JESUS Chriſtus.

Cenſura propoſitionũ, quas in hoc capite impugnavimus

15 Ex præcedentibus fit manifeſtum præfatas propoſitiones à nona uſque ad vigeſimam primam hinc inde incluſivè, eſſe non ſolùm falſas, & impias, verùm etiam hæreticas, utpote Eccleſiæ labiis, Conciliis, Patribus, communi Theologiæ, ac tandem Sacro Textui contrarias.

SECTIO XI.

Diſcutiuntur aliquæ difficultates ad complementum præcedentis doctrinæ.

Utrùm voluntas antecedens ſit beneplaciti, an ſigni?

1 ADmiſſa jam in Deo generali, & antecedente voluntate ſalvandi omnes, quod præcedentium ſectionum pondus ſatis reddit indubitabile, inquiritur à Theologis Orthodoxis, utrùm hæc antecedens voluntas ſit beneplaciti, an ſigni, ſeu, quod idem eſt; utrùm præfata voluntas ſit in Deo formaliter, & proprié, an tantùm methaphoricé? Hic autem inquirendi modus ſupponit voluntatem ſigni non eſſe in Deo formaliter, ſed metaphoricè, quatenus eſt quoddam ſignum, nullam ſupponens internam voluntatem, ſeu beneplacitum Dei. Hic modus exponendi voluntatem ſigni aliquos habet patronos, in eo fundatos, quòd, quando Deus permittit peccatum, videtur ſignificare, quòd illud velit; permiſſio enim unum eſt ex quinque ſignis Divinæ voluntatis, à Theologis communiter numeratis; aſt Deus peccatum non vult, imò illud omnino prohibet. Poteſt confirmari; quia Deus in præceptis nobis oſtendit ſuam voluntatem per ſignum: cùm tamen Abraham præcepit ut ſacrificaret Iſaac, ei non erat internus actus beneplaciti, ut hoc fieret. Alij é contra affirmant, illa externa ſigna ſemper importare internam in Deo voluntatem beneplaciti; eo quòd aliter eſſent falſa ſigna.

2 Approbo ſententiam Becani dicentis Deum per ſigna ſuæ voluntatis ſemper ſignificare aliquid velle per actum beneplaciti, non tamen ſemper ſignificare ſe id velle præciſè, quod primo aſpectu velle videtur. Unde quando permittit peccatum, ſignificat velle nos liberé operari. Quando illud prohibet, ſignificat velle nos operari recté. Et quando Abraham præcepit, ut ſacrificaret filium, indicavit ſe velle Abrahamum obedientem, & timentem Dominum; quapropter inquit Sacer Textus *Geneſeos* 22. 12. *Nunc cognovi, quòd timeas Deum.*

Voluntas ſigni ſemper importat aliquem actum internum beneplaciti.

3 Aſt, quidquid ſit de hac re, de qua ſolùm mentionem feci, ut intelligeretur ſenſus Authorum, noſtram in præſenti difficultatem, non claris terminis excitantium; noſtra controverſia ſolùm eſt: Utrùm voluntas Dei antecedens de omnium ſalute habeat pro objecto immediato, & in ſe volito ſalvationem omnium, an potiùs terminetur duntaxat ad media, ſive proxima, ſive remota, quibus homines ſalvari poſſint, quin iſta ſalvatio ſit in ſe volita? Reſpondeo Deum proprié, & non metaphoricè voluntate beneplaciti, non autem ſigni velle omnium ſalvationem in ſe, habendo eam pro objecto ſuæ volitionis. Ita Alvares, Joannes à Sancto Thoma, Salmanticenſes, Reding. putoque eſſe expreſſam Divi Thomæ ſententiam, nam *de Verit. q.* 23. *art.* 3. inquit: *Voluntas de Deo proprie dicitur, & hæc eſt voluntas beneplaciti, quæ per antecedentem, & conſequentem diſtinguitur.*

Verus ſenſus quæſtionis ſuperiori numero 1. excitatæ.

Nota, quòd Divus Thomas dividit voluntatē beneplaciti in antecedentem, & conſequentem: ergo utraque participat de voluntate beneplaciti.

4 Probatur noſtra ſententia *primò.* Quia ex oppoſita ſunt veræ iſtæ conſequentiæ: ergo Deus proprié, & veré loquendo, non vult ſalutem omnium hominum: ergo Deus ſolùm metaphoricè vult reproborum ſalutem: inquit enim Divus Thom. 1. *p. q.* 19. *a.* 11. *Voluntas propriè dicta eſt voluntas beneplaciti, voluntas autem metaphoricè dicta eſt voluntas ſigni.* Hæc autem ſuſtineri non licent, nec valent. Ratio eſt: quia Concilium Arelatenſe, & Cariſiacenſe proponunt tanquam Fidei Catholicæ dogma omnibus credendum, Deum velle omnes ſalvare; aſt Fides Catholica non proponit metaphoras credendas, quæ in re non ſint, tanquam articulos, pro quorum veritate defendenda innumeræ vitæ eſſent ponendæ. Allegata Concilia vide præcedente *ſect.* 8. *n.* 12. *& n.* 13.

Cúm voluntas ſigni ſit metaphoricè tátúm dicta voluntas, tenendum eſt volútatem antecedentem nō eſſe voluntatē ſigni, ſed beneplaciti.

Pro-

5 Probatur *ſecundò*; quia hæc ſententia, noſtræ reſolutioni oppoſita, in re ab Hæreticorum doctrina (aſſerente Deum non velle omnium hominum ſalutem) non differt, aut ſaltem ipſi eſt admodum affinis. Neque enim Lutherus, aut Calvinus unquam negavit Chriſtum inſtituiſſe Baptiſmum, & alia Sacramenta pro omnibus, quæ ſunt ſigna, quibus oſtendit ſe velle omnium ſalutem. Neque item Hæreticus aliquis negavit, Chriſtum ſæpe ſignificaſſe ſe velle reproborum ſalutem ſecundùm ſigna externa, præcipuè cùm id ipſum ſit meridiana luce clarius in Scripturis; dicitur enim Ezech. 33. v. 11. *Nolo mortem impij, ſed ut convertatur impius à via ſua, & vivat. Convertimini, convertimini à viis veſtris peſſimis.* Et *Proverb.* 1. v. 24. *Vocavi, & renuiſtis, extendi manus meas, & non fuit, qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis.* Et tandem *Actor.* 7. 51. *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.* Cùm igitur oppoſitæ ſententiæ Patroni docent voluntatem Dei ſalvandi reprobos non eſſe terminatam ad illorum ſalutem, ſed ſolùm ad media, ad illorum ſalutem ſufficientia; in quorum inſtitutione indigitat ſe velle reproborum ſalvationem, nulla habita interna volitione; non invenio qualiter in re differant ab Hæreticis qui eidem ſententiæ ſubſcribere non renuunt.

Periculoſa eſt ſententia docẽs volũtatem antecedentem, eſſe tantùm ſigni, & non beneplaciti.

6 Probatur *tertiò*. Quia voluntas mediorum neceſſariò infert volitionem finis. Ratio eſt, quia velle, ac diſponere media, aliter, quàm ex intentione finis, eſt præter intentionem, nec competit agenti rationali, & à fortiori nec Deo, perfectiſſimo Actori. Ergo ſicut qui efficaciter vult media efficacia, vult etiam efficaciter finẽ: ſic qui in efficacia media vult, etiam inefficaciter appetit finem. Quia igitur Deus confert media inefficacia, ad reproborum ſalutem ſufficientia, ut diximus *cap. 5. ſect. 2. per totam, & cap. 7. ſect. 1. num. 3.* ſufficienter etiam, & inefficaciter vult reproborum ſalutem, volitione terminatâ, ad ſalutem ipſam. Sive, aliter aſſumendo. Quia Deus per voluntatem ſigni, vult media inefficacia, ſive ſufficientia ad ſalutem reproborum, volitione terminatâ ad præfata media, ut inquiunt adverſarii, neceſſariò dicendum velle etiam eandem ſalutem reproborum, ut finem.

Sicut Deus per volũtatem ſigni vult media inefficacia ad ſalutem, ita inefficaciter appetit eandem ſalutem.

7 His autem, & aliis firmiſſimis fundamentis non obſtan-

tibus, adhuc ſunt graviſſimi Doctores ſententiæ contrariæ faventes. Pro ea citantur Scotus *in* 1.*diſt*.47.*q.un.num*.3. Eſtius *in* 1.*diſt*.46.§.3. Bannes, Zumel, & alii. Pater Vaſques trahit in hanc ſententiam Divum Bonaventuram; ipſe tamen expreſſé docet oppoſitum, ut notat, ac demonſtrat noſter Illuſtriſſimus Abbas, & Princeps Reding. *Tom*. 1. *Theologiæ ſcholaſticæ q*.6. *de volunt. Dei art*.4. *Controverſ*.2.*n*.3. Hæc ſunt præcipua hujus partis fundamenta.

8 Primum. Quia propriè, & formaliter nulla eſt in Deo voluntas, præter efficacem, voluntas antecedens ſalvandi omnes homines non eſt efficax, ſiquidem non ſortitur effectum: ergo non eſt in Deo propriè, & formaliter. Maior probatur primò ex illo Iſaiæ 46. *Omnis voluntas mea fiet*. Secundò ex illo *Pſalmi* 134. *Omnia quæcunque voluit Dòminus, fecit*. Sed contrà, conſtat enim ex Matth. 23. ad Jeruſalem, ſic Dominum fuiſſe locutum: *Volui congregare filios tuos, & noluiſti*. Igitur neganda eſt maior. Neque probationes valde urgét, nam Sacra Scriptura citatis locis eſt interpretanda de omni, ac ſola voluntate efficaci, quin tamen excludatur voluntas inefficax, & antecedens. Sic Divus Thom. multis in locis. **Falſó dicitur in Deo ſolam voluntatem efficacem dari.**

9 *Secundum*; ex doctrinà Scoti. Omnipotenti nullum poſſibile eſt arduum: ergo quidquid Omnipotens voluerit, fiet, & ideo non fiunt plura, quia ab Omnipotente non ſunt volita. Patet conſequentia. Aut enim non fiet aliquid ex defectu potentiæ, & virtutis operatricis; aut ex eo, quia non eſt voluntas ad id. Non primum; Deus enim eſt omnipotens: ergo defectu veræ, & propriæ voluntatis. Quæ igitur dicimus, Deum eſſe, aut fieri velle, nec tamen ſunt, aut fiunt, ſolùm dicemus Deum metaphoricè velle, & ſolùm ſignatè eſſe volita. Confirmatur; quia voluntas beneplaciti, eſt ultima, & actualis determinatio Omnipotentiæ ad effectum volitum, ponendum in re extra cauſas: ergo quæ extra cauſas non ſunt, neque etiam ſunt volita, propria, & beneplaciti voluntate.

10 Reſpondeo, diſtinguendo conſequens. Ergo quidquid Deus voluerit, voluntate conſequenti, & efficaci fiet, concedo; voluntate antecedente, & inefficaci, nego conſequentiam. Unde ad probationem illius dicendum Deum quamplura velle voluntate beneplaciti, quæ tamen non fiunt; quia non ſunt vo-

lita;

Certum eſt, quòd ea, quæ non exiſtunt, Deus non vult eſſe; ſed hoc intelligitur de voluntate efficaci, nam multa non exiſtunt, cùm tamen, Deus ea velit voluntate inefficaci.

lita voluntate efficaci (licét beneplaciti) ſed voluntate inefficaci. Nunc ad confirmationem: ad cujus antecedens reſpondeo voluntatem beneplaciti aliam eſſe in ſe abſolutam, & ſe habentem per modum determinationis, ſeu actionis æternæ, & cauſalitatis Deo intrinſecæ, & ſtatuentis poſitionem phyſicam in eſſe actuali, effectuum creandorum: aliam eſſe conditionalem; quæ licét ex parte actûs Divini, ſit quidem abſoluta, & libera determinatio voluntatis Divinæ, ex parte tamen objecti, ſeu effectûs per ipſam prædefiniti involvit aliquam conditionem. Sumptà igitur voluntate beneplaciti priori modo, fieri non poteſt, quòd effectum ipſa non ſortiatur, ipſa enim hoc modo conſiderata eſt ultima determinatio cauſalitatis, ſive Omnipotentiæ. Poſteriori modo ſumpta non eſt ultima determinatio Omnipotentiæ, & cauſalitatis Divinæ, quia conditiones ex parte objecti non implentur. Hàc ratione voluntas antecedens, quanvis ſit voluntas beneplaciti, Omnipotentiam non ultimò determinat; quia præfata volitio, quam Deus habet, ſalvandi omnes, eſt, niſi aliqui peccatis ſuis Divinam Juſtiam provocent ad eorum punitionem, &c.

11 *Tertium.* Deus ante prævisa demerita vult aliquibus non dare Gloriam ſuam, quia hæc eſt indebitum beneficium, quod non omnibus præſtare vult. Et hæc eſt reprobatio negativa, ut dicitur à Modernis apud Gonet *tom.* 2. *diſp.*5. *art.*2. de quà reprobatione ante prævisa demerita inquit D. Th. *in* 1. *ad Anibaldum diſt.*41.*q.unicâ,art.*3.*Voluntati Divinæ de ſalute hominis duplex voluntas opponi videtur, ſcilicet, voluntas de contradictorio, ſecundùm quam vult aliquem non ſalvari; & voluntas de contrario, ſecundùm quam vult aliquem damnare. Prima quidem voluntas non requirit aliquam rationem ex parte voliti, cùm ſalus Gloriæ non ſit debita naturæ humanæ; non enim requiritur ratio, quare non dem alicui, cui dare non debeo.* Igitur iis ſaltem, quibus Deus ante prævisa demerita non vult dare Gloriam, ſolùm metaphoricé voluit ſalutem voluntate antecedente. Confirmatur primò: quia hæc reprobatio negativa, ſeu voluntas non dandi Gloriam aliquibus eſt voluntas antecedens: ergo non fuit in Deo voluntas antecedens dandi Gloriam ipſis. Confirmatur ſecundò. Quia juxta Divum Thomam citatum, ſunt repugnantes voluntas antecedens dandi Gloriam omnibus, & hæc antecedens voluntas non dandi Gloriam aliquibus.

Negativa reprobatio quæ?

12 Reſ-

12 Reſpondetur admittendo totam doctrinam, quæ continetur in antecedente præjacti argumenti, & negando conſequentiam; non enim implicat voluntas antecedens dandi Gloriã omnibus cũ illa negativa reprobatione,ſeu volũtate nõ dandi Gloriam aliquibus. Ratio eſt, quia illæ diverſæ voluntates habent diverſa objecta formalia ; nam voluntas antecedens ſalvandi omnes movetur finaliter ab intrinſecà voluntate Dei; propter quam vult omnes homines ſalvos fieri: aſt voluntas,licèt antecedens,non dandi Gloriam omnibus movetur finaliter ab intrinſeca Dei juſtitia, propter quam oſtendendam vult Deus non dare Gloriam omnibus, utpote naturæ indebitam. Igitur,attenta bonitate Divina,eſt in Deo voluntas antecedens ſalvandi omnes. Perſpecta verò Divina Juſtitiâ, eſt in Deo voluntas non ſalvandi aliquos. Neque in hoc invenio ſpecialem difficultatem. Sicut enim in Deo, ut ſuprà oſtenſum eſt, propter diverſa objecta formalia admittitur voluntas inefficax ſalvandi omnes, & efficax non ſalvandi aliquos; ſic non mirum,ſi admittatur generalis,& inefficax voluntas ſalvandi omnes cum voluntate efficaci (impletur enim hæc voluntas) non dandi Gloriam aliquibus. Sicut ob eandem rationem fuit in Chriſto voluntas de ſua morte, & non fuit de eadem morte voluntas, quælibet enim voluntas diverſum reſpiciebat objectum formale: in primo enim caſu reſpiciebatur mors, ut Animarum remedium; in ſecundo, ut Chriſto malum naturale, omnium terrebilius. Ex quibus reſpondetur ad primam confirmationem, quòd, licèt utraque voluntas ſit antecedens, utraque eſt compatibilis. Ad ſecundam reſpondetur ex Divo Thomà has duas voluntates nõ eſſe oppoſitas,ſed tantùm videri oppoſitas, ut probat hoc ultimum argumentum.

Cum voluntate antecedenti ſalvandi omnes non repugnat antecedens voluntas non dádi Gloriam aliquibus.

13 Inquiritur amplius: Utrùm hæc voluntas antecedens ſalvandi omnes habeat aliquam efficacitatem? Seu utrùm Deus ex vi hujus volũtatis præparet,ac offerat omnibus auxilia ad ſalutem ſufficientia? Affirmativè. Quia, cùm Deus velit omnes homines ſalvare, omnes obligat ad præcepta ſupernaturalia ſervanda, hæc enim ſunt gradus, per quos in Cælum conſcendimus; ſed præcepta ſupernaturalia impleri non poſſunt abſque auxiliis ſaltem ſufficientibus: ergo non eſt dubitandum hæc à Deo hominibus præparari; aliàs ab ipſo Deo obligarentur

Deus ex voluntate hac antecedente omnibus offert auxilia ad ſalutem ſufficientia.

tur ad impoſſibile. Vide quæ diximus *cap.6.Sect.2.à num.1.* & *cap.7.Sect.2.à num.1.* Cõfirmatur ex doctrinâ Divi Thomæ variis in locis, colligentis Divinam præparationem auxiliorum ſufficientium pro omnibus ex hac generali voluntate ſalvandi omnes. Quapropter in 1.*d.*46.*q.*1.*a* 1.inquit: *Hujus voluntatis effectus eſt ipſe ordo in finem ſalutis, & promoventia in finem, omnibus communiter propoſita tam naturalia, quàm gratuita.* Et *cap.*12. *in Epiſt. ad Hebr. lect.* 3. ait: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ideo gratia nulli deeſt.* Tandem *lib.*3.*contra Gent. cap.*159. ſic ſcribit: *Deus quantum in ſe eſt, paratus eſt omnibus dare gratiam, vult enim omnes homines ſalvos fieri.*

14. Sed contrà obſtare videtur, quòd juxta doctrinam Divi Thomæ, cujus ſuprà memini *Sectione præcedente num.*12. voluntas antecedens, cùm ſit voluntas ſolùm ſecundùm quid, eſt tantùm quædam velleitas: ergo Deus, cùm per illam abſolutè non velit, nihil abſolutè per illam operatur. Et poteſt confirmari primò ex doctrina Divi Thomæ *in* 1.*diſt.*47.*q.*1.*art.*2. docentis operationem Dei non correſpondere ejus voluntati antecedenti, ſed conſequenti. Unde videtur Deum per voluntatem antecedentem non præparare ulla media ad ſalutem ſufficientia, ac inde voluntatem antecedentem nullam habere efficacitatem. Poteſt confirmari ſecundò exemplo infantium in utero morientium, & adultorum, quibus Evangelium non eſt prædicatum. Reſpondetur voluntatem eſſe quidem velleitatem reſpectu ſalutis æternæ; eſſe verò voluntatem abſolutè, & ſimpliciter reſpectu mediorum inefficacium, & ſufficientium ad ſalutem. Unde ad primam confirmationem reſpondeo operationem Dei circa effectum principalem, hoc eſt circa ſalutem, correſpondere voluntati conſequenti, ut eſt doctrina Divi Thomæ; at verò operationem Dei circa effectum minus principalem tantummodò, ut ſunt media ſufficientia, & auxilia inefficacia tantùm, correſpondere voluntati antecedenti, ut liquet ex teſtimoniis Divi Thomæ paulò ſuprà relatis. Quid autem ſit reſpondendum ad ſecundam confirmationem, vide præcedente *Sect.9.à num.*13.*uſque in finem.*

Voluntas antecedens eſt quidem ſimpliciter & abſolutè voluntas reſpectu mediorum inefficacium, quanvis reſpectu æternæ ſalutis ſolùm ſit velleitas.

CA-

CAPUT VIII.

EXPONITUR SENSUS PROPOSITIONUM XXII. XXIII. XXIV. XXV. & earum errores impugnantur.

1 QUAS impugnandas ſumimus propoſitiones, ita efficacitatem gratiæ plus juſto extollunt, ut libertatem creatam omnino deprimant: ita enim habent XXII. *Concordia Omnipotentis Dei operationis in corde hominis cum libero ipſius voluntatis conſenſu, demonſtratur illico nobis in Incarnatione, veluti in fonte, atque Archetypo omnium aliarum operationum miſericordiæ, & gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes à Deo ſunt, ſicut ipſa originalis operatio.* XXIII. *Deus ipſe nobis ideam tradidit Omnipotentis operationis ſuæ gratiæ, eam ſignificans per illam, quæ creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam.* XXIV. *Juſta idea, quam Centurio habuit de Omnipotentia Dei, & JESU Chriſti in ſanandis corporibus ſolo motu ſuæ voluntatis, eſt imago ideæ quæ haberi debet de Omnipotentia ſuæ gratiæ in ſanandis animabus à cupiditate.* XXV. *Deus illuminat Animam, & eam ſanat æquè, ac corpus ſolâ ſuâ voluntate, jubet, & ipſi obtemperatur.*

Propoſitiones 22. 23. 24. & 25.

2 Nullo autem negotio opus eſt, ut pateat quantum ex his propoſitionibus extollatur gratia, & deprimatur libertas: ſicut enim nulla fuit humanitati libertas, ut terminaretur per ſubſiſtentiam Æterni Verbi illam aſſumentem, ita dicitur non eſſe liberum homini Divinæ gratiæ efficaci reſpondere. Idem inſtituitur aliis exemplis creationis, reſuſcitationis, & ſanationis; tam enim neceſſarium ducitur creaturam fieri ex nihilo, mortuum reſuſcitari, & corpus ſanari ex ſolo Chriſti vocis imperio; ac hominem voci Dei congruæ obtemperare, & ab in-

Intendũt propoſitiones relatæ, quòd efficacitas gratiæ in agendo noſtram comprimat libertatem, neque ullam cooperationem noſtrâ admittat.

 firmitatibus

firmitatibus Animæ, & morte ſpiritûs ad vitam, & ſanitatem redire. Sicut enim non eſt liberum creaturæ obicem ponere ſuæ origini, & creationi; ſicut non eſt mortuo liberum, reſuſcitationem impedire, aut corpori non admittere ſanitatem ex miraculo, & merà Dei voluntate, ita dicitur non eſſe liberum voluntati, reſiſtere vocationi Dei efficaci.

Qualednam ſit præſentium errorum fundamentum.

3 Ratio, ſeu deli*ratio*, quâ decepti præſentium errorum Authores ducuntur, eſt: quia cùm juxta illorum principia, ſolus Chriſtus ſit, qui operatur in nobis omne bonum, & quodcunque illud ſit, ut conſtat ex propoſitionibus 73.74.75. itemque ex dictis *cap.4.ſect.2.à num.*1. nulla libero arbitrio relinquitur cooperatio, nulla ad reſiſtendum, aut aſſentiendum libertas, ut traditur in illis propoſitionibus, quas *cap.7.* impugnavimus. Ex his fit apertum quatuor errores in præſentibus reperiri. Primo enim tollitur libertas creatâ. Secundo, negatur noſtra cum gratia cooperatio. Tertio meritum omnino reſcinditur, aut ſaltem (Quarto) ſtatuitur ad merendum, vel demerendum ſufficere libertatem à coactione. Hæc abſurda impugnaturus totidem juxta Catholicam doctrinam Theſes per ſequentem ſectionem inſtituo.

In quatuor præcipué errát hæ propoſitiones.

SECTIO I.

Præcedentes errores corriguntur.

Efficax operatio Divinæ gratiæ noſtram nõ lædit libertaté.

2 THeſis prima. Operatio Divinæ gratiæ in nobis, ſeu potiùs nobiſcum cooperatio, humanam libertatem non lædit. Oppoſitum eſt hæreticum, noſtra enim theſis conſtat ex Tridentino *ſeſſ.* 6. *cap.* 5. ubi definitur hominem ad juſtificationem, liberé aſſentiri, & cooperari Divinæ gratiæ. Item *eadem Seſſ. Canone* 4. anathemate feriuntur, qui dicunt liberum hominis arbitrium cooperando, & aſſentiendo Deo vocanti, & moventi, non poſſe diſſentire, ſi velit. Unde Divus Anſelmus *in Matth.6.* inquit: *Contingere aliquando, ut Deus per miſericordiam velit de aliquo pravo, quòd ſit juſtus, & conferat illi gratiam ſuam; & tamen per liberum arbitrium contradicat, nec gratiæ Dei conſentiat, &c.* Maximus Monach. *de Incarnat v.cap.3. in voluntate noſtrà relicta eſt ſalus noſtra.* Divus Thom. *in 2.diſt.25.art.*

1.*in*

1. *In libero arbitrio hoc modo agit Deus, ut virtutem agendi miniſtret, & ipſo operante, liberum arbitrium agat.* Confirmatur ex Sacro Textu, 1. *ad Cor. cap. 3. v. 8.* nam ubi Textus Vulgatæ legit, *Dei enim ſumus adjutores*, habetur in originali Græco: *Dei ſumus cooperatores*. Quomodo autem cooperatores, ſi non liberi cum eodem Deo liberé operante? Non tamen eſt, cur amplius immoremur in hoc puncto, de quo jam latiùs egimus *cap. 7. ſect. 5.* ubi præſens error eſt fortiter impugnatus.

Oſtenditur noſtra cum efficaci gratia cooperatio.

2 Theſis ſecunda. Efficacitas Divinæ gratiæ, ejuſque in nobis operatio noſtram non rejicit, aut excludit cooperationem. Ita ſanctum eſt à Tridentino, & Arauſican. II. conſtatque ex Sacra Scriptura, ut videri eſt *præcedentibus cap. 4. ſect. 2. à num. 8. & cap. 6. ſect. 4. num.* 1. ubi noſtra Theſis acriter fuit propugnata, & adverſa ſententia impugnata. Hæc veritas eſt plana ex Apoſtolo Paulo ſæpe excitante, ut cum gratià cooperemur. Unde *Ad Corint. 6. Exhortor vos, nè in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Eandem ex parte noſtra cooperationem prædicat Iſai. 1. dicens: *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum.* Et ni eſſet vera hæc doctrina, injuſtè conquereretur Deus de libero hominum arbitrio ex eo, quòd illi volenti ſalvare libertas creata ſæpe reſiſtat, nec velit cooperari. Unde *Proverb. 1. 24. Vocavi, & renuiſtis, extendi manum meam, & non erat, qui aſpiceret. Actor. 7. 15. Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.* Reliqua, nè moras nectere videamur, inveniuntur ſupracitatis locis.

Dari actiones meritorias de fide conſtat.

3 Theſis tertia. Præfatæ propoſitiones, quas impugnamus, omnem rationem meriti penitus reſcindunt, ſed immeritò. Duo aſſeruntur: primum; ex adverſariorum dogmatibus rationem meriti excludi: ſecundum; hoc eſſe falſum, & erroneum, imò & hæreticum, eſt enim contra Scripturam, Concilia, & Patres. Oſtendo igitur in primis veram eſſe meriti exiſtentiam; non ſolùm contra hujus temporis hæreticos, verùm etiam contra Calvinum *lib. 3. Inſtitutionum, cap. 12. §. 4. & cap. 14. §. 9.* nihil enim frequentiùs, aut apertiùs habetur ex Scriptura; nam *Eccleſiaſt. 16. Unicuique miſericordia faciet locum, ſecundùm meritum operum ſuorum. Sapient. 5. Apud Dominum eſt merces eorum. Matth. 5. Merces veſtra copioſa eſt in Cælis.* Et *cap. 16. Reddet unicuique ſecundùm opera ſua. Ad Corint. 1. cap. 3. Unuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundùm*

laborem ſuum. *Ad Hebr.* 10. *Nolite amittere confidentiam veſtram, quæ magnam apud Deum habet remunerationem.* *Ad Corint.* 2. *cap.* 4. *Id, quod eſt momentaneum, & leve noſtræ tribulationis, æternæ gloriæ pondus operatur in nobis.* *Apocalyp.* 22. *Ecce venio citò, & merces mecum eſt, reddere unicuique ſecundùm opera ſua.* Idem habetur ex Conciliis Arauſicano II. *Can.* 8. Lateranenſi *cap. Firmiter, de Summa Trinitate.* Florentino in *Litteris unionis.* Tridentino *Seſſ.* 6. *cap.* 16. Confirmant idipſum SS. P.P. ut videri eſt apud Bellarm. *lib.* 5. *de Juſtificat. cap.* 4. Vaſq. *diſp.* 203. & alios. Ratio id etiam demonſtrat; nam meritum ſic definiri ſolet: *Opus, propter quod debetur homini à Deo alicujus præmii retributio*; aliquibus autem operibus humanis debetur præmii retributio, ut probant ſacra teſtimonia paulò ſuprà relata: ergo jam habemus infallibilem exiſtentiam meriti.

Quomodo definiatur meritum.

4. Jam ad oſtendendam alteram partem præcedentis aſſerti; videlicet ex harum propoſitionum doctrina, meritum abſolutè exulare. Noſtrum fundamentum firmiſſimum eſt. Avulſa libertate, nullum eſt, aut eſſe poteſt meritum; relatæ propoſitiones contendunt, quòd per gratiam efficacem deperdatur libertas creata: ergo excludunt omnem rationem meriti. Maior eſt Theologis principium indubitabile. Videatur Becanus *Tract.* 4. *c.* 5. *q.* 1. *De Merito Catholic.* Gonet. *tom.* 4. *diſp.* 2. *de Merito Juſti, art.* 2. Idem reperitur paſſim apud Divum Thom. præſertim *q.* 114. *art.* 1. Eadem maior, in qua eſt totum diſſidium, multipliciter fit indubitabilis.

Hæ propoſitiones, dũ noſtram cooperationem liberam cum gratia negant, excludũt omnem rationem meriti.

5. Primò: quia in ſacro Textu nullus actus cenſetur meritorius, niſi ſit liber; unde Sapienſ. *cap.* 31. *Eccleſ.* illum dicit juſtum, & vitam æternam mereri, *qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit.* Et Apoſtolus *ad Corint.* 1. *cap.* 9. *v.* 17. *Si volens hoc ago, mercedem habeo; ſi autem invitus, diſpenſatio mihi credita eſt.* Secundò; quia hæc eſt ſanctorum Patrum, totiuſque Eccleſiæ communis doctrina. Unde Auguſt. *quæſt.* 24. *Neque peccatum, neque rectè factum imputari cuiquam juſtè poteſt, qui nihil fecerit.* Si ergo omnes operationes humanæ, quæ in gratia factæ ſunt, ita neceſſariò fiunt, ut à Deo pendeant, ſicut ipſa Incarnatio, (ut dicitur propoſitione XXII.) quæ humanitati non fuit libera, imò in qua Humanitas nihil habuit activitatis, nulla actio juſtè imputabitur ad me-

Meritum nullum eſt ſine libertate.

meritum, ut inquit Divus Auguſtinus. Idem *lib. 2. contra Fortunatum* ſic inquit: *Quis autem dubitet non deferri præmium, niſi ei, qui bona voluntate aliquid fecerit?* Et iterum: *Ego dico peccatum non eſſe, niſi propria voluntate peccetur; hinc eſſe & præmium, quia propria voluntate rectè facimus.* Clarius autem *lib. 2. de libero Arbitr. cap. 1. Illud bonum, quo commendatur ipſa juſtitia in damnandis peccatis, rectéque factis honorandis, quomodo eſſet, ſi homo careret libero voluntatis arbitrio? Non enim aut peccatum eſſet, aut rectè factum, quod non fieret voluntate: at per hoc pœna injuſta eſſet, & præmium, ſi homo voluntatem non haberet liberam.* Divus Hieron. *lib. 2. contra Jovinian. Ubi neceſſitas, nec corona, nec damnatio eſt.* Divus Bernardus *ſerm. 81. in Cant. Ubi non eſt libertas, nec meritum.* Divus Thom. *q. 21. art. 4. ad 2. Homo ſic movetur â Deo ut inſtrumentum, quod tamen non excludit, quin moveat ſe ipſum per liberum arbitrium, & ideo per ſuum actum meretur, vel demeretur apud Deum.* Vide alia non pauca ad idem inſtitutum per totum *cap. 7.* item ea, quæ diximus *cap. 4. ſect. 2. num. 15.* Et pro complemento accedant Divi Gregorii Magni verba *Moral. lib. 33. c. 20:* dicentis: *Bonum, quod agimus, & Dei eſt, & noſtrum; Dei per prævenientem gratiam; noſtrum per conſequẽtem liberam voluntatem: ſi enim Dei non eſt, unde ei gratias in æternum agimus? Rurſum; ſi noſtrum non eſt, unde nobis retribui præmia ſperamus? Quia ergo non immeritò gratias agimus, ſcimus quòd ejus munere prævenimur: & rurſum, quòd non immeritò retributionem quærimus, ſcimus quòd ſubſequente libero arbitrio, bona elegimus, quæ ageremus.*

6 Tertiò probatur maior illa præcipua ratione. Quia eſſe meritorium, aut demeritorium, eſt proprietas actûs humani, ut docet Divus Thom. *quæſt. 21. art. 1.* ſed nullus actus dicitur humanus, niſi ſit liber: unde Divus Thom. *in 2. diſt. 24. q. 3. art. 3. incipit genus moris, ubi primum dominium voluntatis invenitur.* Ergo actus, qui liber non fuerit, meritorius, aut demeritorius non erit. Confirmatur præcipua, & fundamentali ratione. Nullus eſt actus bonus, ſicut nec malus, niſi ſubſit voluntati; nullus tamen actus voluntati ſubeſt, niſi ſit liber: quapropter Divus Thom. *1. p. q. 82. art. 1.* inquit; *Sumus domini noſtrorum actuum, ſecundùm quod poſſumus hoc, vel illud agere:* ergo actus, ſi non ſit liber, nec bonus, nec malus erit;

Actus humanus non eſt, ſi liber non eſt.

erit; & per conſequens nec meritorius,nec demeritorius, nam actus meritorius eſt neceſſariò bonus, demeritorius neceſſariò malus. Nè autem adverſariis videatur noſtris argumentis præjactis ex ſacra Pagina, ſanctis Patribus, & rationibus reſpondere poſſe ex doctrina Cornelii Janſenii; quòd, licét per gratiam efficacem tollatur libertas indifferentiæ, ſive à neceſſitate, non tollitur libertas à coactione, hancque ſufficere ad rationem meriti. Né, inquam, hæc illis relinquatur evaſio, ſit:

Falſó dicitur á Janſenio ad meritum, vel demeritum, nō requiri libertatem à neceſſitate, ſed ſufficere libertatem á coactione.

7 Theſis quarta. Non eſt dicendum quòd ad meritum, vel demeritum ſufficiat homini libertas à coactione, nec requiratur libertas à neceſſitate. Oppoſitum eſt hæreticum traditum à Calvino in *Antid. ad Can.* 5. *Concilij Tridentini*, & ut hæreticum damnatum fuit ab Alexandro VII. inter errores Janſenii, qui *lib.* 6. *de Gratia Chriſti* ſcripſerat: *Hæc eſt prima neceſſitas violentiæ, ſeu coactionis, quæ omnem omnino adimit libertatem. Nunc de ſecunda illa ſimplici neceſſitate, qua ſine coactione ſimpliciter aliquid neceſſarium eſſe dicitur, quæ libertatem non lædit, ſed potiùs hoc ipſo, quo voluntatem affert, ſtatuit.* Quam falſam doctrinam ante Alexandrum VII. damnaverat Innocentius X. Idem prædamnarunt Summi Pontifices Sanctus Pius V. Gregorius XIII. & Urbanus VIII. à quibus proſcribuntur ſequentes propoſitiones Michaelis Baii: *Quod voluntariè fit, & ſi neceſſitate fiat, liberè tamen fit.* Altera: *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Noſtra Catholica veritas quàm facilè ſuadetur ex Sacro Textu, & Patribus, docentibus dari in nobis ad obediendum Deo, & merendum libertatem à neceſſitate, videri eſt *cap. 7. ſect.* 5. Ratio præcipua noſtræ concluſionis eſt. Quia ad meritum illa libertas eſt requiſita, vi cujus poteſt homo elicere actum, vel ab eo ceſſare; ſed ad hoc neceſſaria eſt libertas à neceſſitate; nec ſufficit ſola libertas à coactione, cum hac enim non remanet potentia ad actum, & ejus negationem: ergo libertas à neceſſitate eſt omnino requiſita ad meritum. In maiori eſt tota difficultas in præſenti dubio, eam tamen probat Patrum conſenſus, qui omnes ſub hac acceptione procedunt, ut conſtat ex teſtimoniis relatis *num.* 5. Tandem eadem maior habetur juxta proprium ſenſum *Eccleſ. cap.* 31. ubi ex eo cenſentur juſti cujuſdam opera me-

meritoria apud Dominum, quia in eodem agente dabatur facultas ad actum meritorium, & illius negationem: dicitur enim: *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit; ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino.* Hæc pro præſenti ſatis ſint; ſi placet videatur Aguirre *tom.* 3. *Theol. Sancti Anſelmi, diſp.* 135. *& in Defenſione Cathedræ Sancti Petri diſp.* 21. ubi hanc veritatem latè, doctèque ex more expendit.

SECTIO II.

Reſpondetur argumentis adverſariorum.

1 INſurgent primò pro doctrina XXII. propoſitionis, in qua Dominica Incarnatio, quæ humanitati libera nullo modo fuit, aſſumitur in exemplum operationum gratiæ in cordibus humanis. Dicent igitur præfatam propoſitionem deſumptam eſſe ex Divo Auguſtino *lib.* illo (inter cæteros tanti Doctoris præſtantiſſimo) *de Bono Perſeverantiæ, cap. ultimo.* Reperitur autem hic liber tomo ſeptimo operum Divi Auguſtini, ubi citato loco ſic inquit: *Qui autem hunc fecit,* (ſcilicet Chriſtum, quem eodem cap. paulò ſuprà nominat prædeſtinationis exemplum) *qui autem hunc fecit ex ſemine David hominem juſtum, qui nunquam eſt injuſtus, ſine ullo merito præcedentis voluntatis ejus, ipſe ex injuſtis facit juſtos, ſine ullo merito præcedentis voluntatis ipſorum, ut ille caput, hi membra ſint ejus. Qui ergo fecit illum hominem ſine ullis ejus præcedentibus meritis, nullum, quod ei dimitteretur, vel originale trahere, vel voluntate perpetrare peccatum, ipſe, nullis eorum præcedentibus meritis, facit credentes in eum, quibus dimittat omne peccatum. Qui fecit illum talem, ut nunquam habuerit voluntatem malam, ipſe fecit in membris ejus ex mala voluntate bonam. Et illum ergo, & nos prædeſtinavit, quia in illo, ut eſſet caput noſtrum, & in nobis, ut ejus corpus eſſemus, non præceſſura noſtra, ſed opera ſua futura præſcivit.* Cùm ergo aſſerat Divus Auguſtinus citato capite *nullum eſſe illuſtrius prædeſtinationis exemplum, quàm ipſe JESUS*; cùmque præterea compareet inter ſe Chriſti Incarnationem abſque præcedente actu libertatis humanæ, hoc eſt, humanæ voluntatis aſſumptæ; & electionem, ſive converſionem de injuſtis ad ſanctitatem, ſine ullo

Pro 22. propoſitione opponunt adverſarij quoddam Divi Auguſtini teſtimoniū.

ullo merito præcedentis voluntatis eorum; inde eſt, quòd congruenter videatur deducenda ad Auguſtini mentem præſens propoſitio.

2 Aſt non mirum, ſi præſentes errores aliquam cum Divi Auguſtini doctrina puriſſima conformitatem habere videantur; inquit enim Facundus Hermiauenſis *lib. contra Mutianum*, qui inſertus eſt Tom. X. Maximæ Biblioth. P. P. *Quid in hoc miremur? Neque enim melius potuit loqui Auguſtinus, quàm Prophetæ, quàm Evangeliſtæ; quorum verbis ſimiliter malè intellectis, tam multi hæretici ſuos defendere conantur errores.* Fortaſſe Divus Auguſtinus, dum allegato loco ſcripſerat, non ſolùm repletus erat à Domino ſpiritu ſapientiæ, & intellectûs, verùm etiam prophetiæ dono illuſtratus; quaſi enim proſpiciens ſiniſtram ejuſdem loci intelligentiam, ſic immediatè proſequitur poſt adducta verba capitis ultimi de Bono Perſeverantiæ: *Qui legunt hæc, ſi intelligunt, agant Deo gratias; qui autem non intelligunt, orent, ut eorum ille ſit doctor interior, à cujus facie eſt ſcientia, & intellectus.* Non igitur Auguſtinum intelligunt Hæretici noſtri temporis, neque enim in mentem Doctoris Africani unquam ſubiit eorum doctrina, apud hanc XXII. propoſitionem libertatem noſtram, noſtramque cooperationem cum gratia negantem; ſed ſolùm contra Pelagianos docebat Sanctus Doctor noſtram juſtificationem non eſſe ex præcedentibus naturæ meritis: & in hoc ſenſu comparativè dicit, quòd, ſicut naturæ humanæ merita non præceſſerunt Incarnationem Verbi, ita etiam humanæ voluntatis merita opera gratiæ non prævenerunt. Unde relato *capite* 24. hæc docere incipiens poſt aliqua, ſic proſequitur: *Hæc Pelagianis optamus, ut habeant; iſtis autem noſtris, ut pleniùs habeant. Non itaque ſimus in diſputationibus prompti, & in orationibus pigri. Oremus, dilectiſſimi, oremus; ut Deus gratiam det etiam inimicis noſtris, maximèque fratribus, & dilectoribus noſtris intelligere, & confiteri, poſt ingentem, & ineffabilem ruinam, quâ in uno omnes cecidimus, neminem niſi gratia Dei liberari, eamque non ſecundùm merita accipientium, tanquam debitam reddi, ſed tanquam veram gratiam, nullis meritis præcedentibus, gratis dari. Nullum autem eſt illuſtrius prædeſtinationis exemplum, quàm ipſe JESUS, &c.*

Solutio argumenti deſumpta ex ipſamet Auguſtini mẽte; qui ſolúm contendebat adverſùs Pelagianos noſtrá juſtificationem non eſſe ex præcedentibus naturæ meritis

3 Inſurgent ſecundò pro erroribus trium aliarum propoſitionum.

poſitionum. Nihil in Sacris Scripturis uſitatius, quàm peccatoris converſionem, & ſpiritûs renovationem per gratiam, creationem appellari. Sed in creatione nihil datur cooperationis, ſive actionis ex parte termini creati, cùm ſe habeat merè terminativè, & paſſivè: ergo etiam in renovatione ſpiritûs, & converſione peccatoris per gratiam nihil datur operationis, &c. Maior probatur ex *Pſalm.* 50. ubi dicitur: *Cor mundum crea in me, Deus*, item ex *Epiſt. ad Epheſ. cap.* 4. ubi Apoſtolus inquit: *Renovamini autem ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis.* Reſpondetur negando conſequentiam; ideo enim ab ſcripturis peccatoris converſio, & ſpiritûs renovatio per gratiam comparatur creationi: quia, ſicut creatio nihil præſupponit ſubjecti, ex quo terminus creatus fiat; ſic infuſio gratiæ renovantis, & juſtificantis impium, nihil meriti præſupponit in peccatore, ſed tota hæc infuſio gratiæ eſt ex mera Dei miſericordia. Unde Bellarminus in *Pſalm.* 50. *Satis propriè dicit, crea, quoniam nihil invenit Deus in corde peccatoris, unde munditiem in illo efficiat.* Et Divus Thomas ſuper *cap.* 2. *Epiſt. ad Epheſ. v.* 10. *lect.* 3. inquit: *Creare eſt aliquid ex nihilo facere, unde quando aliquis juſtificatur ſine meritis præcedentibus, dici poteſt creatus, quaſi ex nihilo factus.* Eſt tamen ſervanda diſparitas in juſtificatione impiorum; nam in creatione terminus creatus nihil habet libertatis, ut Creatori reſiſtat, nihil activi concurſûs, aut cooperationis; aliter autem in adulti converſione, & juſtificatione: quapropter in Concil. Trident. *Seſſ.* 6. *de Juſtificatione cap.* 5. ita ſanctum eſt.

In Sacra Scriptura, Animæ renovatio per juſtificationem dicitur creatio, & cur?

Impiorum juſtificatio fit nullis præcedentibus meritis cōdignis.

Diſparitas inter creationem, & renovationem.

4 „ Declarat præterea ipſius juſtificationis exordium in „ adultis à Dei per Chriſtum JESUM præveniente gratiâ ſumendum eſſe; hoc eſt, ab ejus vocatione, qua nullis eorum „ exiſtentibus meritis, vocantur; ut qui per peccata à Deo averſi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad „ convertendum ſe, ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem „ gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando diſponantur. Ita „ ut tangente Deo cor hominis per Spiritûs Sancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat, inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam, & abjicere poteſt, „ neque tamen ſine gratia Dei movere ſe ad juſtitiam coram „ illo

Conciliū Tridentinum docens nos cooperari, & liberé aſſentiri Divinæ gratiæ juſtificanti.

„ illo libera ſua voluntate poſſit. *U*nde in ſacris Litteris dici-
„ tur: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, liberta-
„ tis noſtræ admonemur; cùm reſpondemus: Converte nos,
„ Dòmine, & convertemur, Dei nos gratiâ præveniri confi-
„ temur.

„ Idem Concilium *cap. 7. ejuſdem Seſſionis* ſic docet. Ve-
„ rè juſti nominamur; & ſumus, juſtitiam in nobis recipientes,
„ unuſquiſque ſecundùm ſuam menſuram, quam Spiritus
„ Sanctus partitur ſingulis, prout vult; & ſecundùm propriam
„ cujuſque diſpoſitionem, & cooperationem.

Divus Auguſtinus nequaquã opponitur noſtræ liberæ cũ gratia cooperationi.

5 Inſurgent tertiò; quòd Auguſtinus de *Bono perſeverantiæ cap.* 13. ſic teneat: *Deus eſt enim, qui operatur in nobis velle, & operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit, & credere, & dicere: Hoc eſt piũ, hoc verum; ut ſit humilis, & ſubmiſſa confeſſio, & detur totum Deo.* Aſt non dabitur totum Deo, ſi tribuatur nobis cooperatio: ergo hæc non erit concedenda. Reſpondetur ſcopum Auguſtinianæ doctrinæ ſolùm eſſe, quod in nobis & velle, & operari; incipere, & perficere, ita noſtrûm ſit propter liberum arbitrium, ut ſit etiam Dei propter cooperationem gratiæ; ut habemus apud Trident. citatum num. præcedenti. Quapropter idem Sanctus Auguſtinus *lib. 1. ad Simplician. quæſt. 2.* inquit: *Ut velimus, & ſuum voluit eſſe, & noſtrum; ſuum vocando, noſtrum ſequendo.* Et *Retract. lib. 1. cap. 23.* inquit, quòd credere, & operari: *Utrauque noſtrum eſt propter arbitrium voluntatis; & utrumque tamen datum per ſpiritum Fidei, & Charitatis.* Et paulò pòſt: *Utrumque ipſius eſt, quia ipſe præparat voluntatem, & utrumque noſtrum, quia non fit, niſi volentibus.* Auguſtino adhæret D. Bern. *lib. de Grat. & lib. Arb.* dicẽs: *Deus tria hæc, hoc eſt, bonũ cogitare, velle, perficere, operatur in nobis. Primum profectò ſine nobis, ſecundum nobiſcum, tertium per nos.* Pro confirmatione noſtræ reſponſionis maximè notari debet Divum Auguſtinum libro de Bono Perſeverantiæ plurimùm intendere refellere Pelagianam hæreſim, quæ tunc temporis per Africam graſſabatur; ipſa autem in id potiſſimùm collimabat, quòd noſtra opera ſupernaturalia, & vitæ æternæ meritoria orta eſſent ex viribus naturæ; exinde cùm Divus Auguſtinus hanc naturæ arrogantiam infringere, & gratiæ neceſſitatem inducere præfato libro ſtudeat, fortaſſis videbitur illum naturam ejuſque libertatem à cooperatione, & conſortio gratiæ exterminaſſe.

6 In-

6 Inſurget quartò contra id,quod ſtatutũ fuit in noſtrà,& ultima Theſe.In Chriſto fuit meritum;& tamen in eo non fuit libertas à neceſſitate, ſed tantùm à coactione,& violentia:ergo hæc ſola eſt ſufficiens ad rationem meriti.Et quod perinde eſt; non ſequitur quòd ſublatà libertate à neceſſitate,tollatur etiam ratio meriti, ut fuit ſuprà deductum. Maior eſt omnium Theologorum, & certà fide tenetur. Minor probatur facilè, quia Chriſto Domino impoſitum fuit præceptum à Patre de morte ſubeunda pro ſalute hominum,ut patet ex illo Joan. 10. *Hoc mandatum accepi à Patre meo*; hoc eſt, ponendi animam: itemque ex illo ejuſdem *Joannis* 24. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio*; etiam ex verbis Apoſtoli *ad Philip.* 2. *Factus obediens uſque ad mortem.* Hoc præcepto ſtante, neceſſariò debebat Chriſtus illud implere, neque poterat Patri non obedire, erat enim Chriſtus ab intrinſeco impeccabilis: ergo non gaudebat libertate à neceſſitate, & indifferentià ad utrumlibet.

An actiones Chriſti fuerint liberæ,& meritoriæ?

7 Hoc argumentũ eſt in hac materia præcipuum, in quo ſolvendo maximè inſudant Doctores Catholici. PaterGonet.in Clypeo Theologiæ Thomiſticæ *Tom.3.diſp.2.de Voluntario libero art.3.§.9.num.258.*fatetur hoc argumentum difficillimum eſſe, & maximum negotium Theologis faceſſere, non tamen ob ejus difficultatem, deſerendam eſſe veritatem. Reſpondet igitur ad illud *Tom.4.Diſput 21.de Merito Chriſti,art.3.§.3.num.85. ad finem* quòd, licèt non potuerit Chriſtus velle non mori, aut velle non obedire Patri in ſenſu compoſito,hoc eſt, (ut ipſe explicat) velle conjungere negationem mortis cum præcepto obligante ad mortem,bene tamen in ſenſu diviſo, id eſt, velle negationem mortis, ut abſtractam à præcepto. Hanc Goneti reſponſionem revoco ad examen.

Reſponſio P. Goneti.

8 In primis ſcio hunc modum explicandi ſenſum compoſitum, & ſenſum diviſum,præfati Authoris doctrinæ eſſe contrarium. Ut hoc oſtendam,ſic procedo. Inquiunt Theologi, tum antiqui, tum recentiores; ſit pro cunctis Gonzales 1. *p. q.* 16. *a.8.Diſp.57.num.48.Hæc propoſitio (ſtante prædeterminatione, & prædefinitione Divinæ voluntatis de futurà pœnitentià Petri, Petrum poteſt non pœnitere) in ſenſu diviſo vera eſt, falſa autem in ſenſu compoſito.* Quæritur: quomodo accipienda ſit celebris hæc diſtinctio ſenſus compoſiti, & diviſi? Reſpondet Magnus Suar.

Examinatur illa diſtinctio de ſenſu diviſo, & ſenſu compoſito.

Lib.

Lib. 1. *de Concurſu Dei, cap.* 10. *n.*5. ſenſum compoſitum eſſe componendo libertatem creatam cum decreto Dei exiſtente, & actu poſito, ſenſum diviſum eſſe dividendo, & abſtrahendo libertatem, voluntatemque humanam à decreto Dei. Eandem explicationem tenet Molina 1.*p.q.*14.*art.*13.*diſp.*8.*n.*2. Noſter Petrus à Sancto Joſeph, Fulienſis Monachus, in *Defenſione Divi Thomæ in Præfat. obſervat.*4.*&* *diſp.*1.*ſect.*4. Leſſius in opuſculo *de Gratia efficaci, cap.*3 .*num.*19. ubi ſic inquit: *Senſus compoſitus nihil eſt aliud, quàm ſi decretum Divinum, & motio Divina componatur cum voluntate, ideſt, ſi voluntati adſit. Et ſenſus diviſus, ſi abſit, & tollatur.* Quapropter omnes iſti Doctores ab hac diſtinctione ſenſûs compoſiti, & diviſi ſub hac explicatione abſtinent. Imò Thomiſtæ, quibus plauſibilis eſt hæc diſtinctio, hunc explicandi modum rejiciunt, & ipſe Gonetus tanquam hæreticum damnat *Tom.*1. *Diſp.*9. *de Concordia libertatis cum decreto prædeterminante, art.*4 *num.*50.

9 Igitur apud Thomiſtas ſenſus compoſitus eſt componendo voluntatem cum ſuo actu aſſenſûs, ſive diſſenſûs, ſenſus diviſus eſt dividendo actũ aſſenſûs, aut diſſenſûs à volũtate. Sic Bannes 1.*p.q.*14.*art.*13.*dub.ult.* Alvares *de Auxil.diſp.*25.*num.*12. Gonzales citatus *præcedenti num.* 8. Ipſe Gonetus paulò ſuprà citatus *num.*6. ubi ſic: „Ex his ergo habes (amice lector) veram, & germanam ſenſûs compoſiti, & diviſi intelligentiam; „non enim dicitur ſenſus compoſitus, ex eo quòd componat, „aut dividat præmotionem à voluntate, & ſignificet, quòd, ea „poſitâ, & retentâ, voluntas non poteſt diſſentire; ſed tantùm „eà ſemotà, & excuſſa; ut perperam intelligunt, & explicant „Authores relati. Sed ſenſus vocatur compoſitus ex eo, quòd „cõjungat actualem diſſenſum cum præmotione, & conſequẽter cũ aſſenſu, qui ad eam infallibiliter ſequitur, quòd manifeſtam contradictionem involvit. Et diviſus ex eo, quòd ab „eà dividat, & ſeparet actualem diſſenſum, & ſolam potentiam „reſiſtendi, ac diſſentiendi relinquat, in quo nulla eſt implicantia, aut repugnantia. Breviùs autem Alvares citatus: *Hæc propoſitio liberum arbitrium, motum à Deo auxilio efficaci, non poteſt diſſentire in ſenſu compoſito, non ſignificat quòd quando motio efficax eſt in homine, non poſſit diſſentire ſi velit, ablata verò motione efficaci, tunc poſſit diſſentire.*

10 Ex

Ex dictis patet in ſolutione noſtri argumenti *num.* 6. nonbene ſumi ſenſum compoſitum, & ſenſum diviſum à Patre Goneto: ibi enim inquit non potuiſſe Chriſtum conjungere inobedientiam cum præcepto moriendi; potuiſſe tamen non mori, ſeu ponere negationem obedientiæ, dividendo à præcepto, hoc eſt, illo abſtracto, ſive ablato. Cùm tamen, ut ſuis principiis conformaretur; ſenſus compoſitus, aut diviſus non eſſet ex eo, quòd componeret præceptum Patris a voluntate Chriſti. P.Genet. videtur ſibi contrarius.

11 Deinde: ideo ſenſus compoſitus, & diviſus, ut explicatur *num.* 8. hæreticé applicatur, ut rectè cenſet Gonetus ad finem ejuſdem præcedentis *num.* 8. Quia eo ſenſu ſi quis teneat voluntatem ſub decreto Dei ſumptam in ſenſu compoſito non poſſe diſſentire, infallibiliter, & conſequenter infert decretum Dei à voluntate expellere libertatem: ergo ſimiliter qui dixerit voluntatem Chriſti ſub decreto ſubeundi mortem in ſenſu compoſito, non fuiſſe liberam: hoc eſt, conjungendo præceptum cum negatione mortis, & inobedientia; & ita aſſerendo non fuiſſe utrumque componibile; conſequenter aſſerit præceptum illud excludere libertatem, & potentiam non ſubeundi mortem, nonque obediendi. Impugnatur ſolutio P. Goneti ſub illa diſtinctione, de ſenſu diviſo, & & compoſito.

12 Præterea ſic impugno eandem reſponſionem. Chriſtus aut poterat conjungere præceptum mortis cum inobedientià, aut non potuit. Si potuit: ergo Chriſtus non fuit impeccabilis, nam eo caſu peccaret per tranſgreſſionem præcepti Patris. Si non potuit: ergo non erat liber, quod eſt primum intentum argumenti Janſenii. Confirmatur; quia ſiquis poſito præcepto non veſcendi carnibus, haberet impoſſibilitatem aliquam ad tranſgreſſionem talis præcepti; aut externam determinationem ad ejus obſervantiam non eſſet ullo modo liber ad peccandum.

13 Ad argumentum reſpondet alii cum Cabrera, & Prudentio Chriſtum poſtulaviſſe à Patre imponi ſibi præceptum de ſubeunda morte pro hominibus; quod ſicut liberè poſtulavit, ſic acceptavit antecedenter liberè, quanvis conſequenter neceſſariò. Cùm igitur neceſſitas conſequens libertatem non deſtruat, facilè conciliantur ad meritum in Chriſto libertas, & impeccabilitas. Examinari tamen oportet, an verum ſit, quòd Quomodo ab aliis A. A. ſolvatur argumentũ illud num 6. de Chriſti impeccabilitate, & libertate.

 Chriſtus

Chriſtus tale præceptum a Patre poſtulaverit? Et reſponderi poteſt affirmativé; conſtat enim ex dictis *num.* 6. hoc præceptum: quòd autem hæc impoſitio Chriſto fuiſſet libera, imò,& ab eo poſtulata, non leviter deduci videtur ex illo Iſaiæ *cap.*53. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Unde hæc ſolutio mihi non diſplicet: rectè enim procedit hic diſcurſus. Chriſto fuit moriendi præceptum; ſed tale præceptum, Chriſto fuit impoſitum,quia ipſe voluit; ergo quia illud poſtulavit.

An Chriſtus à Patre poſtulaverit quòd ſibi imponeret moriendi præceptum.

14 Noſter Lorca in 3.*partem, diſp.* 73. citans Albertum Magnum Paludanum,Dionyſium Carthuſianum,& alios,melius, & ut puto veriùs, facilé ſolvit argumentum reſpondendo dictum præceptum Chriſto non fuiſſe impoſitum ſtricté,ipſum Redemptorem obligans ad executionem illius; ſed tantùm ei fuiſſe inſinuatam voluntatem Dei,a quà fuerat ſtatuta Chriſti mors pro ſalute hominum,præſcindendo ab omni obligatione: cui tamen voluntati Chriſtus tanquam ſtrictiſſimo præcepto obtemperavit, cujus præclariſſimum exemplum habetur in Scripturis:legimus enim Matth.26.*v.*39.*Pater mi ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Et *verſ.*42.*Fiat voluntas tua.* Quibus verbis non ſignificatur ſeverum aliquod præceptum, ſed voluntas inſinuata. In cujus exequutionem Chriſtus *oblatus eſt, quia ipſe voluit*, non quia obligaretur aliquo præcepto. Hanc libertatem Chriſti Domini defendit noſter Eximius Caramuelius Compluti in actu maioris illius Univerſalitatis,ut ipſe loquitur in ſua Rationali, & Reali Philoſophia, *lib.*4.*Metaph ſect.*2.*diſp.*1.*num.*1559. Nec eſt alia reſpondendi via, quæ mihi magis, vel æquè placeat, cùm tamen ſint alii Doctores aliter reſpondentes, ut videri eſt apud Gonet. *Tom.*4.*Diſp.*21. *de Merito Chriſti, art.* 3. Patet igitur ad argumentum *num.*6. reſponderi negando minorem; ad ejus probationem negando maiorem, illud enim præceptum tale non fuit rigoroſé, & ſtricté; ſed largé, ſumptum pro voluntate ſuperioris inſinuatà.

Tenendum eſt Chriſto non fuiſſe impoſitū aliquod ſtrictè, & rigoroſé præceptum, mortem ſubeundi.

15 Inſurgent quintò. Quoties actus eſt voluntarius,quanvis ad unum ſit determinatus, eſt perfecte liber: ergo actus poteſt evadere meritorius, etiam dempta libertate à neceſſitate. Probatur antecedens. Quoties voluntas ſe ipſam movet, operatur libere; aſt voluntas ſe ipſam movet in actibus voluntariis

Sufficiat ne libertas à coactione,ut actus ſit moraliter,& perfectè liber?

rariis etiam determinatis ad unum, dummodo non ſint violenti: ergo. Confirmatur, quia juxta Sanctos Patres, ſufficit quòd voluntas non cogatur, neque ſit violentus ejuſdem actus, ut ſervetur liberum arbitrium, & voluntas procedat, ut talis, hoc eſt, ut potentia libera. Unde Divus Auguſt. *Lib.1.operis imperfecti* inquit de voluntate: *Si cogitur, non vult.* Non autem dixit: ſi determinatur, aut neceſſitatur. Divus Proſper *Lib contra collatorem, cap.*18. aliàs *cap* 19. *Liberum arbitrium eſt rei ſibi placitæ ſpontaneus appetitus*: ergo ad libertatem ſufficit ſpontaneitas, non autem indifferentia; Hugo de Sancto Victore *in Summa Sent.2.cap.4.liberum arbitrium ex eo dicitur, quod eſt voluntarium.* Ex noſtris Benedictinis Doctoribus Damaſc. *Lib.3. Fidei, cap.*14. *Arbitrii libertas nihil aliud eſt, quàm voluntas.* Anſel. *Lib. de Concordia, cap.2. Ex libertate fit, quod fit ex voluntate.* Bernard. *Lib. de Grat. & liber Arbitr. ibi: ergo conſenſus, ubi voluntas; porrò ubi voluntas, ibi libertas.*

16 Sed contra; nam, licèt Sancti Patres ita in re ſaperent, & quanvis hæc eſſet propria, & vera illorum mens, (quod abeſt) adhuc ſtandum nobis erat pro adverſa doctrinà, utpote à Summis Pontificibus tradita, & à Conciliis ſtatuta, ut liquet ex præcedenti *ſect. n.* 7. à quibus Eccleſia indefectibiliter docetur, & illuminatur. Quapropter neque ipſe Auguſtinus ab eis edoceri dedignatur: inquit enim ad finem capitis ultimi *lib. de Bono perſever. Ego autem cùm per eos, qui meos labores legunt, non ſolùm doctior, verùm etiam emendatior fio, propitium mihi Deum agnoſco, & hoc per Eccleſiæ Doctores maximé expecto.*

Sanctæ Eccleſiæ doctrina veriſſima eſt, & nullatenus deſerenda.

17 Ad argumentum reſpondetur negando antecedens; ad ejuſdem probationē, negando maiorē. Licèt enim quoties voluntas ſe movet, & illius actus eſt voluntarius, etiam conſequenter ſit liber à coactione, non tamen eſt liber à neceſſitate; quæ libertas omnino eſt requiſita, non ſolùm, ut actus ſit abſolutè liber, verùm etiam, ut voluntas ſua perfecta, & omnimoda gaudeat libertate, & arbitrium humanum permaneat liberum. Unde Divus Thom. 1. *p. q.* 41. *art.* 2. inquit: *Voluntas, & natura ſecundùm hoc differunt in cauſando, quòd natura determinata eſt ad unum; ſed voluntas non eſt determinata ad unum.* Vides nè (amice Lector) qualiter ex doctrina Divi Thomæ,

Reſolutio argumenti præjacti num. 15.

voluntas,ut voluntas,excludat non ſolùm violentiam , & coactionem , verùm etiam determinationem ad unum? Idem,proſequitur paulò poſt verba relata: *Eorum igitur voluntas principium eſt , quæ poſſunt ſic , vel aliter eſſe.* Idem Angelicus Præceptor *q. 2. de Potentia art. 3. Voluntas in quantum voluntas, cùm ſit libera, ad utrumlibet ſe habet; poteſt enim voluntas agere, vel non agere.*

18 Ad confirmationem ex S. S. P. P. dicendum eſt liberum arbitrium , ſeu voluntatem duo eſſentialiter importare , ſcilicet voluntarium, & indifferens; hoc eſt, libertatem à coactione , & à neceſſitate: unde Tertullianus *lib. 2. contra Marcionem , cap. 6.* inquit: *libertatem arbitrii in utramque partem conceſſam eſſe homini, ut bono ſponte ſervando , & malo ſponte vitando, ſui dominus conſtanter occurreret.* Quibus verbis voluntarium , atque indifferens conceduntur ad libertatem arbitrii. Quando igitur S. S. P. P. voluntatem , ſive liberum arbitrium appellant id, quod voluntarium eſt, non procedunt ſeparando unũ ab alio, ſed unum in alio identicé ſupponendo; aut quaſi per Syncdochen partem ſumendo pro toto. Tanquam ſi dicerent: Homo nihil aliud eſt, quàm animal riſibile: ſeu homo eſt vivens rationale, neque enim in primà harum propoſitione excluditur rationale, neque animal in ſecundà. Sed utrumque ſupponitur , cùm ſit utrumque de hominis conſtitutivo: non minus autem voluntarium , & indifferens de conſtitutivo libertatis.

Quomodo ſint intelligendi S. S. P. P. relati ab adverſariis n. 15.

CA-

CAPUT IX.

Propoſitiones XXVI. XXVII. XXVIII. & XXIX. explicantur, ut refellantur.

1 HArum propoſitionum prima ſic habet: *Nullæ dantur gratiæ, niſi per Fidem*; & hujus propoſitionis ſenſus explicatur clariùs per ſequentem: *Fides eſt prima gratia, & fons aliarum omnium.* Contendunt igitur hæ propoſitiones nullam gratiam à Deo nobis conferri ante Fidem ſuſceptam. Ex hinc conſequenter infertur: ergo Paganis, Judæis, & Hæreticis nullam Deus gratiam conceſſit; imò neque peccatoribus, quandiu ſunt in ſtatu lethalis culpæ: *primò*, quia, ut inquiunt harum propoſitionum Authores, propoſitione LII. & aliis *Fides non eſt abſque charitate*; *ſecundò*, quia, ut dicitur in præſenti propoſitione XXVIII. *prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio*: tunc enim per infuſionem gratiæ ad veniam peccatorum, Fides etiam infunditur; *tertiò*, quia peccatores pro eo ſtatu (ut dicitur propoſitione *LXXII. & ſex aliis ſequentibus*) ſunt extra Eccleſiam; aſt, ut ipſi Magiſtri mendaces inquiunt propoſitione XXIX. quæ inter alias hujus capitis eſt ultima: *Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia.* Unde hæc ultima propoſitio eſt veluti compendium trium præcedentium propoſitionum; quæ omnes collimant in id, quòd neque peccatoribus pro eo ſtatu, neque Hæreticis, neque Judæis, neque Paganis aliqua per Chriſtum gratia concedatur, cùm omnes æqué ſint extra Eccleſiæ januas.

Formula propoſitionis 26. & 27. nec non ſenſus utriuſque.

Tenor, & ſenſus propoſitionis 28.

Propoſitio 29. proponitur, & exponitur.

2 Hallucinantur præfatarum propoſitionum Authores ſequentibus fundamentis, quæ parum, aut nihil inter ſe diſtant.

 tant.

tant. Primo; quia ſtando principiis hujus ſectæ; non datur gratia ſufficiens, ſola quippe datur gratia efficax, ut conſtat ex erroribus jam impugnatis cap. 7. quapropter vel peccatori infunditur gratia efficax, per quam in exequutione juſtificatur; vel non; ſi dicatur infundi gratiam, per quam peccator non eſt in effectu juſtificatus, reſiſtente cordis duritiâ: ergo eo ipſo non fuit gratia. Si dicatur eam gratiam eſſe in effectu efficacem, impium in effectu moventem ad contritionem, & amorem Dei ſuper omnia: ergo eo ipſo delentur omnia peccatoris crimina, ac per conſequens fit, ut *prima gratia, quam Deus peccatori concedit, ſit peccatorum remiſſio*, ut dicitur propoſitione 28.

In hoc diſcurſu fundantur errores præſentium propoſitionum.

3 Fundamento non diſſimili, dicitur propoſitione 29. extra Eccleſiam nullam gratiam concedi. Vel enim impius per gratiam ei conceſſam juſtificatur, ac redditur juſtus, vel non: ſi per eam gratiam juſtificatur, non eſt extra Eccleſiam, nam eo ipſo eſt de Eccleſia, ut conſtat ex ſupracitatis propoſitionibus 72. & aliis. Si autem impius non juſtificetur per gratiam, (cui reſtitit) ſignum eſt, quòd nulla fuit talis gratia, nec talis dicenda eſt: ſiquidem ſola gratia efficax eſt gratia, ut dicitur jam impugnatis propoſitionibus *cap. 7.*

4 Ex eodem principio deducitur nullam dari gratiam, niſi per Fidem. Fides enim, ut ipſi inquiunt propoſitione 52. & aliis, non permanet abſque gratia ſanctificante: ergo, ſi non datur gratia, neque Fides; & ſi Fides non eſt, neque gratia. Quòd ſi objiciatur; Hæreticis, Judæis, atque Gentilibus, in quibus Fides non eſt, non deeſſe gratiam excitantem, & moventem ad Fidem, & converſionem, quanvis ejus auxiliis reſiſtant, id negant conſtanter; quia, ut inquiunt, nulla eſt gratia, cui reſiſtatur. Unde propoſitione 10. *Gratia eſt operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.*

5 Hoc fundamentum corruit, nam ita ratiocinandi occaſio jam fuit præcluſa *cap. 7. à ſect.* 1. Specialiter tamen impugnantur, quia, ut ſæpe jam diximus, præſertim *cap. 7. ſect. 9. à num.* 14. nulli creaturæ rationali denegatur adjutorium gratiæ ſufficientis ad ſalutem, & media, de cujus plenitudine accipient, ni reſiſtant, Pagani, Judæi, Hæretici, & peccatores. Præterea noſtra veritas conſtabit ex ſequentibus.

Oſten-

Oſtenditur neque Fidem, neque remiſſionem peccatorum eſſe primam gratiam; itemque extra Eccleſiam (& peccatoribus) gratiam concedi.

6 Probatur noſtra reſolutio, quæ eſt omnium Catholicorum. Quia Deus tum Paganos, Judæos, & Hæreticos, tum peccatores, ut illi Fidem recipiant, ut iſti convertantur, & recipiant juſtificantem gratiam, prævenit, & excitat auxiliis indebitis, & ſupernaturalibus gratiæ moventis, & excitantis; ergo neque Fides, neque peccatorum remiſſio eſt prima gratia, quam Deus concedit & infidelibus, & peccatoribus. Aliter: ergo extra Eccleſiam conceditur gratia. Noſtrum aſſumptum, ſi fundamento ſtabili probetur, firmiſſimam reddet Catholicam veritatem.

7 Probo igitur antecedens primò ex Patribus. Inquiunt enim Auguſtinus in *Enchiridio cap.* 31. *Hominum voluntatem Deus præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam*, idem *lib.* 2. *de peccatorum meritis, cap.* 18. *Quòd ad Deum nos convertimus, niſi ipſo excitante, & adjuvante, non poſſumus.* Quæro ex doctrina Auguſtini. Utrùm Deus non præparet ad Fidem, converſionem, & ſalutem per media naturalia, an gratiæ? Non per naturæ media, hoc enim foret Pelagianum: ergo per media ſupernaturalia, & gratiæ. Unde Auguſtinus *lib. de Prædeſtinatione Sanct. cap.* 2. inquit: *Nemo ſibi ſufficit ad incipiendum, vel perficiendum quodcunque opus bonum.* Idem apertiſſimis verbis docuit Divus Proſper *lib.* 2. *de Vocat. Gent. cap.* 28. inquiens: *Sicut qui crediderunt, juvantur, ut in Fide maneant; ſic qui non dum crediderunt, juvantur, ut credant.* Accedit Magnus Bellarminus *lib.* 5. *de Grat. & lib. Arb cap.* 15. *Gratia excitans interna neceſſariò præcedere debet hominis converſionem, ſive ab infidelitate ad Fidem, ſive à peccato ad juſtitiam.* Idem deducitur ex Divo Cyprian. *lib.* 3. *ad Quirin. cap.* 1. *Credendi, vel non credendi libertatem in arbitrio poſitam ex Deuteronomio.* Ex Divo Clemente Papa *Epiſt.* 3. *Si quis audiens ſermonem veri Prophetæ, velit recipere, aut nolit amplecti onus ejus, habet in ſua poteſtate.* Quomodo autem hoc erit in poteſtate, & arbitrio nolentis credere, ſi non ſit præventus ſufficienti gratiâ?

Nemo in Deũ convertitur, ſive ab infidelitate, ſive à peccatis, niſi per media gratiæ ſupernaturalis: ergo hæc conceditur ante Fidem, & ante remiſſionem, ut medium ad ſuum finem.

8 Probo

Pagani, & Judæi per internas inſpirationes Dei vocantis, & excitantis gratiæ, baptiſmum inquirunt, & anhelant ad illum.

8 Probo idem antecedens ex Conciliis; dicitur enim in Arauſicano II. *Deus nobis inſpirat, ut Baptiſmi Sacramenta fideliter requiramus.* Reſpondeant nunc Adverſarii, utrùm hæc inſpiratio ſit naturæ, an gratiæ? Non naturæ, quia hæc non ordinat ad fines ſupernaturales, ut eſt Baptiſmus: ergo gratiæ. Quis tamen dubitat inſpirationem ad requirendum Baptiſmum dari iis, qui ſunt extra Eccleſiam, videlicet Paganis, aut Judæis non dum renatis fonte Baptiſmatis? De illis autem, qui gratiam in Baptiſmo ſuſceptam amiſerunt, conſtat, priùs Divina gratiâ excitari, poſtea juſtificari: unde fit ut *peccatorum remiſſio non ſit prima gratia, quam Deus peccatori concedit.* Id habemus ex Tridentino multis in locis, nam *Seſſ. 6. cap.* 5. *Declarat ipſius juſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum JESUM præveniente gratia ſumendum eſſe: hoc eſt, ab ejus vocatione, quâ nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur, ut qui per peccata à Deo averſi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe, ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando diſponantur.* Hic tria habemus valde notanda. Videlicet exordium ad juſtificationem, ſumptum à præveniente gratia. Vocationem per excitantem gratiam. Diſpoſitionem ad juſtificationem recipiendam. Aſt hæc omnia priora ſunt ipſa juſtificatione, & peccatorum remiſſione: nam media priora ſunt fine, & diſpoſitiones priores ſunt ultima forma: ergo falſò aſſeritur primam gratiam à Deo conceſſam peccatori eſſe peccatorum remiſſionem. Item aliter: ergo falſò dicitur ab Authore hujus nequiſſimæ doctrinæ: *Extra Eccleſiam nullâ conceditur gratia*; nam peccatores in hac ſententia ſunt extra Eccleſiam, (ut vidimus num. 1.) & tamen docet Concilium eis conferri à Deo per Chriſtum auxilia gratiæ ſupernaturalis excitantis, prævenientis, moventis, ac diſponentis. Confirmatur ex eodem Concilio *Seſſ. 6. cap. 6.* ubi agit de diſpoſitione, & præparatione ad juſtificationem, & remiſſionem peccatorum; quæ, ut inquit, fit per Divinam gratiam excitantem. Hæc autem præparatio eſt prior, quàm peccatorum remiſſio.

Ante juſtificationem, & infuſionem gratiæ ad eam diſponitur impius ad eamque excitatur, & adjuvatur per gratiam.

9 Ex ſacra Pagina conſtat noſtra reſolutio primò; quia, ut latiùs expendi *cap. 7. ſect. 8. §. 1. num. 10. & ſequentibus*, Deus, ut inquit Apoſtolus 1. *ad Tim. 2. Vult omnes homines ſal-*

vos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: ergo non ſolùm eos, qui ſunt intra Eccleſiam, ſed omnes etiam infideles, aliter non verificaretur præcitatum Apoſtoli teſtimonium, quod etiam oſtenſum fuit tota *Sect.* 8. *& 9. ejuſdem capitis 7.* Hæc autem voluntas ſalvandi omnes eſt præparatoria mediorum ſufficientium ad ſalutem, quæ perinde ſunt ſupernaturalis ordinis, & gratiæ: ergo jam omnibus hominibus, peccatoribus, Hæreticis, Judæis, atque Gentilibus conceduntur auxilia Divinæ gratiæ, quanvis ſint extra Eccleſiam, & quanvis Fidem non habeant Gentilis, neque Judæus, neque Hæreticus. Conſtat ſecundò, quia multi inveniuntur in Scripturis, qui gratiam excitantem, atque vocantem reſpuerunt: ergo hæc gratia conceſſa eſt ante juſtificationem; aliter eo ipſo admitteretur. Alii Fidem noluerunt recipere, quapropter à Deo de hoc peccato arguuntur: ergo præventi erant auxiliis gratiæ ſufficientis ante Fidem, ut eam reciperent; aliàs Dòmini objurgationes eſſent injuſtæ, ut diximus multoties *cap. 6. per ſect.* 2. *& cap. 7. per ſect.* 2. Hoc ultimum antecedens patet ex multis Sacræ Scripturæ locis relatis jam *cap. 7. ſect.* 11. *num.* 5. & aliis in locis præcedentibus.

Quanvis Gentilis, Judæus, & Hæreticus Fidem non habeant, ſintque extra Eccleſiam, omnes à Deo vocantur per auxilia ſupernaturalia; vult enim Deus omnes ſalvos fieri.

10 Idem ſtabilitur validiſſima ratione. Hæretici, & Judæi, quibus prædicatum eſt Evangelium, illi credere tenentur; imò & ipſi omnes Gentiles, quanvis in diſſitis nationibus enutriti; ideo enim dicitur apud *Joan.* 1. *Deum illuminare omnem hominem venientem in hunc Mundum*, ut ſcilicet omnes credant per eam lucem, quæ eſt JESUS, ut docet Caietanus in *cap.* 1. Joannis. Similiter omnes tenentur ad amandum Deum, Creatorem, Redemptorem, & Benefactorem omnium noſtrûm, juxta illud, quod in Lege traditum eſt: *Diliges Dòminum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua. Luc.* 10. Ergo omnes peccatores poſſunt converti, & amare Deum, omneſque infideles poſſunt credere. Ratio eſt; quia, ut dicitur à Tridentino *Seſſ.* 6. *cap.* 11. *& Can.* 18. *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet facere quod poſſis.* Si ergo omnes infideles poſſunt credere, & peccatores converti, quanvis non credant, neque convertantur, rectè infertur eis non deficere auxilia Divinæ gratiæ ad id requiſita; aliàs dicendum erit cum Pelagianis poſſe infideles

Aut eſt tenenda noſtra Catholica doctrina, aut in varias hæreſes incidendum.

fideles credere, & peccatores converti ſolis auxiliis naturæ. Unde Tridentinum *Seſſ. 6. Can. 3.* inquit: *Siquis dixerit ſine præveniente Spiritûs Sancti inſpiratione, ejuſque adjutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Quibus poſitis ad ultimas anguſtias reduco adverſarios: vel enim dicent dari infidelibus, & peccatoribus gratiam prævenientem, ut diſponantur ad Fidem, Spem, & amorem, & tandem, ut convertantur: vel ſi hanc veritatem nolint admittere, unum é duobus eligent; ſcilicet: aut nullum peccatorem poſſe converti, & nullum infidelem poſſe credere; (quod eſt jam impugnatum) aut poſſe credere, & converti abſque gratia Spiritûs Sancti; quod eſt Pelagianum, & à Tridentino fuit anathemate injuſtum, verbis illis paulò ſupra relatis.

Impugnatarũ propoſitionum cenſura.

11 Deducitur ex dictis has quatuor propoſitiones, de quibus in præſenti agimus, in ſenſu, & doctrina ipſis propria eſſe omnino hæreticas, utpote ex diametro oppoſitas Sacro Textui, & Conciliis relatis num. 8.

12 Arguent primò. Divus Paulus *Epiſt. ad Rom. cap. 5. v. 1. & v. 2.* ſic inquit: *Pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, per quem habemus acceſſum per Fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei*: ergo ex verbis Pauli firmiter conſtat gratiam non eſſe gradum ad Fidem; ſed é contra gradum eſſe Fidem ad gratiam. Ac inde nullam eſſe gratiam ante Fidem, neque extra Eccleſiam. Reſpondetur gratiam apud Theologos communiter dividi in habitualem ſanctificantem, & in actualem excitantem, moventem, &c. Unde Fides præcedit gratiam ſanctificantem, non enim diſponitur ad gratiam habitualem, & ſanctificantem, qui credere recuſat, & Fidei obſtat: non autem præcedit Fides gratiam actualem moventem, adjuvantem, atque excitantem ad credendum. Igitur Apoſtolus intelligendus eſt de gratia habituali ſanctificante, non autem de actuali movente, & excitante. Unde Divus Thomas ad verba Apoſtoli ſic inquit: *In gratiam iſtam; id eſt, in ſtatum gratiæ: & hoc per Fidem, per quam ſcilicet gratiam conſequimur.* Non quia Fides præcedat gratiam actualem, cùm potiùs per gratiam Fides habeatur, juxta illud *ad Epheſ. 2. Gratiâ ſalvatis eſtis per Fidem*:

Per Fidem cõſequimur gratiam habitualẽ; aſt per gratiam actualem conſequimur Fidẽ.

Fidem: nam primus effectus gratiæ, ut inquit Angelicus Præceptor, eſt Fides.

13 Arguent ſecundò. Apud Auguſtinum, Fides dicitur prima gratia: ergo ante illam nulla gratia conceditur, aliàs non jam prima gratia Fides, ac per conſequens qui Fidem non habuerunt, nullam à Deo gratiam acceperunt. Mens Auguſtini colligitur ex *Tract.*3.in Joan. ubi Sanctus Doctor ſic ait: *Accepimus de plenitudine ejus primam gratiam; gratiam pro gratia. Quam primam gratiam accepimus Fidem.* Reſpondetur apud Auguſtinum, gratias excitantes, & moventes ad Fidem, intelligi, & venire ſimul per nomen, & appellationem *Fidei.* Unde ly *Fides* apud Sanctum Doctorem hic comprehendit tam habitum Fidei, quàm præcedentes ad illum diſpoſitiones. Quapropter dum Auguſtinus Fidem dicit primam gratiam, antecedentes gratiæ diſpoſitiones ad Fidem non excludit, ſed eas comprehendit, & ſimul conjungit cum ipſá Fide, tanquam media cum ſuo termino, & in hoc ſenſu judicat unam tantùm gratiam completé, & adæquaté ſumptam, Fidem ſimul, & præcedentes diſpoſitiones, quæ intuitu Fidei conceduntur.

Quo ſenſu Fides ab Auguſtino dicatur prima gratia.

CA-

CAPUT X.

Explicantur, & confutantur ſequentes quatuor propoſitiones.

XXX. *Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter.*

XXXI. *Deſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum, pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.*

XXXII. *JESUS Chriſtus ſe morti tradidit ad liberandum pro ſemper ſuo Sanguine primogenitos, id eſt, electos, de manu Angeli exterminatoris.*

XXXIII. *Proh quantum oportet bonis terrenis, & ſibi met ipſi renuntiaſſe ad hoc, ut quis fiduciam habeat ſibi, ut ita dicam, appropiandi Chriſtum JESUM; ejus amorem, mortem, & myſteria, ut facit Sanctus Paulus dicens; Qui dilexit me, & tradidit ſe met ipſum pro me!*

1 QUATUOR ſunt poopoſitiones, quæ nobis ſeſe ſimul offerunt explicandas, & confutandas; omnes enim æquè pariter collimant ad obnubilandam, penituſque delendam, generalem in Deo voluntatem ſalvandi omnes homines, tradendique Filium ſuum in mortem pro omnibus, quanvis oppoſitum conſtet ex Sacrà Scripturà *ad Rom.*8.32.his verbis: *Pro nobis omnibus tradidit illum.*

2 Eſt igitur propoſitio 30. *Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter.* Ex hac ſic ſubſumitur. Atqui non omnes homines ſalvantur: ergo Deus non vult omnes homines ſalvare per Chriſtũ. Ecce iſtiuſmodi propoſitionis error. Accedit propoſitio 31. *Deſideria Chriſti, ſemper habent ſuum effec-*

Exponitur propoſitio.

tnm

tum. Pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat. Ex primâ parte hujus propoſitionis ſic diſcurritur: Atqui Chriſti deſiderium ſalvandi omnes non habet ſuum effectum in omnibus: ergo in Chriſto non fuit deſiderium ſalvandi omnes homines. En primũ abſurdum hujus propoſitionis. Ex ſecunda ejuſdem propoſitionis parte ſic infertur. Ergo Chriſtus non optat cordium pacem, ideſt, gratiam, niſi quando intimo cordium, eam in effectu ingerit. En aliud abſurdum. Multoties enim Chriſtus, ut ſæpe contingit, pacem, ideſt, gratiam, nobis optat, nec tamen eam cordibus noſtris infert; nam ſufficientia ad eum finem optatum auxilia, ex propriâ nequitiâ, & obſtinatione rejicimus. Unde, poſtrema pars hujus propoſitionis iterum negat auxilia ſufficientis gratiæ, admiſſa tantummodo gratiâ efficaci. Quod tamen damnatum jam fuit in aliis præcedentibus articulis, & à nobis non leviter impugnatum *cap. 7. ſect. 1. & 2.*

Senſus propoſitionis 31.

Propoſitio 31. quoad 2. partem, remiſſivè impugnatur.

3 Præſentes tamen errores, tam hujus propoſitionis trigeſimæ, quàm primæ partis propoſitionis trigeſimæ primæ, omnino rejiciendi ſunt, utpote jam anteà prædamnati: nam, ut conſtat ex Concilio Moguntino ſub noſtro Rabano Mauro, Præclariſſimo Moguntiæ Archiepiſcopo, qui dicto Concilio præfuit, damnatus eſt quidam Gotheſcalcus, qui ex Galliâ ad Italiam veniens, indeque ad Germaniam, publice docebat: *Non eſſe quiſquam, quem Deus ſalvare velit, & non ſalvetur. Quia* (inquiebat) *Deus noſter quæcumque voluit, fecit. Et illi omnes impii, & peccatores; pro quibus idem Filius Dei nec orationem, nec dico ſanguinem fudit, neque pro eis ullo modo cruxifixus eſt.* Sic habetur in *Epiſt. Syn. Moguntini Concilii; tom. 3. Concil. Gallic.* Item ex Flodoard. *lib. 3. Hiſtor. Rhemens.* Item error cum ſuo Magiſtro Gotheſcalco in Concilio Cariſiaco damnatus eſt, ut refert Hincmarus *lib. de Prædeſt. cap. 2.* his verbis: *In Synodali Conventu, in Cariſiaco Palatio, iterum auditur Gotheſcalcus ab Epiſcopis, & cæteris quamplurimis viris, Eccleſiaſticis, atque Religioſis, qui eidem Synodo interfuerunt. In quorum præſentia, ſicut & in Moguntina Civitate, inventus eſt* (Gotheſcalcus) *hæreticus, atque incorrigibilis honore Preſbyterali abjectus, & pro ſua irrevocabili contumacia, ſecundùm leges, & Agathenſes Canones, ac Regulam Sancti Benedicti, ut improbus virgis cæſus, ſicut decreverant Germaniæ Provinciarum Epiſ-*

Præcedentes propoſitiones obiter impugnatæ.

Gotheſcalcus ob præſentes errores a Concilio Moguntino, & Cariſiacenſi damnatus.

Hinc diſce quãtæ authoritatis ſit in Conciliis Regula S.P. Benedicti.

copi, nè aliis noceret, qui ſibi prodeſſe nolebat, ergaſtulo eſt retruſus.

4 Interim nobis opus non eſt ampliùs moras nectere in eiſdem erroribus impugnandis; eos enim jam confutavimus, & Sanctæ M.Eccleſiæ doctrinam defendimus *cap.7.ſect.8.* per totam. Et Catholicam hanc veritatem ab objectionibus vindicavimus *ſect.9.10.* ejuſdem *capitis* 7.Modò ad ſequentes duas propoſitiones præcedentibus valde affines.

Senſus propoſitionis 32.

5 Propoſitio 32. *JESUS Chriſtus ſe morti tradidit ad liberandum pro ſemper ſuo ſanguine primogenitos, ideſt, de manu Angeli exterminatoris.* Hujus propoſitionis nequitia in eo eſt, quod aſſerat, & intendat Chriſtum ſolum fuiſſe mortuum pro ſalvandis, & liberandis electis, non autem pro cæteris hominibus. Id ipſum, ſecundùm aliquam ſui partem, confirmat ſequens propoſitio 33. *Proh quantum oportet bonis terrenis, & ſibimet ipſi renuntiaſſe; ad hoc ut quis fiduciam habeat ſibi, ut ita dicam, appropriandi Chriſtum JESU M, ejus amorem, mortem, & myſteria, ut facit Sanctus Paulus, dicens: Qui dilexit me, & tradidit ſemet-ipſum pro me!* In hac relata propoſitione duplex error manifeſtè apparet. Primus eſt; ſolos juſtos, & electos, ut Divus Paulus, & alii ejus imitatores, poſſe fiduciam habere appropriandi ſibi amorem Chriſti, & myſteria mortis, ac Paſſionis ejus; ſupponitur enim Chriſtum pro ſolo Divo Paulo, & aliis electis morti fuiſſe traditum. Hunc errorem damnat Chryſoſtomus ſuper illa verba Apoſtoli, 2. *ad Galatas* 20. ſic inquiens: *Paulus declarat hoc quoque par eſſe, ut quiſque noſtrûm non minus agat gratias Chriſto, quàm ſi ob ipſum ſolum adveniſſet, neque enim recuſaturus erat, vel ob unum, tantam exhibere diſpenſationem. Adeò ſingulorum quemquam hominum, pari charitatis modo diligit, quo diligit orbem univerſum.* Hoc tamen abſurdum, quod in hoc primo errore propoſitionis 33. & ſimiliter in propoſitione 32. repertum eſt, latè, diffuſéque impugnatur *cap.7.ſect.8.9.* & 10. Secundus error iſtius propoſitionis contendit debere, ſeu oportere hominem renuntiare ſibi, nihil ſcilicet operando amore mercenario propter æternam retributionem; & renuntiare etiam terrenis bonis, ut fiduciam habeat, exiſtimandi ſe inter electos enumerari.

In propoſitione 33. duplex error.

Secundus error duplicem partem continet.

6 Impugnãtur prima pars hujus ſecundi erroris in quà dicitur debere hominẽ ſibi ipſi renũtiare, nihil ſcilicet operãdo amore mercenario, ſeu intuitu Beatitudinis; quaſi malũ, & peccaminoſum

Prima pars impugnatur.

caminoſum

caminoſum ſit Deo ſervire propter æternam gloriam obtinendam; in cujus ſervitutis Dei actu homo Deum diligit, ductus amore concupiſcentiæ, erga ſe ipſum. Fundatur noſtra in oppoſitum doctrina; *primò* inter errores Lutheri illum detegendo, in quo Hæreſiarcha ille damnat tanquam malum, & vitioſum actum, quo quis Deum diligit intuitu mercedis æternæ: unde *aſſert.6.* contra Bullam Leonis X. ſic ſcribit Lutherus: *Contritio, quæ paratur per amiſſionem æternæ Beatitudinis facit hominem hypocritam, imò magis peccatorem*: ergo in Lutheranos declinat qui docet oportere aliquem renuntiare ſibi, nil mercedis intuitu operando; ad hoc ut fiduciam habeat appropriandi ſibi JESUM, ejuſque amorem. Unde Concilium Trident. *ſeſſ.6. can.31. Si quis dixerit juſtificatum peccare, dum intuitu æternæ Beatitudinis operatur, anathema ſit. Secundò* confutatur idem error, quia proſcriptus invenitur ab Alexandro VIII. qui in decimâ tertiâ propoſitione damnatâ ſic habet: *Quiſquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licèt Beatitudinis operatur.* Hanc præceſſerat propoſitio decima: *Intentio quâ quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum, merè, ut cæleſtem obtineat Gloriam, non eſt recta, nec Deo placens.* Utramque autem propoſitionem damnavit relatus Pontifex.

Præſens error invenitur inter alios, quos Lutherus docebat.

Idem error proſcriptus fuit ab Alexandro VIII.

7 Idem ratione ſtabilitur. Non eſt vitioſum, quòd à vitiis abſtineamus ex timore ſervili; ſcilicet ob metum gehennæ: ergo neque, ſi Deo famulemur æternæ mercedis intuitu. Et confirmatur primò; quia ſicut ille timor ſervilis (abſque ſervilitate) eſt honeſtus, ſanctus, & ſupernaturalis; ſic etiam iſte amor concupiſcentiæ, quo quis Deum diligit intuitu præmiorum. Confirmatur 2o. quia ſicut non eſt vituperandum, quòd timor ſervilis magis deteſtetur pœnam, quàm culpam; ita vituperandum non eſt, quòd amor concupiſcentiæ magis operetur propter creaturam, quàm propter Deum. Nam illud magis non intelligitur appretiativè, ſed finaliter, quatenus hic amor potiùs Deo famulatur propter hominem, quàm propter Deum ipſum. Vide *cap.2. ſ.1. à n.5. & ſ.2.*

Præfatus error impugnatur rationibus.

8 Neque objiciat Janſenius amorem concupiſcentiæ, quo quis Deum amat, eique famulatur mercedis intuitu, eſſe inordinatum ex eo, quòd creaturæ debent referri ad Deum; qui autem operatur propter Gloriam cæleſtem, operatur

Apertiſſimè demonſtratur nõ eſſe inordinatum, quòd quis Deum diligat amore concupiſcentiæ, hoc eſt, intuitu mercedis.

amando ſe ipſum amore concupiſcentiæ, & ordinando Deum ad ſe, non autem ſe ad Deum ordinando. Igitur, quia in hoc apparet inordinatio, quæ Deo placere nequit, evidens eſt debere quenquam ſibimet renuntiare, & omnia ex charitate operari propter Deum ſummè dilectum, ut fiduciam habeat appropriandi ſibi Chriſti amorem. Non inquam id objiciatur à Janſenio; facilè enim reſpondetur quòd, licèt ille, qui operatur intuitu mercedis æternæ, videatur operari propter ſe ex amore concupiſcentiæ, & non propter Deum; attamen in re ſemper operatur propter Deum, nam omne opus bonum ex ſua natura ordinatur ad Deum. Unde opus miſericordiæ v. g. elicitum ob mercedem conſequendam à Deo, quanvis ſignaté referatur ad operantem, exercité, ac virtualiter per ſe ipſum refertur ad Deum, finem ultimum totius bonitatis. Hinc patet, quòd in his operibus, quæ in obſequium Dei ortum ducunt ab amore concupiſcentiæ, maius bonum, id eſt Deus, ſolùm ordinatur immediaté, & non ultimò, ad minus bonum, ſcilicet ad creaturas: nam mediaté, & ultimò ipſum minus bonum, id eſt creaturæ, ordinantur exercité, & virtualiter ex natura ſua in Deum maius bonum. In hoc autem nulla eſt inordinatio: nam aliàs Incarnatio Divini Verbi fuiſſet etiam inordinaté à Deo diſpoſita, nam, ut docet Divus Thomas, primariò, & immediaté intenta fuit à Deo in remedium peccati, ac inde ſolùm mediatè, & ultimò propter Deum. Sicut igitur in hoc ſenſu abſque impuritatis nævo Incarnatio ordinavit immediaté Deum ad creaturas, fuit enim propter nos homines, & propter noſtram ſalutem; ſic in amore concupiſcentiæ, quo quis operatur intuitu mercedis æternæ.

Conſtat noſtra doctrina ex Scriptura, & D. Auguſtino.

9 Præcedentem doctrinam Sacra Scriptura reddit indubitabilem, in ea enim paſſim excitamur ad virtutes, & bona opera exercenda intuitu mercedis, quapropter de ſe ipſo inquit Pſalmiſta *Pſalm.* 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificaciones tuas in æternum propter retributionem.* Paulus Apoſtolus *ad Coloſſ.* 3. *Quodcunque facitis ex animo operamini, ſicut Dòmino, & non hominibus; ſcientes, quòd à Dòmino accipietis retributionem hæreditatis.* Idem *ad Hebr.* 11. *Maiores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum, improperium Chriſti; aſpiciebat enim in remunerationem.* Similiter *Apocol.* 2. dicitur: *Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo*

dabo tibi coronam vitæ. Non alia doctrina Patrum, Auguſtino Duce, qui ſuper *Pſalm.* 14. inquit: *Non faciamus aliquid, niſi ſpe cæleſtium præmiorum.* Non ergo ſe Auguſtinianos jactitent Janſenii diſcipuli, qui Auguſtini doctrinæ palam adverſantur.

10 Nunc ad alteram partem ſecundi erroris hujus propoſitionis 33. in qua dicitur neceſſariam eſſe renuntiationem bonorum terrenorum, ut fiduciam quis habeat exiſtimandi inter electos ſe enumerari. In hac parte poſtrema hujus erroris extumulatur hæreſis Pelagianorum, qui, teſte Auguſtino *Epiſt.* 89.& 106. prædicabant præfatam bonorum renuntiationem temporalium, tanquam omnino ad ſalutem neceſſariam. Idem docuerunt Hæretici dicti Fraticelli, ut conſtat ex *Extravaganti* 22. *Sancta Romana*, tum ibi, tum à Bonifacio VIII. damnati. Altera pars erroris ſecundi impugnatur.

11 Neceſſitas dictæ renuntiationis adverſatur Sacræ Scripturæ; quia Abraham, Lot, Iſaac, Jacob, Joſeph, & alii viri ſancti fuerunt ditiſſimi, ut norunt illi, qui aliqualem lectionem Sacris Bibliis dederunt. Præterea talis renuntiatio terrenorum vanum, & commentitium reddit ſeptimum illud præceptum, furtum non faciendi. Nam furtum eſt ablatio rei alienæ, domino renuente; aſt hæc renuntiatio ab omnibus Chriſtianis aufert rationem dominii; & à Chriſtianorum bonis tollit alienatum, ſive alienationem, ergo admiſſa dicta renuntiatione, perperam fingitur in Decalago ſeptimum præceptum. Deinde datur præceptum eleemoſynam pauperibus erogandi, ut conſtat ex illo Deuteronomii 15. v. 11. *Præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno, & mendicus non erit inter vos.* Item ex Lucæ 11. v. 41. *Quod ſupereſt, date eleemoſynam.* Ergo ſupponuntur Chriſtiani aliquid proprium habentes: primò, quia nemo dat, quod ſuum non eſt. Secundò, quia Chriſtus, nec etiam pauperibus ita dare præcipit, ut nihil ſibi reſervetur à ſanctis, nam ſub præcepto ſola ſuperflua jubet pauperibus exhiberi, neceſſaria autem ad vitam honeſtè traducendam reſervare, & retinere ſibi unicuique licet ex Domini inſtitutione. Unde Divus Thomas 2. 2. *quæſt.* 87. *a.*1. *ad* 4. *Omnia ſuperflua jubet Dominus pauperibus exhiberi.* D. Beda *lib.*4. *cap.* 54. *in Luc.* 12. *Non hoc præceptum eſſe putandum eſt, ut nihil pecu-*

Aliqui viri juſti ditiſſimi.

Dominium, & eleemoſyna nõ eſſent, poſita renuntiatione bonorum; ex eaque vanum eſſet ſeptimum Legis præceptum.

 niæ

niæ reſervetùr à Sanctis. Magnus Auguſt. *Serm. de Vill.* i nquit: *Quidquid, excepto victu, & veſtitu rationali, ſuperfluit, non luxui reſervetur, ſed in theſauro cæleſti per eleemoſynam reponatur.*

12 Hæc autẽ ſic amplius poſſunt confirmari: *primò*; quia, cùm Chriſtus à quodam adoleſcente fuiſſet ſic in terrogatus: *Magiſter bone, quid boni faciam, ut vitam æternam habeam*? Hæc tantùm ei Chriſtus eſſe neceſſaria reſpondit, ut ad vitam æternam ingredi poſſet; videlicet omnium mandatorum obſervationes; unde Chriſti verba referente Matthæo *cap.* 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*: ergo illa terrenorum renuntiatio non eſt omnino ad ſalutem neceſſaria, ſed tantùm ad maiorem perfectionem: unde Chriſtus prædicto juveni dicenti: *Omnia hæc præcepta cuſtodivi à juventute mea; quid adhuc mihi deeſt?* Ita reſpondit: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Secundò* confirmatur, quia, cùm ex communi totius Eccleſiæ calculo, & praxi hæc bonorum terrenorum abdicatio non cenſeatur ad ſalutem neceſſaria, dicendum foret Eccleſiam in re graviſſima, & neceſſaria ad ſalutem univerſam errare; quod eſt temerarium.

Terrenorum renuntiatio nõ eſt omnino neceſſaria ad ſalutem; ſed tantùm ad maiorem perfectionem.

13 Opponunt hæretici ad inducendum neceſſariam eſſe illam terrenorum omnium renuntiationem propter Chriſtũ, ut quis ſpem habeat inter Chriſti diſcipulos, & electos nominari, illud *Luc.* 14. Ubi Chriſtus ſic inquit: *Qui non renuntiat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Ergo propter Chriſtum omnia bona ſunt neceſſariò renuntianda. Sed contra: ergo tenemur eodem modo extra neceſſitatem, & non urgente martyrio, vitam propria authoritate deponere, ut nos met occidendo efficiamur Chriſti diſcipuli. Dicitur enim à Chriſto eodem *cap. v.* 26. *Siquis venit ad me, & non odit patrem ſuum, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Igitur ex doctrina Chriſti in Lucæ Evangelio lata ſolùm tenemur parato animo eſſe, ut occaſione data, in qua vel bonis terrenis, vel Chriſto ſit renuntiandum, viriliter pro Chriſto renuntiemus non ſolùm bonis quibuſcunque terrenis; ſed etiam parentibus, & cognatis omnibus, ac tandem propriæ vitæ, nè videamur hæc magis amare, quàm Chriſtum; unde apud Matthæum *cap.* 10. *à verſ.* 37. ſic inquit cæleſtis ipſe Magiſter: *Qui amat patrem, aut matrem plus quàm*

Quomodo ſit intelligendum non poſſe Chriſti eſſe diſcipulum, qui omnibus non renuntiat.

quàm me, non eſt me dignus. Et qui amat filium, aut filiam plus quàm me, non eſt me dignus. Et qui non recipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. Qui invenit animam ſuam, perdet illam; & qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.

Harum propoſitionum cenſuræ.

14 Circa cenſuras præſentium propoſitionum dicendum eſt omnes eſſe falſas, impias, & hæreticas, quatenus in Deo negant generalem voluntatem ſalvandi omnes & Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum. Unde ſimili notâ inuſtæ ſunt aliæ propoſitiones, eundem eorrem continentes, ut videri eſt, *cap. 7. ſect.* 10. *num.* 15. Præterea propſitio 33. propter peculiares aliquot errores (de propria ſui renuntiatione, itemque de omnium bonorum amiſſione pro Chriſto, tanquam ad Chriſti amorem, & Paſſionem ſibi à quolibet appropriandam, neceſſaria, requiſitaque conditione) novam induit inuſtionem temeritatis; eſt enim contra commune totiusEccleſiæ labium hæreſis; adverſatur enim ſacræ Scripturæ: ac tandem multiplicis damnationis; fuerunt enim prædicti errores pluries dãnati. Conſtant autem hæc omnia ex præmiſſis.

CAPUT,

CAPUT XI.

DUARUM SEQUENTIUM PROPOSITIONUM ſenſus aperitur, & impugnatur. Doctrina S. M. Eccleſiæ eas proſcribentis defenditur.

PROPOSITIO XXXIV.

Gratia Adami non producebat, niſi merita humana.

PROPOSITIO XXXV.

Gratia Adami eſt ſequela creationis, & erat debita naturæ ſanæ, & integræ.

Propoſitio 34. in ſuo ſenſu eſt implicatoria.

1 STATUITUR propoſitione 34. gratiam Adami non producere, niſi merita humana; ſed obſtat, quòd juxta communem doctrinam Theologorũ cum Divo Thoma 1. 2. *q.* 109. & juxta Concilia, ac Patres, ut infra videbimus, Divina gratia eſt quoddam principium naturæ indebitum, ipſam elevans ad ordinem ſupernaturalem. Quia verò merita humana ſunt opera naturalia, quæ à gratia minimè dependent; dicendum eſt, quòd Protoplaſti merita, meré humana, non erant ex gratia. Imò neque erant merita theologicé dicta; nam meritum in communi Theologorum acceptione eſt *obſequium factum Deo, potens ex ſe movere ad retributionem doni ſupernaturalis*, ut tenent Ovied. Haunol. & Viva *tom.* 5. *diſp.* 5. *quæſt.* 1. *art.* 1. *num.* 1. unde meritis, quæ ſunt à gratia, debetur ut retributio æterna gloria, & augmentum gratiæ,

Quid, & quotuplex ſit meritum.

gratiæ, quod de condigno meretur juſtus: & peccator, ſupernaturali gratiâ adjutus, per contritionem ſupernaturalem meretur primam gratiam de congruo; quia etſi illam non exigat, ex benignitate Divina ei datur convenienter: quidquid in oppoſitum doceat Calvinus in Antidoto Concilii Tridentini *Seſſ.* 6. *cap.* 12. Igitur, quia ſomniatis illis meritis parentis omnium, neque prima gratia de congruo, neque augmentum gratiæ, aut Beatitudo fuit debita; conſequenter illa merita humana, ſic nuncupata, dicendum eſt merita non fuiſſe.

2 Reſpondent adverſarii. Merita Adami fuiſſe in rigore merita, quibus deberetur Beatitudo, erant enim à gratia; ideo autem dici humana hæc merita, quia Adamo pro ſtatu naturæ integræ gratia fuit debita; non enim naturæ humanæ pro illo ſtatu gratia erat ſupernaturalis, ſed connaturalis. Unde propoſitio 35. *Gratia Adami eſt ſequela creationis, & erat debita naturæ ſanæ, & integræ.* Sed ſtatim urget in contrarium; quòd per ſe pateat implicare eſſe gratiam, & eſſe naturalem, ſeu naturæ debitam: inquit enim Auguſtinus *lib.* 3. *contra Maximinum cap.* 15. *Ideo fieri gratiâ filium, quia non eſt naturæ.*

Implicat gratiā, debitam eſſe naturæ integræ

3 Patet igitur errorem utriuſque propoſitionis ſuprà ſcriptæ in eo potiſſimùm ſtare, quòd gratia dicatur debita, & connaturalis naturæ integræ. Unde hic error in ſenſu proprio proſcriptus fuit inter propoſitiones Baii à Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. damnatas. Conſidera ſequentes Baii propoſitiones.

Error propoſitionum 34. & 35. & fuit jam proſcriptus inter propoſitiones Michaelis de Baii.

I. Nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia.

III. Primo homini, ſi in ſtatu illo permanſiſſet uſque ad ultimum vitæ, felicitas eſſet merces, & non gratia.

XXII. Humanæ naturæ ſublimatio, & exaltatio in conſortium Divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, & proindè naturalis dicenda eſt, & non ſupernaturalis.

XXIV. Abſurda eſt ſententia eorum, qui dicunt hominē ab initio dono quodam ſupernaturali, & gratuito ſuper conditionem naturæ fuiſſe exaltatum, ut Fide, Spe, & Charitate Deum ſupernaturaliter coleret.

LV. Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur; hoc eſt, deſtitutum originali juſtitiâ, & ſanctificante

ficante gratiâ, cùm integræ naturæ dicatur debita, & connaturalis.

4 *Suppono primò* has præcipuas propoſitiones impugnaturus, finem hominis eſſe duplicem; naturalem unum, ſupernaturalem alium. Primus eſt ille, ad quem ordinatur homo ex vi, & impetu propriæ naturæ. Secundus autem naturam excedit, & ordinatur homo ad illum per gratiam. Hæc eſt doctrina Divi Thom. 1. *p. q.* 23. *art.* 1. loquendo de Angelis, & *in* 1.2.*q.*5. *a.*5. & *q.*62.*a.*13. Hanc duplicis finis diſtinctionem admittunt cæteri Thomiſtæ communiter cum Caiet. 1. *p. q.* 62. *art.* 1. Soto *lib.* 1. *de Nat. & Grat. cap.* 3. & *in* 4. *diſt.* 49. Item Scotiſtæ cum Magiſtro Subtiliſſimo *q.*3. *Prologi ad argum. primæ quæſt. in fine.* Ratio eſt: quia omne vivens habet aliquem finem ſibi connaturalem, in quem tendat, ut agnoverunt Philoſophi cum Ariſtotele *lib.* 1. & 10. *Ethic.* igitur; quia homo eſt vivens intellectivus, poſtulat pro fine ſuæ virtutis intellectivæ intellectivam operationem. Hæc autem habet pro objecto adæquato, & extenſivo omne intelligibile, tam naturale, (& ecce finis naturalis) quàm ſupernaturale, in quod tendit per elevationem, & ecce finis ultimus, & ſupernaturalis hominis.

Finis hominis duplex.

5 Quòd autem hic finis, conſiſtens in aſſequutione objecti ſupernaturalis intelligibilis, ſit ſupra naturalem capacitatem hominis, & excedens humanas naturæ vires; patet *primò* ex eo, quòd tale objectum ſit in ſe ſupernaturale. Patet *ſecundò* ex neceſſitate luminis gloriæ intellectum elevantis. Patet *tertiò* ex Concilio Viennenſi, à quo damnantur Anomæi, Begardi, & Beguiniſtæ, qui docebant Deum ex ſolius naturæ viribus videri poſſe. Patet *quartò* ex Sacra Scriptura variis in locis atteſtante Deum videri non poſſe abſque ſupernaturali adjutorio. Unde *Iſai.* 64. *Oculus non videt, Deus, abſque te, quæ præparaſti expectantibus te.* Et 1. *ad Corint.* 2. *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Hæc autem præparatio eſt per ſupernaturalem providentiam; quapropter dicitur ad *Timot.* 1. *cap.* 6. *Lucem habitat inacceſſibilem, quem nemo hominum vidit, ſed nec videre poteſt*, hoc eſt, viribus naturæ, & præciſa præparatione ſupernaturali adjutorii indebiti.

Finis ſupernaturalis excedit vires humanas.

Sup-

6 *Suppono ſecundò,* Theologos, nullo excepto, in eo cōvenire cum Divo Auguſtino *lib.* 14. *de Civit. cap.* 10. *&* 17. itemque *lib.*4. *contra Julian. cap.* 13. hominem productum fuiſſe à Deo in ſtatu naturæ integræ. Quiſnam autem ſit hic ſtatus, dubitant Authores. Aſt, relicta opinione Durandi *in* 2. *diſt.* 28. hanc naturæ integritatem ponentis in naturali poſſeſſione omnium facultatum, & perfectionum; communior Theologorum ſententia eſt: ſtatum naturæ integræ conſiſtere in quadam carentia fomitis, & effrænatæ concupiſcentiæ, ſeu in perfecta ſubjectione appetitûs ſenſitivi ad rationalem; itaut inferior appetitus contra ſuperiorem moveri, aut rationem prævenire non permitteretur. Ita Caietan. 1. 2. *q.* 109. *art.* 2. Soto *de Nat. & Grat. lib.* 1. *cap.* 5. Gonet. *tom.* 2. *diſp.* 3. *de Natura integ. art. unico*, & alii. Fortaſſe eadem eſt Durandi mens; quatenus illam carentiam fomitis, & perfectam ſubjectionem appetitûs ſenſitivi ad rationalem nominat perfectam, & naturalem poſſeſſionem omnium facultatum in ſuo pondere, & naturali perfectione.

Homo fuit creatus à Deo in ſtatu naturæ integræ.

Quiſnam ſit hic ſtatus naturæ integræ.

7 His poſitis, inſurgit nunc tota in præſenti difficultas, & cardo unicus præſentis diſputationis. Utrùm homini in ſtatu naturæ integræ Divina gratia fuerit connaturalis, ac debita, an potiùs donum ſupernaturale, & gratuitum? Quòd gratia fuerit debitum connaturale ſtatui naturæ integræ, mens fuit Michaelis de Baii, ut conſtat ex proſcriptis ejus propoſitionibus ſuperiori *num.* 3. relatis, itemque ex Theſibus 34. & 35. quas impugnamus in præſenti. Quia tamen oppoſitum docet S. M. Eccleſia, quæ has propoſitiones damnavit; pro defenſione veræ, & Catholicæ doctrinæ duplicem appono cōcluſionem, non parùm afferentes ad præſens inſtitutum.

Utrùm gratia fuerit naturæ integræ connaturaliter debita.

8 *Prima concluſio.* Probabile eſt primum parentem ſanctificante gratiâ non fuiſſe ornatum in ſua creatione. Hoc probabile tantùm judicavi, quia in hoc puncto nihil indubitabile habemus; neque eſt ratio, aut Scriptura convincens pro una, vel altera parte. Igitur quia hoc factum ſolùm pendebat ex voluntate Dei, qui Adamum poterat creare in gratia ſanctificante, aut ſine illa; Dei autem voluntas in hoc non eſt nobis manifeſta; & præterea pro qualibet parte non deſunt fundamenta; non plus, quàm probabile judicium efformari poteſt

Eſt probabile Adamum caruiſſe gratia in ſua creatione.

de

de hac re. Divus Auguſtinus (aut quiſquis Author eſt libri quæſtionum novi, & veteris Teſtamenti) *quæſt.* 123. eos refellit, qui docent Adamum in ſua creatione accepiſſe Spiritum Sanctum. Eandem ſententiam tenet Magiſter *in* 2. *diſt.* 24. Divus Bonav. Scot. cum tota Schola, & alii. Oppoſitum defenditur à Div. Thom. 1. *p. q.* 95. *art.* 1. Suar. *de Grat.* 1. *p. Prolog.* 4. *cap.* 1. *n.* 14. Gonet. *tom.* 2. *diſp.* 1. *de creatione hominis, & ſtatu innocentiæ, art.* 3.

9 *Secunda concluſio.* Certum eſt apud Catholicos cum Divo Thom. *q.* 4. *de Malo art.* 1. Scoto *in* 2. *diſt.* 28. Bellarm. *de Grat. primi hominis, cap.* 1. Suar. *Prolog.* 4. *de Grat. cap.* 1. Vaſquesio *in p.* 2. *Diſput.* 185. *cap.* 12. primum parentem potuiſſe à Deo creari in ſtatu puræ naturæ abſque infuſione gratiæ ſanctificantis, aut cujuſlibet alterius doni ſupernaturalis. Hoc patet *primò*: quia, ſi homo creari non potuiſſet ſine gratia, jam homini foret gratia ex vi naturæ debita, & conſequenter gratia talis non eſſet. Vide Suar. *Tom.* 1. *de Grat. Prolog.* 3. *cap.* 1. & ea, quæ *numero* 2. diximus. Eſt enim gratiæ eſſentia, quaſi genericè conſiderata, quòd ſit gratuita donatio, non debita. *Secundò*; quia homo per gratiam fit filius adoptivus Dei; ſi autem homo ex natura ſua gratiam conſequeretur, eſſet ſuapte naturâ filius Dei. Neque talis filiatio jam diceretur adoptiva, adoptio enim eſt mere gratuita; & nullatenus debita ex vi naturæ. *Tertiò*, & valde efficaciter. Aut naturæ humanæ ex ſua intrinſeca poſtulantia debetur gratia, illam exigenti ex intrinſecis prædicatis; aut non. Si primum: ergo non fuit à gratia denudata per peccatum; hoc enim naturam non deſtruxit ab intrinſecis prædicatis, & à naturali exigentia, quam ut natura habebat. Si ſecundum: ergo jam gratia non eſt naturæ debita: ac inde potuit primus homo integer creari ſine gratia. *Quartò.* Homo non poteſt ex natura ſua, præciſo dono gratuitò ſupernaturali, diſponi ad viſionem beatam, aut illi proportionari, illam ve exigere, ut patet ex dictis *num.* 5. unde locum habet illud Apoſtoli *in* 1. *ad Timot.* 6. *Lucem habitat inacceſſibilem*; gratiæ autem connaturalis eſt viſio Dei, & lumen gloriæ. Ergo ſi primo homini fuit gratia connaturalis, etiam gloria, & viſio Dei eſſet illi connaturalis, quod eſt hæreticum, ut liquet ex Clementina, *Ad noſtrum* de Hæreticis

Potuit Adamus creari abſque infuſione cujuſcunque doni ſupernaturalis.

Gratia non fuit Angelicæ naturæ debita connaturaliter.

gratia, & hæc illis donum fuit gratuitum, non naturæ debitum: ergo idem de homine dicendum, cùm non ſit illius natura Angelicâ præſtantior. Antecedens eſt Divi Auguſtini *lib.* 13. *Confeſſ. cap.* 2. 3. & 4. ubi erga Angelos duplicem in Deo diſtinguit actionem; unam, quâ illis contulit naturam; aliam, quâ illis contulit gratiam. Idem antecedens docuit *lib.* 12. *de Civit. cap.* 9. Accedit Divus Baſilius *lib. de Spiritu Sancto, cap.* 16. ubi inquit: *Ipſæ cæleſtes virtutes non naturâ ſua, ſanctæ ſunt, ſed à Spiritu Sancto.* Ex his facilè, & firmiter deducitur ſequens, & præcipua reſolutio.

§. I.

Homini in ſtatu naturæ integræ Divina gratia non fuit connaturalis, ſed ſupernaturalis; non fuit debitum, ſed donum.

10 PRobatur *primò.* Quia é contrariâ reſolutione, nullus eſſet locus dubitandi inter Doctores Catholicos: An homo in ſuâ creatione caruerit gratiâ ſanctificante? Nullum enim opus perfectum caret ſibi debitis ornamentis. *Secundò*; quia abſurdum eſſet cenſére, hominem de facto in ſui conditione ſanctificante gratiâ non fuiſſe ornatum: implicat enim eſſe à naturâ, & naturaliter deeſſe; cùm tamen ſit valde probabilis opinio, quæ docet hominem non habuiſſe gratiam in creatione; ut liquet ex dictis num. 8. Probatur *tertiò*; quia, ſi gratia naturæ integræ fuit connaturalis, non poterat homo creari ſine gratiâ ſanctificante: cùm enim gratia foret eſſentialis integritati naturæ, implicaret ſtatus naturæ integræ abſque gratiâ. Eſt tamen certo certius potuiſſe hominem à Deo condi in integritate naturæ, à gratiâ denudatum, ut conſtat ex dictis *num.* 9. *Quartò*: quia, ſi gratia foret connaturalis naturæ integræ, etiam ei foret connaturalis Dei viſio; hæc enim gratiæ proportionatur: aſt viſio Dei, nulli naturali virtuti debetur connaturaliter: ergo neque gratia. Conſtant hæc ex monitis, ac ſuppoſitionibus præjactis *num.* 4. & 5. Neque reſponderi licet homini perſeveranti in integritate naturæ fore gloriam connaturalem; quia nec Angelis Beatis, qui in nullum peccatum ſunt lapſi, viſio Dei fuit connaturalis,

Variè oſtenditur gratiâ fuiſſe indebitam integritati naturæ.

Nec etiam ulli Angelorũ Dei viſio fuit connaturalis.

naturalis, ſed ad eam ſunt ordinati per dona gratiæ, atque ſupernaturalis ordinis. Unde abſolutè, tam de Angelis, quàm de hominibus intelligitur illud Apoſtoli ſuprà relati: *Lucem habitat inacceſſibilem*; & illud *Pſalm.* 17. *Poſuit tenebras latibulum ſuum.* Et *Pſal.* 96. *Nubes, & caligo in circuitu ejus.* Ultimò tandem, & *quintò* probatur: quia, ſi gratia connaturalis eſſet primò homini in ſtatu naturæ integræ, maneret etiam poſt peccatum, quia hoc non tollit dona naturalia, ut docent Divus Dionyſius *cap.* 4. *de Divinis nomin.* Divus Thom. 1. 2. *q.* 85. *a.*6. & *q.* 89. *a* 3. & 4. *contra Gent. cap.* 52. ubi indicat hanc doctrinam de fide eſſe. Gabriel *diſt.* 30. *in* 2. Et tibi Durandus *Diſt.* 20. *q.* 5. Marſil. *in* 2. *Diſt.* 18. Capreolus *Diſt.* 30. *q.* 1. *a.* 2. & alii.

11 Confirmatur noſtra reſolutio tum ex his, quæ diximus num. 9. præcedenti, quæ valde probant noſtram aſſertionem, tum etiam ex Conciliis, & Patribus. Nam Concilium Arauſicanum *Can.* 19. ſic ſtatuit: *Natura humana, etiamſi in illa integritate, in qua eſt condita, permaneret, nullo modo ſe ipſam, Creatore ſuo non adjuvante, ſervaret. Unde, cùm ſine gratia Dei ſalutem non poſſet cuſtodire, quam accepit, quomodo ſine Dei gratia poterit reparare, quod perdidit?* In his verbis oſtendit Concilium neceſſitatem gratiæ, quæ datur ad meritum in natura lapſa ex neceſſitate, quæ erat in natura integra: ergo, quia juxta Concilium natura in utroque ſtatu habet eandem inferioritatem, & neceſſitatem, etiam in utroque ſtatu gratia eſt ſuperior naturæ, eique confertur veluti donum ſpecialiſſimum Dei mere gratuitum. Accedit Concilium Tridentinum, quod *Seſſ.* 6. *de Juſtific. Can.* 3. damnat eos, qui docent poſſe hominem naturaliter, ut oportet, Fidem, Spem, & Charitatem habere; hæc enim per ſolam Spiritùs Sancti infuſionem nobis conferuntur: ſi autem hæc eſſent debita naturæ integræ, cui eſſet gratia connaturalis; non eſt cur debita non eſſent naturæ lapſæ poſt Baptiſmum, in quo peccatum, & ejuſdem pœna omnino remittitur, ut conſtat ex eodem Trid. *Seſſ.* 5. in Decreto de peccato originali; ac per conſequens negandũ non eſſet poſſe hominem poſt ſuſceptum Baptiſmum credere, ſperare, & diligere, ſicut oportet, ſi id poſſet ante originale peccatum.

Ex neceſſitate gratiæ ad meritum in natura integra probat Concilium Arauſicanum eandem neceſſitatem in natura lapſa.

Si gratia eſſet debita naturæ integræ, ſic eſſet naturæ lapſæ poſt Baptiſmũ ſuſceptum.

Sanc-

12 Sanctorum Patrum teſtimonia præcedentem doctrinam confirmant; nam Divus Clemens Alexandrinus *lib.* 1 *in Joan. cap.* 13. ait: *Creatura, cùm ſit ſerva, nutu tantùm, & voluntate Patris ad ſupernaturalia elevatur*; Divus Auguſtinus in *Enchir. cap.* 106. ſic inquit de natura adhuc integra in Adamo ante peccatum: *Sine gratia, tunc, nec ullum meritum eſſe potuiſſet, quia, etſi peccatum in ſolo arbitrio erat conſtitutum, non tamen juſtitiæ habendæ, vel retinendæ ſufficiebat liberum arbitrium, niſi participatione immutabilis boni Divinum adjutorium præberetur.* Idem Sanctus Doctor *lib.* 2. *de Peccato originali, cap.* 2. ſic ſcribit: *Non enim Dei gratia gratia erit ullo modo, niſi gratuitâ fuerit omni modo.* Item *lib.* 12. *de Civit. cap.* 9. docet *Sanctos Angelos, quem habent Creatorem naturæ, eundem habere bonæ voluntatis Authorem per Spiritum Sanctum, in eis charitate diffuſa*: ergo de homine ante lapſum idem docendum. Divus Bernardus *Serm.* 1. *de Annuntiat.* apertiſſimè prædicat hominem de ſe neque in natura integra, neque in natura lapſa gratiam habuiſſe ad bona opera neceſſariam; ſed eam tanquam donum indebitum ante lapſum recepiſſe, ſicut & poſt reparationem. Unde dicit: *De bonis operibus certum omnino eſt, quòd nemo habet à ſe ipſo. Nam, ſi ſtare non potuit humana natura adhuc integra, quantò minus poterit per ſe ipſam reſurgere jam corrupta?* Id expreſſè docuit Divus Thomas 1. 2. *q.* 109. *art.* 3. his verbis: *Virtute gratuita, ſuperaddita virtuti naturæ, indiget homo in hoc ſtatu naturæ integræ, quantùm ad operandum, & volendum bonum ſupernaturale.*

Sancti Patres probant Catholicam noſtram veritatem.

13 Quæres: quanam cenſurâ damnetur error, his duabus propoſitionibus contentus, & à nobis hucuſque impugnatus? Reſpondeo in primis eſſe erroneas, ſcandaloſas, & temerarias ipſas propoſitiones: Conſonat hoc doctrinæ, quam præmiſimus *cap.* 1. pro intelligendis propoſitionum cenſuris. Deinde patet ex dictis ibidem, eas eſſe hæreſi proximas: ex his enim propoſitionibus conſequenter deducitur naturam integram propriis viribus æternam Beatitudinem aſſequi potuiſſe; quod eſt contra Scripturam, ut ſuprà diximus, ac damnatum à Viennenſi, ut meminimus ſuperiori *num.* 5. Præterea ex *num.* 3. videtur has Theſes fuiſſe juxta proprium ſenſum pluries damnatas. Si tamē ſemel ſtatuatur etiā ex Sacro Textu conſtare gratiam omni naturæ ſtatui eſſe indebitam, & ſuperiorem

Cenſuræ iſtarū propoſitionū.

riorem,(ut nonnulli deducunt ex illo ad *Rom.* 5. *v.* 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum*; cui acceptioni favet Divus Auguſt. *lib.* 12. *de Civit. cap.* 9.) tunc dicendum eſt conſequenter etiam hæreticas eſſe eaſdem propoſitiones.

§. II.

Reſpondetur objectionibus.

Argumentum Janſenij pro connaturalitate gratiæ cum natura integra.

14 OBjicitur primò ex Janſenio. Anima rationalis, cùm immediaté à Deo creata ſit, non poteſt non creari recta, bona, & perfecta; aliter ejus vitium, ac defectus Deo tribueretur; atqui creatura rationalis, intellectu, & voluntate prædita, quæ non crearetur ex natura ſua directa ad Deum videndum, & amandum ſuper omnia, non exiret rectè ordinata, bona, & perfecta: ergo dicendum eſt, quòd homo ex naturali genio ſuæ creationis ſit bonus, rectus, & ordinatus ad Deum in ſe videndum, & ſuper omnia diligendum.

Cur Angeli in creatione peccatum non cõtrahant?

15 Probatur maior. Nam ideo Angeli in creatione non poterant ullum peccatum contrahere, (ſicuti homines originale contrahunt ex Adamo, in quo tanquam in capite morali continebantur) quia ſunt immediaté à Deo per creationem. Et confirmatur: quia ob eam rationem dubitavit Auguſtinus aliquandò, an Anima rationalis eſſet ex traduce, an immediaté à Deo creata? Ut conſtat ex Auguſtin. *Epiſt.* 28. (De quo tamen hodie dubitare non licet poſt doctrinam Conciliorum Niceni, & Lateranenſis, quæ continetur in Decreto Leonis I. *Epiſt.* 93. *ad Toribium*, ubi ſtatutum eſt contra Luciferianos, Animas rationales non traduci ex ſemine; quod etiam probat Auguſt. *lib. de Hæreſ. cap.* 86. ac Divus Thom. 2. *contra Gent. cap.* 86. & 1. *p. q.* 118. *a.* 2. Nam, licét parvuli peccatum originale contrahant in Anima, id non provenit ex vi ſuæ creationis immediatæ à Deo, ſed tantùm, quia immergitur corpori deſcendenti ab Adamo; unde fit, ut parvulus, quatenus verus homo, ex Anima rationali, & corpore conſtans, incipiat eſſe filius Adæ, & pars naturæ humanæ, quæ tota in Adamo continebatur ad pactum de originali, tanquam in capite morali.

Anima rationalis nõ fit per eductionem, ſed immediatè à Deo ex nihilo fit per creationem.

Pro-

16 Probatur minor: nam id, quod fini ſuo proportionatum non eſt, non dicitur rectum, & proportionatum; atqui Deus ſuper omnia ſummé diligendus, & claré videndus eſt ultimus finis creaturæ rationalis: ergo hæc, quia ex ſua creatione eſt perfecta, & fini ſuo proportionata, debet per ipſam creationem, & naturam ad illum ultimum finem ordinari, & proportionari. Si autem dicatur, quòd creatura nõ ſit ultimo fini Deo ordinabilis, niſi per gratiam, neceſſariò hæc dicenda eſt homini connaturalis, ac debita; nè forte dicatur homo in natura integra, & perfecta à Deo creatus non recté, aut ad ſuum ultimum finem non ordinatus; quod cautum eſt in maiori præjacti argumenti.

17 Confirmatur fundamentum hoc. Quia clara viſio Dei, in qua conſiſtit Beatitudo, & finis ultimus naturæ rationalis, negari non poteſt homini innocenti, & nullo peccato infecto; atqui in natura adhuc integra nullum fuit peccatum: ergo homini in ſtatu naturæ integræ viſio Dei eſſet debita; quod eſt intelligendum juxta poſtulantiam ipſius ſtatûs integræ naturæ abſque ſupernaturali dono, & favore indebito. Unde Auguſtinus *lib. 3. contra Julian. c. 3. & lib. 1. contra Pelagian. c. 18.* inquit, non poſſe Deum abſque injuſtitia negare parvulis adoptionem filiorum, ſi abſque peccato originali iſti naſcerentur. Ac proinde à paritate idem eſt dicendum de ſtatu naturæ integræ.

Auguſtinus allegatus à Janſenio pro confirmatione argumenti.

18 Pro ſolutione argumenti præjacti eſt præſciendum finem creaturæ rationalis eſſe duplicem, naturalem ſcilicet, & ſupernaturalem, de quibus ſuprà memini *num.* 4. Ad finem naturalem, ſuppoſita naturali de Deo notitia, ducitur homo per naturalem dilectionem. Ad finem ſupernaturalem, ſuppoſita per Fidem notitià, dirigitur homo ſupernaturaliter per gratiam, & dilectionem Dei ſuper omnia. Ratio eſt: quia finis naturalis eſt Deus intra naturæ ordinem, cognoſcibilis non claré in ſe; nam *lucem habitat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, nec videre poteſt*: cognoſcibilis igitur, juxta proportionem naturæ, hoc eſt abſtractivè, ſicque amabilis amore naturali. Finis autem ſupernaturalis eſt Deus excedens ordinem naturæ, ut Author gratiæ, & totius ordinis ſupernaturalis, cognoſcendus aut per Fidem in myſteriis, aut facie ad

Qualiter homo dirigatur tã ad finem ſuum naturalem, quàm ſupernaturalem.

faciem per lumen gloriæ; ſicque tam in via, quàm in Patria amore ſupernaturali diligendus. Quæ quidem diſtinctio duplicis amoris, quo homo naturaliter, & ſupernaturaliter in Deum dirigitur, eſt omnino certa contra Michaelem Baii, cujus ſunt duæ ſequentes propoſitiones, quas Pius V. Gregorius XIII. & Urbanus VIII. damnarunt; ſcilicet 34. *Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur, ut Author naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur, ut Beatificator, vana eſt, & commentitia, & ad illudendum ſacris Litteris, & plurimis veterum teſtimoniis excogitata.* Et 36. *Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur ex ſola Philoſophia, per elationem præſumptionis humanæ cum injuria Crucis Chriſti defenditur à nonnullis Doctoribus.*

Deus duplici amore, naturali, & ſupernaturali, diligitur.

Erravit Baius duplicem illum amorem negãdo.

19 Reſpondetur ergo facilè ad objectionem diſtinguendo maiorem: Anima rationalis, cùm ſit à Deo immediatè creata, non poteſt non creari rectè bona, & perfecta, juxta exigentiam naturalis ordinis, & juxta dirigibilitatem ad finem naturalem, concedo; nego tamen, ſi id ſit intelligendum relatè ad ea, quæ ſpectant ad ordinem ſupernaturalem, & cum directione ad finem ultimum ſupernaturalem. Ratio eſt: quia Deus in creatione rationalis animi extitit tanquam Author naturæ; cùm Anima rationalis ex ſe opus ſit naturales vires non excedens; igitur ſatis fuit, quòd Anima rationalis eſſet undequaque perfecta intra naturæ poſtulantias: non autem exigitur à natura ſui ipſius ſublimatio ad gratiam, amorem Dei ſuper omnia & meritorium, aut tandem ad claram Dei viſionem, ut conſtat ex dictis à *num.* 10. Qua ſolutione poſita, infirmantur reliqua ad probationes, & confirmationes adducta in argumento.

Reſpondetur ad argumentũ Janſenii, propoſitum num. 14.

Anima rationalis in ſua creatione habet omnem perfectionem ſibi naturaliter debitam.

20 Aſt, nè aliquibus videatur ſolutione adhuc indigere confirmationem illam *num.* 17. poſitam; dico, claram Dei viſionem juſtiſſimè fore denegandam Animæ rationali in ſtatu naturæ integræ, & nulli peccato obnoxiæ; ſi ſumatur hic ſtatus ab omni elevatione ſupernaturali denudatus, & ab indebitis ornamentis gratiæ præciſus; ratio eſt, quia Animæ rationali ſic conſideratæ viſio Dei non eſſet connaturalis, ſed ſuperioris ordinis: ergo non eſſet debita, ac inde poſſet abſque injuſtitiæ nota denegari. Neque obſtat, quòd juxta Auguſtinum relatum eodem *num.* 17. Deus non poſſet abſque injuſtitia negare

Viſio clara Dei eſt omnino indebita Animæ denudatæ ab omni ſupernaturali elevatione.

par-

parvulis adoptionem, ſi iſti naſcerentur abſque originali. Loquitur enim Sanctus Doctor ſecundùm ſtatum juſtitiæ, & gratiæ, quâ gratuitò donatus fuit Adam; eam enim gratiam contraherent parvuli, ſi originale non contraherent: ac inde, non contracto originali, contraherent juſtitiam, & gratiam, cui eſſet viſio Dei connaturalis.

21 Objicitur ſecundò. Si Adamus peccando ſanctitatem, & juſtitiam non amiſiſſet, in quà fuerat conſtitutus (ut loquitur Tridentinum ſeſſ. 5.) Verbum Divinum Humanitatem non aſſumeret, ut eſt receptiſſima Theologorum doctrina cum Sanctis Patribus Irenæo, *lib.5.ad verſùs hæreſ.cap.4.* Athanaſio *orat. 3. contra Arrian.* Nazianzeno *orat. 36.* Cyrillo Alexandrino *Dialog. 5. de Trinit.* Ambroſio *lib.de Incarnationis Dominicæ Sacramento cap.6.* Auguſtino *Serm.8.de verbis Domini*, Leone Papa *Serm.3.de Pentecoſte*, & multis aliis. Poſito ergo, quòd neque Adamus peccaſſet, neque Chriſtus eſſet, adhuc homo ordinaretur per media congruentia ad vitam æternam; atqui talis gratia hominem ſic ordinans ad Beatitudinem non daretur per merita Chriſti: ergo daretur per exigentiam, & condignitatem naturæ. Probatur conſequentia; nam ex Joan.*cap.1.v.17.* *Gratia, & veritas per JESUM Chriſtum facta eſt*: ergo, quia in naturà non lapſa gratia per Chriſtum non eſſet, dicendum eſt, quòd tunc foret propter condignitatem ipſius naturæ. Reſpondeo ſtando doctrinæ Divi Thomæ verum quidem eſſe, quòd, non peccante Adamo, Chriſtus non eſſet; ſaltem ex vi præſentis de Incarnatione decreti. Quamvis enim Scotus aliter probabiliter doceat; attamen, neque ex Scripturà conſtat Incarnationis decretum fuiſſe, præter quam in remedium peccati: neque inveſtigari poteſt; an vellet Deus, quòd Chriſtus per aliud decretum ponendum extitiſſet, & ob alium finem, à peccati redemptione. Aſt, non dato peccato originali, adhuc natura integra ordinaretur ad ſupernaturalia, per gratiam elevata, quæ nullatenus ei foret connaturaliter debita, ſed gratuitum donum, per Dei bonitatem, & miſericordiam conceſſum. Neque obſtat illud Joannis teſtimonium præjactum. Nam, licèt gratia ſanativa neceſſariò requirat ob juſtitiæ rigorem, & abundantiam miſericordiæ Chriſtum Dòminum Redemptorem, cujus meritis datur; non tamen requiritur Chriſtus

Incarnatio Verbi Divini in remedium pecca ti.

In ſuppoſitione quòd Adam nõ peccaſſet, & Verbum Divinum carnem non aſſumeret, gratia nobis nõ concederetur per merita Chriſti, ſed per Dei bonitatem, & miſericordiam.

tus Redemptor ad gratiam non ſanativam, ſed ſolummodo elevantem, adjuvantem, & cooperantem; qualis ſolummodo foret gratia conceſſa naturæ integræ, præciſa omni virtute curationis. Igitur Joannes loquitur de gratia, non ut ſolùm elevante humanitatem, ſed ut curativa etiam illius, quo modo per JESUM Chriſtum facta eſt.

Locus Auguſtini difficillimus.

22 Objicitur tertiò ex Divo Auguſtino *lib. de Prædeſt. Sanct. cap.* 15. ubi Janſeniſtæ Sanctum Doctorem Patronum putant habere; inquit enim: *Humana hîc merita conticeſcant, quæ perierunt per Adam.* Igitur juxta Auguſtinum, per Adamum perierunt aliqua merita; atqui non perierunt merita gratiæ, quæ nunc regnant in Eccleſia; unde Auguſtinus loco citato; *regnet, quæ regnat, Dei gratia per JESUM Chriſtum Dominum noſtrum*; ergò ſolùm perierunt merita humana, id eſt, naturæ integræ; ut ſignificant illa Auguſtini verba *humana hîc merita conticeſcant.* Fateor hunc locum difficillimum, & obſcuriſſimum videri; aſt ex eo tantùm, quia Auguſtini verba, & ſenſus, ut par eſt, non exponuntur. Igitur pro ſolutione ſciendum eſt Sanctum Doctorem citato loco agere adverſùs Pelagianos docentes homines ſalvari per merita naturæ viribus facta; ac ideo, per illa verba *humana merita conticeſcant*, efficitur hic ſenſus, *taceantur, & nullatenus nominentur jam merita ea, quæ ſunt ex naturæ viribus*, quapropter illud adjungitur; *& regnet, quæ regnat Dei gratia*, quaſi radix totîus meriti. Deinde cùm Sanctus Doctor addit: *quæ* (ſcilicet humana merita) *perierunt per Adam*; ſciendum, quòd in his verbis validiſſimam probationem adducit, ab operibus naturæ rationem meriti excludentem: nam *pereo* idem ſignificat, ac *malè eo*, ut inquit Calepinus; unde in paucis illis Divi Auguſtini verbis per compendium (de more Sancti Doctoris) continetur ſequens diſcurſus: Per Adam, & per illîus peccatum natura humana eſt depravata, & illîus opera perierunt, & malè ierunt: ergo ejus opera naturalia, quæ proveniunt ex maſſa corrupta, non poſſunt nominari, ac dici æternæ vitæ meritoria ex ſe, præciſo gratiæ adjumento.

Intendit Divus Auguſtinus nō dari *merita humana*, hoc eſt, viribus naturæ. Et probat: nam opera naturæ per Adam perierunt, hoc eſt, *male ierunt*: quatenus natura lapſa, facta eſt prona ad malum.

CAPUT XII.

'mpugnantur propoſitiones XXXVI. *&* XXXVII.

Differentia eſſentialis inter gratiam Adami, & ſtatûs innocentiæ, ac gratiam Chriſtianam, eſt: quòd primam unuſquiſque in propriâ perſonâ recepiſſet: iſta verò non recipitur, niſi in perſonâ JESU Chriſti reſuſcitati, cui nos uniti ſumus.

Gratia Adami, ſanctificando illum in ſemetipſo, erat illi proportionata. Gratia Chriſtiana nos ſanctificando in JESU Chriſto eſt omnipotens, & digna Filio Dei.

1 DUPLEX error continetur in his propoſitionibus. *Primus* (qui utrique propoſitioni communis eſt) in eo ſtat, quòd gratia juſtificans dicatur nobis extrinſeca. Quomodo autem juſtificamur? Gratiâ extrinſecâ, inquiunt, & externâ juſtificatione, quæ in Chriſto eſt, reputatur tamen nobis propter moralem unionem, quam cum Chriſto habemus, quatenus piiſſimus JESUS nos in amicos, & fratres ſibi copulat. Unde, quia gratiam Adami ſolam, docent fuiſſe intrinſecam, conſequenter deducunt diſcrimen unicũ inter gratiam ſtatûs innocẽtiæ ſanæ, & naturæ ſanæ, ac gratiã naturæ reparatæ poſt lapſũ, hoc eſſe; quòd illa inhærebat intrinſecé, hæc extrinſecè tãtùm imputatur. Hic eſt proprius ſenſus præſentium propoſitionum; videlicet 36. *Differentia eſſentialis inter gratiam Adami, & ſtatûs innocentiæ, ac gratiam Chriſtianam eſt; quòd primam unuſquiſque in propriâ perſonâ recepiſſet: iſta verò non recipitur, niſi in perſonâ JESU Chriſti reſuſcitati, cui nos uniti ſumus.* 37. *Gratia Adami ſanctificando illum in ſemetipſo erat illi proportionata; gratia Chriſtiana*

Errant hæ propoſitiones negando internã juſtificationem in ſtatu naturæ lapſæ, & reparatæ.

na nos ſanctificando in JESU Chriſto eſt omnipotens, & digna Filio Dei. In illis autem verbis poſtremæ propoſitionis, videlicet: *Gratia Chriſtiana ::: eſt omnipotens, & digna Filio Dei,* continetur *ſecundus error*; in quo iterum ſtatuitur gratiam Chriſtianam eſſe omnipotentem, hoc eſt, irreſiſtibilem, arbitrium neceſſitantem, libertatemque deſtruentem. Hic tamen error manet impugnatus circa propoſitiones X. XI. & XVI. vide *cap.7.ſect.* 5. Igitur de primo tantùm errore, in præſenti erit agendum.

Errant etiam iterum ſtatuendo Chriſti gratiam eſſe irreſiſtibilem.

2 Præfatus error jam dudum fuit damnatus à Tridentino infrà citando contra Calvinum docentem, in juſtificatione noſtrâ non infundi gratiam inhærentem, nobiſque intrinſecam, quâ homo interiùs renovetur, fiatque in ſe juſtus, & ſanctus; ſed tantùm imputari nobis externam Chriſti juſtitiam, & gratiam, quâ ab extrinſeco juſti cenſemur, & veluti ſancti reputamur. Unde in *Antidoto Concil. Trident.6. ad cap.8.* inquit Calvinus ipſe: *Falſum eſſe contendo ullam juſtitiæ partem in qualitate ſitam eſſe, vel habitu, qui in nobis reſideat.* Item *lib.3. Inſtit.cap.11.§.* 23. ſic ſcribit: *Vides non in nobis, ſed in Chriſto eſſe juſtitiam noſtram?* Et idem repetit eodem *cap.§.2.*his verbis: *Nos juſtificationem ſimpliciter interpretamur acceptionem, quâ nos Deus in gratiam receptos pro juſtis habet; eamque in peccatorum remiſſione, ac juſtitiæ imputatione Chriſti poſitam eſſe dicimus.* Quòd verò longè alia ſit Catholicorum ſententia, fatetur ipſe Calvinus in Antidoto Concilii Tridentini *Seſſ.6.ad cap.8.*dicens: *Quæſtio eſt verbi, quid ſit juſtificatio? Negant* (Catholici) *ſolam eſſe remiſſionem peccatorum, ſed renovationem, & ſanctificationem ſimul contineri volunt.*

Erraverat Calvinus negando internam juſtitiam, & inhærẽtem gratiam.

3 Hanc de gratiâ doctrinam facilè conſtat eſſe temerariam; eſt enim communi Eccleſiæ labio diſſona, & oppoſita Patrum doctinæ. Unde Auguſtinus, Phœbus Theologiæ *lib.* 1. *de peccatorum Merit.cap.*9. ſic inquit: *Nos juſtificari per communicationem gratiæ ſpiritualis; quam Deus latenter infundit.* Idem *lib.* 1. *de peccat. Merit. cap.*10. ſic ſcribit: *Legimus juſtificari in Chriſto, qui credunt in eum, propter occultam communicationem, & inſpirationem gratiæ ſpiritualis.* Idem docet *lib. de Nat. & Grat.cap.*38.*cap.* 42 *& cap.* 70. Idem ſtatuit Divus Cyrillus Alexandrinus *lib.* 6. *de Trinit.* inquiens: *Calor ſpiritus eſt, qui ſimul ut charitatem nobis diffuderit, & ejus igne mentes noſtras inflammaverit, jam ſumus juſtitiam conſecuti.*

Præſentes propoſitiones temerariæ ſunt, & SS. Patrum doctrinæ ſummè oppoſitæ.

4 Ne

4 Né autem reſpondere audeant adverſarii cum peſſimo Magiſtro Calvino *lib.*3. *Inſtit. cap.* 11. §.15. ſe non curare, quid Augſtinus, & alii ſenſerint,(unde Kemnitius Calvini ſectator in 1. *parte Examinis*: *Non movemus litem, quomodo juſtificationem accipiant Patres*) oſtendo præſentem errorem eſſe abſolutè hæreticum, contra doctrinam in Tridentino ſanctam, & in Scripturis traditam. Concilium enim *Seſſ.6.de Juſtif.Can.* 10.ſic ſtatuit: *Si quis dixerit homines ſine Chriſti juſtitiá, per quam nobis meruit,juſtificari*, (nota) *aut per eam ipſam formaliter juſtos eſſe, anathema ſit.* Et ſtatim *Can.* 11. *Si quis dixerit homines juſtificari, vel ſolá imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſolá peccatorum remiſſione, excluſá gratiâ, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam, quâ juſtificamur, eſſe tantùm favorem Dei, anathema ſit.*

Sunt etiam hæreticæ; adverſantur enim doctrinæ Tridentini.

5 Ex Sacra Scripturá Eccleſiæ doctrina ſatis conſtat;dicit enim 1. *ad Corint.cap.*3.*v.*16. *Templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis.Et cap.*6.*v.*19.*Membra veſtra templum ſunt Spiritûs Sancti, qui in vobis eſt. Et* 2 *ad Corint.*6. 16. *Vos eſtis templum Dei vivi.* Ubi notandum eſt Spiritum Sanctum ſæpe dici habitare in juſtis; quia per donum gratiæ, & charitatis in ipſis interius diffunditur, juxta illud Apoſtoli ad *Rom.*5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Sic etiam ad *Timot.* 3. ubi dicitur: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis Spiritûs Sancti, quem effudit in nobis abunde.* Idem habetur ex illo *Joan.*14.*v.*23. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.*

Itemque Sacræ Scripturæ diſſonant prætatæ propoſitiones.

6 Scholaſtici cum *Divo Thom.*2.2.*ad quæſt.* 110. Bellarmin. *lib.*1.*de Grat. & lib. Arbitr.cap.*3.Decano Lovanienſi *art.*8. *contra Luther.* & Caniſio *lib.* 5. *de Beata Virgine, cap.*5. noſtram Catholicam doctrinam probant *primò* ex Catechiſmo Romano Pij V. juſſu edito, *tract. de Baptiſm. Sacramento* ſic docente: *Eſt autem gratia (quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum ſub pœna anathematis decrevit) Divina qualitas in animá inhærens.* Probant *ſecundò* ratione: quia hominem eſſe in gratiá Dei eſt eundem à Deo eſſe dilectum, ut & ipſi hæretici fatentur. Non autem eſſet homo à Deo dilectus, niſi interius haberet aliquam qualitatem, omnem maculam expellentem. Et hoc patet *primò*, quia homo maculatus Deo non eſt charus,

Noſtra Catholica aſſertio rationibus probatur.

unde

unde damnatus fuit, qui ad nuptias intravit non habens gratiæ pulcherrimam veſtem, ſed ſordidam conſcientiam, juxta *Matth.cap.*12.*v.*12. *Quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?* Ac ideo qui ad cœnam Agni, hoc eſt, ad ejus amicitiam vocantur, dono gratiæ, & puritatis prævie ornantur, & veſtiuntur, juxta illud *Luc.* 15.*v.*22. *Proferte ſtolam primam, & induite illum.* Patet *ſecundò*, quia in hoc differunt Chriſti, & Mundi amor, quòd hic nullam in nobis producit objectivam bonitatem, ille verò bonitatem in objecto, quod amat, cauſat. Unde Divus Bernardus in *Soliloquiis* exponens diſcrimen inter amorem Dei, & creaturarum erga nos, ſic ait: *Nos affectu, tu effectu, unum nos in te efficiens. Et cap.*4. *de amore Divino* ſic inquit: Nō afficeris à nobis, vel ad nos, cùm nos amas. *Nos in te, & à te, & ad te afficimur, cùm amamus te.* Idem habetur ex Divo Thom. 1.*p.q.*20.*art.*2. dicente: *Amor Dei eſt infundens, & creans bonitatem in rebus.* Noſtrum præcipuum inſtitutum probant Scholaſtici *tertiò.* Quia Dei gratia in Scripturâ Sacrâ 2.ad *Corinth.* 1. dicitur pignus: *ſignavit nos, & dedit nobis pignus Spiritûs in cordibus noſtris.* Dicitur etiam in 1. *Joan.* 3. ſemen: *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet.* Et tandem *Joan.*4. dicitur fons: *Qui biberit ex hac aquâ, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Atqui pignus commiſſum, ſemen inſitum; fons ſcaturiens è corde expreſſè denotant accidēs intrinſecè inhærens; ergo gratia non eſt qualitas, aut aliquid aliud, nobis extrinſecè tantùm applicatum. Unde D. Thom. 1.2.*q.*100.*a.* 1. inquit *gratiam ponere aliquid in anima; & art.* 2. inquit eam eſſe *qualitatem, accidens, eſſe, & ineſſe.*

Diſcrimen inter amorē Dei, & amorē creaturarum.

Gratiæ proprietates.

Objectiones ſolutæ.

7 OBjiciunt *primò.* Ex Sacrâ Scripturâ non ſemel, neque obſcurè colligitur homines in ſtatu præſenti naturæ lapſæ ſolâ externâ Chriſti gratiâ ipſis reputatâ juſtificari: ergo præcedens doctrina non ſubſiſtit. Probatur antecedens, quia ad *Rom.* 4.5. inquit Apoſtolus: *Credenti in eum, qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam.* Et idem *cap.* 5.19. *Per unius obeditionem juſti conſtituuntur multi;* ubi Paulus opponit obedientiam Chriſti inobedientiæ Adami; & ſicut per hanc injuſti efficimur, ita juſti per illam. Similiter 1. *ad Cor.* 1. 30. inquit.

Quænam Sacræ Scripturæ teſtimonia nobis objiciant adverſarij.

30. inquit. *Chriſtus factus eſt nobis ſapientia, & juſtitia, & redemptio*; ex quo colligitur, noſtram juſtificationem ſive juſtitiam, non in nobis (ſed in Chriſto eſſe; nam ſicut redemptio, & ſapientia, quæ eſt Chriſtus, non eſt aliquid nobis intrinſecé inhærens; ita, cùm Chriſtus nobis factus ſit juſtitia, ſequitur juſtitiam, ſeu juſtificationem, non eſſe aliquid nobis intrinſecè in hærens. Et hoc confirmari videtur ab Apoſtolo 2. *ad Corint.* 5. 21. his verbis: *Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.*

8 Reſpondetur ex ſacrà Paginà aliud conſtare, ut præmiſſimus præcedenti *num.* 5. Igitur ad primũ teſtimonium adductum reſpondendum eſt Chriſtum nos utique juſtificare, ut conſtat ex Concilio Tridentino *Seſſ.6.Can.*10. aſt hoc non formaliter extrinſecé, quatenus illius juſtitia reputetur nobis; ſed quatenus ex merito, & ex ipſius efficatia datur nobis gratia, & juſtitia nobis inhærens, quâ Deo grati, Sancti, & juſti ab ab intrinſeco conſtituimur. Ad ſecundum dicendum; quòd, ſicut Adam per ſuam inobedientiam meruit nobis poſteris per peccatum originale, quod contrahimus, & per quod injuſti, & peccatores efficimur in nobis, ita Chriſtus per ſuam obedientiam nobis meruit gratiam, quam nobis infundendo per Spiritum Sanctum juſti, & Sancti efficimur in nobis, & non extra nos, juxta doctrinam Auguſtini *lib.* 1. *de peccatorum meritis, & remiſſ.cap.*9. Ex his patet ſolutio ad tertium teſtimonium, in quo Chriſtus dicitur nobis factus juſtitia, & redemtio ſolùm effectivé, quatenus per ſuam Paſſionem nobis fuit meritus juſtitiam, & gratiam in hærentem; nam etiam hoc ſenſu dicitur Chriſtus noſtra ſalus, noſtra illuminatio, juxta illud *Pſalmi* 26. 1. *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea*: neque enim dicendum eſt, Chriſtum eſſe noſtram illuminationem, aut ſalutem, formaliter, ſeu imputativè; ſed ſolùm effectivè, & meritorié, ut conſtat ex illo *Joan.*1.9. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum*, & ex illo *Pſalmi* 36.v.39. *Salus autem juſtorum à Dòmino.* Ad ultimum eſt dicendum, quòd illud *pro nobis peccatum fecit*, de Chriſto dictum fuerit à Paulo, quatenus peccatum noſtrum, Chriſto fuit à Patre imputatum, quo ad debitum ſatisfaciendi; quod ille ſponte ſuſcepit. Additur

Chriſtus factus eſt nobis juſtitia, non formaliter ſed effectivè, & meritoriè.

In tantũ Chriſtus pro nobis peccatum fecit, in quantũ pro illo ſatisfecit.

verò : *ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo* ; quia juſtitia Chriſti, re verà nobis imputatur, non ad formalem juſtificationem; ſed imputatur quo ad ſatisfactionem, quam Chriſtus pro nobis præſtitit. Sicut igitur dici nequit quòd Chriſtus fiat peccator ex imputatione noſtri peccati ad ſatisfactionem, ita ex ſolà extrinſeca imputatione juſtitiæ Chriſti, nunquam diceremur juſti. Eſt autem certum juxta Scripturam homines aliquos eſſe juſtos, nam *Sapient.* 5. dicitur: *Stabunt juſti in magná conſtantiá* : ergo per aliquam intrinſecam, & inhærentem juſtitiam.

9 Objiciunt *ſecundò* adducendo alia Sacræ Scripturæ teſtimonia ; & primum ſit illud *ad Rom.* 7.4. *Vos mortificati eſtis legi per Corpus Chriſti.* Secundum deſumitur ex *Epiſt. ad Epheſ.* 1 6. his verbis: *In laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in quá gratificavit nos in dilecto Filio ſuo.* Hæc autem probant homines eſſe Mundo mortuos per Corpus Chriſti, & eſſe à Deo dilectos in eodem Chriſto; quorum quodlibet eſt proprius effectus gratiæ ſanctificantis: ergo hæc non eſt in nobis formaliter, ſed in Chriſto. Reſpondetur Apoſtolum longé aliter intelligendum eſſe; nam in primo loco præjacto ſolùm docuit per mortem Chriſti, datam nobis fuiſſe libertatem à lege, ut Evangelium, ejuſque præcepta recipiamus, & Chriſto ſerviamus. Unde ſic procedit Apoſtolus citato capite: *An ignoratis, fratres, (ſcientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur quanto tempore vivit? :::: Itaque, fratres mei, & vos mortificati eſtis legi per Corpus Chriſti, us ſitis alterius, qui ex mortuis reſurrexit, ut fructificetis Deo.* Quapropter Joannes Gagnæius Pariſinus Theologus, & Chriſtianiſſimi Regis Galliarum, tunc Concionator, Maximusque Eleemoſynarius, qui à ducentis ſexaginta retro annis doctiſſima Scholia in Epiſtolas Pauli edidit, ad hunc locum Apoſtoli ſic ſcribit: *Vos mortificati eſtis, & mortui legi ; quod perinde eſt, ac ſi diceret: Lex in vobis mortua eſt, quippe defecta ſuis viribus, & omni actione in mortuum privata. Mortificati inquit eſtis per Corpus Chriſti, id eſt, per mortem ejus, ut ſitis alterius, ſcilicet Chriſti.* Ad ſecundum ejuſdem Apoſtoli locum nil amplius deſiderandum eſt pro ſolutione, ultra ea, quæ dedimus in reſponſionibus illis *num.*8. Ideo enim dicitur Deum nos gratificaviſſe in

Quomodo per Corpus Chriſti ſimus mortificati, aut per eundem gratificati.

Chriſto.

Chriſto, quia gratia nobis data eſt per Jeſum Chriſtum.

10 Objicient *tertiò* illud ex Auguſtino *Epiſt. ad Conſentium*, videlicet: *Cum Deus, qui ſe ipſo eſt juſtitia, etiam nobis ſit juſtitia, cùm ei cohærendo juſtè vivimus; & tantò magis, minùs vè juſti ſumus, quantò magis illi, minùs ve cohæremus. Unde ſcriptum eſt de Unigenito Filio Dei. Cùm ſit utique ſapientia Patris, atque juſtitia, & ſemper in ſe ipſo ſit, quòd factus ſit nobis à Deo ſapientia, juſtitia, & ſanctificatio.* Ex his colligi inquiunt adverſarij noſtram juſtificationem in Chriſto eſſe, nobiſque tantummodo imputari. Sed contrà; ipſe enim Auguſtinus expreſſé docuit oppoſitum; nam *Conc. 26. in Pſalm.* 118. inquit nos juſtificari per infuſionem gratiæ. Idem habetur ex locis *num.* 3. relatis. Nihil igitur præjacto teſtimonio docuit Sanctus Doctor, niſi quòd ſanctificatio, & reliqua bona ſpiritualia naturæ indebita per Chriſtum nobis conceſſa ſint. Nihil ex Auguſtino Catholicæ veritati oppoſitum.

11 Objicient *quartò*. Prædeſtinatio non eſt aliquid intrinſecum prædeſtinatis: ergo neque gratia erit aliquid juſtificatis intrinſecum. Probatur antecedens: contingit enim interdum prædeſtinatos eſſe in ſtatu peccati, ac inde omni ſupernaturali dono interiori ſpoliatos. Conſequentia patet; quia, ſicut gratia importat Divinam dilectionem, ut diximus *num.* 6. ſic prædeſtinatio includit ſpecialem in Deo dilectionem erga prædeſtinatos, juxta illud *Malach. c.* 1. *Jacob dilexi, &c.* Reſpondetur hoc argumento nihil convinci: non enim ſtat præſens argumentatio. Eſſe cognitum ſolùm importat extrinſecam cognitionem: ergo eſſe frigidum, aut calidum ſolùm etiam frigus, aut calorem extra ſe importat. Ita ſimiliter in præſenti. Ratio eſt evidens: quia, cùm prædeſtinatio ex ſuo conceptu tota ſe habeat ex parte Dei, eſt enim quædam *ordinatio Divina, & æterna creaturæ rationalis ad vitam æternam per media ſupernaturalia infallibiliter conſequendam*, non poteſt convenire prædeſtinatis, tanquam intrinſeca forma. Cùm verò gratia ſanctificans, ſecundùm ſuum formalem conceptum, ſit forma juſtis intrinſeca (eſt enim *habitus quidam ſupernaturalis infuſus, naturam elevans ad unionem, & participationem Divinæ naturæ*, juxta doctrinam Auguſtini ſuper *Pſalm.* 49.) nullatenus poteſt eſſe nobis extrinſeca. Imò & ipſa prædeſtinatio importat aliquid eiſdem prædeſtinatis intrinſecum, ſcilicet ſtatum juſtificatio-

Cur gratia ſit aliquid juſtis intrinſece, prædeſtinatio autẽ ſit extrinſeca prædeſtinatis?

Quid ſit gratia ſanctificãs juxta Auguſtinum, Prædeſtinatio (in aliquo ſẽſu) aliquid importat prædeſtinatis intrinſecum.

 nis,

nis, ſeu elevationis: in hoc ſenſu negatur antecedens, & corruit argumentum.

12 Ad probationem conſequentiæ dicendum eſt quòd amor Dei erga juſtum, cùm ſit complacentiæ circa illum, aliquam in eo ſupponit intrinſecam bonitatem, hoc eſt, inhærentem juſtitiam. Aſt prædeſtinatio, ſeu collatio gratiæ, & præparatio meritorum, cùm eo ipſo ſit ante merita, & ante gratiam, nihil poteſt ſupponere ſupernaturale, & amabile prædeſtinatis intrinſecum. Unde amor, quo Deus ducitur, ut creaturis conferat media ſupernaturalia ad Gloriam conſequendam, oritur non ex intrinſeca, & præcedenti illarum bonitate objectiva, ſed ex ipſa Divina Bonitate, juxta illud Apoſtoli *ad Rom.9. Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt: Jacob dilexi.*

Differentia inter prædeſtinationem, & gratiam.

13 Hîc pro complemento doctrinæ quærendum eſt: quænam, & qualis differentia detur inter gratiam naturæ integræ, & gratiam naturæ lapſæ? Reſpondetur nullam dari eſſentialem differentiam, ſed tantùm accidentalem; quatenus illamet gratia, quæ naturam integram elevabat ad ordidem ſupernaturalem, eam non ſanando, erat enim integra; etiam nunc eandem naturam vulneratam elevat, prius tamen illam ſanando. Vide quæ diximus *cap.7. ſect.3. à num.14.*

Diſcrimen inter gratiam naturæ integræ, & lapſæ.

CAPUT,

CAPUT XIII.

EXAMINANTUR, ET CORRIGUNTUR PROPOſitiones XXXVIII. & aliæ quatuor ſequentes, quæ in ſenſu illi adhærent.

XXXVIII.

Peccator non eſt liber, niſi ad malum, ſine gratia Liberatoris.

XXXIX.

Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum, ardoris, niſi ad ſe præcipitandum; virium, niſi ad ſe vulnerandum: eſt capax omnis mali, & incapax omnis boni.

XL.

Sine gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.

XLI.

Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philoſophis Ethnicis, non poteſt venire, niſi à Deo, & ſine gratia non producit, niſi præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.

XLII.

Sola gratia Chriſti reddit hominem aptum ad ſacrificium Fidei; ſine hoc nihil, niſi impuritas, nihil, niſi indignitas.

1 PRæſignatarum propoſitionum hic eſt ſcopus; quòd *omnia impiorum opera peccata ſint neceſſariò*: hoc multifariam, multiſque modis ſuadetur; nam propoſitione 38. ſic dicitur: *Peccator non eſt liber, niſi ad malum ſine gratiâ Liberatoris.* Hujus propoſitionis ſenſus eſt, quòd, deficiente gratiâ, nihil operari poſſit peccator, quod peccatum non ſit. Igitur ex hac ſectâ omnia peccatorum opera peccata ſunt, ac ut talia cenſenda erunt in impiis,

Relatarũ propoſitionũ ſenſus exponitur, præſertim propoſitionis 38. quæ obiter impugnatur.

 ſedere,

ſedere, ambulare, ſcribere, tacere, & loqui. Hæc tamen ex duplici cauſa ſunt rejicienda. Nam imprimis præfatum dogma fuit proſcriptum à Sancta Sede Apoſtolica inter errores Michaelis de Baii, qui popoſitione 35. ſic ſcripſit: *Omne, quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt.* Deinde, quia eo ipſo, quòd in impio non ſit libertas ad bonum, ſed tantùm neceſſitas, ac determinatio ad malum, (ſeu eo ipſo, quòd peccatori deficiat omne comprincipium ex parte actûs primi ad bene operandum) nihil ei poterit imputari ad meritum, vel demeritum, ut diximus *cap. 7. ſect. 2. num. 3. & ſect. 5. num. 15.*

Aperitur ſẽſus propoſitionum 39. & 40 & ipſæ breviter impugnantur.

2 Roboratur hic error propoſitionibus 39. & 40. quarum illa ſic habet: *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum; ardoris, niſi ad ſe præcipitandum; virium, niſi ad ſe vulnerandum: eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.* Iſta verò ſic ſtatuit: *Sine gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.* Ex his propoſitionibus omnes impiorum conatus, ut à vitiis reſurgant, in eorum perniciem judicantur, quandiu habituali gratiâ ſanctificante non ſunt præditi. Cùm enim conatus illi adhuc ſint peccatorum actus, peccata ſunt. Sed contra hoc abſurdum: ſequeretur enim, quòd auxilia excitantis, & adjuvantis gratiæ ad magis peccandum excitarent. Scio id ab adverſariis concedi, juxta dogma propoſitionis V. hæc tamen falſitas à nobis fuit impugnata *cap. 5.* ac damnata à Sancta Sede Apoſtolica in propoſitione 27. inter alias Baii proſcriptas, cujus Baianæ propoſitionis tenor hic eſt: *Liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio non, niſi ad peccandum, valet.*

Exponitur prima pars propoſitionis 41. quæ in aliquo ſenſu eſt vera.

3 His accedit propoſitio 41. ſic habens: *Omnis cognitio Dei etiam naturalis, etiam in Philoſophis Ethnicis, non poteſt venire, niſi à Deo; & ſine gratia non producit, niſi præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum loco effectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.* Prima pars hujus propoſitionis, in quâ aſſeritur omnem de Deo notitiam, ſive naturalem ex principiis naturalibus; ſive ſupernaturalem per Fidem, venire à Deo, ſive naturali, ſive ſupernaturali Authore, vera eſt eo ſenſu, in quo à Joanne *cap. 1.* dicitur: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum.* Si ergo illuminat omnem hominem: ergo non ſolùm illuminat Fideles per lumen Fidei, ſed etiam infideles per naturalem

Quomodo ſit verum, quòd omnis circa Deum cognitio non niſi à Deo proveniat?

turalem

turalem cognitionem illuſtrat. Et hujus ratio eſt: quia, cùm Deus ſit prima omnium cauſa, tum naturalis, tum ſupernaturalis, nulla de illo cognitio erit in cauſis ſecundis, quæ à primà non veniat. Ea propter idem Evangeliſta arguit Mundum, eo quòd Mundus Deum non agnoverit, præſertim naturali cognitione, ut explicant Caietanus, Toletus, & alii; præcipuè cùm *inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*, ut loquitur Paulus ad *Rom. cap.* 1.

4 In ſecundà parte iſtius propoſitionis iterum confirmatur præcedentium error de peccato neceſſario committendo in cunctis operibus impiorum; ex eà enim ratione dicitur quòd *omnis cognitio Dei ſine gratia non producit, niſi præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum.* Sed contrà *primò*: quia, ut docet Divus Thom. *q.* 14. *de Verit. art.* 11. Suar. *lib.* 4. *de Prædeſt. cap.* 3. *num.* 19. & nos ſuprà oſtendimus, Deus eos infideles, in quibus neque eſt habitus Fidei, nec gratiæ, dum ſui cognitione illuminat, ſaltem remotè diſponit ad ſui amorem, & vitam æternam. Qui enim in ſylvis ſunt educati infideles, & nullam habent Fidei notitiam, illuminat ad obſervationem legis naturalis, & agnitionem unius cauſæ primæ, ut ſic amotis impedimentis, per Divinam diſpoſitionem ſupernaturaliter illuſtrentur, & ſic ad Beatitudinem diſponantur; ergo illa naturalis cognitio de Deo, cùm ſic cognoſcentem ad Beatitudinem remotè ſaltem diſponat, non poteſt eſſe peccaminoſa, aut oppoſitionem ad ipſum Deum producere. Contrà *ſecundò*. Quia ſi præfata Dei cognitio, quæ non niſi à Deo eſt, mala eſt, ſequitur Deum eſſe authorem peccati, & malorum ex ea cognitione reſurgentium.

Secunda pars ejusdem propoſitionis incidit in errorē præcedentium, & impugnatur tranſeunter.

Deus Paganos etiam in ſylvis enutritos naturaliter illuminat; ut amotis impedimentis per Divinam miſericordiam, ſupernaturaliter illuſtrentur, diſponanturque ad Beatitudinē, ut diximus c. 7. Sect. 9. n. 17.

5 Veniamus tandem ad propoſitionem 42. videlicet: *Sola gratia Chriſti reddit hominem aptum ad ſacrificium Fidei, ſine hoc nihil, niſi impuritas, nihil, niſi indignitas.* Irrefragabilis ſententia Chriſti eſt: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*, ut habetur *Joan.* 6. *v.* 44. & 66. Igitur ipſa ad Fidem vocatio eſt gratia, cùm ſit ſupernaturale donum Dei, & gratuitum, naturæ omnino indebitum. Neque de hoc dubitandum eſt, dicitur enim Fides á Tridentino *Seſſ.* 6. *c.* 1. *Humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix totius juſtificationis.* Hæc autem encomia minimé Fidei convenirent, niſi eſſet

donum

Quale nam ſit propoſitionis 42. error.

donum gratiæ. At verò eſt ſciendum, quòd dum in hac propoſitione dicitur ſolam gratiam Chriſti reddere hominem aptum ad Fidem ſuſcipiendam, ſacrificando, & captivando intellectum in ejus obſequium iſte ſenſus ſit: ſcilicet, quòd homo ſine Chriſti gratià habituali, & ſanctificante, neque habere poſſit Fidem, neque conſervare illam, ut conſtat ex doctrina propoſitionis primæ, & videri eſt *cap.2.n.2.* quem errorem impugnavimus *cap.3.ſect.2.num.2.& ſeq.*

Errat amplius eadem propoſitio.

6 Additur præterea in hac propoſitione, quód ſine Fide nihil maneat in peccatore, niſi impuritas, & indignitas, hoc eſt, peccatum. Unde extumulari videre mihi videor octavam illam propoſitionem inter. 31. ab Alexandro damnatas, aſſerentem neceſſarium eſſe infidelem peccare in omnibus ſuis operibus. Si autem quis quærat; cur ſine Fide omnia opera peccata ſint? Reſpondent hoc ideo eſſe; quia Fides non eſt abſque gratia, ut conſtat ex propoſitione 52. igitur deficiente Fide, deficit gratia: aſt ſine gratia nullum opus eſt, (inquiunt) quod peccatum non ſit; quod eſt primum intentum in his quinque propoſitionibus.

Erroris iſtiuſmodi fundamentum.

Relatæ quinque propoſitiones in uno potiſſimùm errant.

7 Hic tamen ulterius poteſt quæri. Cur peccata cenſenda ſint omnia, & quævis peccatorum opera? Reſpondent adverſarii. Quia omnes actiones humanæ debent profluere ex gratià, & referri in Deum ſummè dilectum; quòd ſi ita non ſint, malæ ſunt. Cùm igitur peccatorum opera non ita fiant, eo quòd in illis gratia non ſit, neceſſarió omnia ejus opera peccata erunt. Solutio conſtat ex adverſariorum doctrinà, juxta propoſitionem 47. & alias impugnandas *cap.* 16. Nunc pro confutandis propoſitionibus relatis, & erroribus in eiſdem contentis ſit:

SECTIO I.

Utrùm impiorum actiones eo ipſo peccaminoſæ ſint, & malæ.

In hoc eſt totû diſſidium inter Catholicos, & Novatores.

1 RESolutio negativa, eſt omnium Catholicorum, reperiuntur enim in peccatoribus, imò & in infidelibus, ſanctificante gratià omnino deſtitutis, quamplures actiones non malæ, quamplures etiam bonæ, atque laudabiles moraliter.

liter. Videatur pro hac reſolutione Divus Thomas 2. 2. *q.* 10. *art.* 4. Caiet. & communiter Thomiſtæ ſuper eundem locum. Magiſter Sententiarum *in* 2. *diſt.* 41. Marſil. 1. *q.* 20. *a.*3. Capreol. *in* 2. *diſt.* 28. *q.* 1. *art.* 3. Soto de *Nat. & Grat. lib.* 1 *cap.* 19. *&* 20. Vega in Trident. *Lib. 6. cap.* 11. *& cap.* 40. Suar. de Grat. *Lib.* 1. *cap.* 4. *& cap. 6.* Hoc tamen eſt intelligendum citra meritum gratiæ, aut Beatitudinis; nam ad meritum, neceſſariò requiritur ſtatus gratiæ, ut eſt commune Theologorum, & nos non ſemel ſuprà diximus. Catholicorum reſolutio.

2 Probatur noſtra reſolutio quo ad primam partem, ſcilicet de operibus Fidelium, exiſtentium tamen in peccato mortali. Et conſtat *primò*; quia Oratio Dominica, omnibus proponitur indifferenter à Chriſto; imò ſpecialiter peccatoribus, in illis verbis: *Dimitte nobis debita noſtra*; ubi docentur peccatores qualiter peccatorum veniam debeant poſtulare. *Secundò*; quia ipſe Chriſtus omnes hortatur ad eleemoſynas, *Luc.* 11. inquiens: *Date eleemoſynam*; ſpecialiter tamen peccatores excitat, ut docent Patres communiter, & apparet ex contextu. Confirmatur *primò* ex Divo Ambroſio in *Apocalypſ. cap* 3. dicente: *Quælibet bona mortua ſunt, ſi charitas defuerit*, ubi *bona* dicit, quanvis mortua, ſine charitate. Unde Divus Auguſtinus *Lib.* 1. *de Gratia Chriſti cap.* 6. docens bona opera ſine gratiâ facta, non imputari ad meritum, addit: *Tamen bona dicenda ſunt.* Confirmatur *ſecundò* ex Bulla Pii V. in quâ damnantur ſequentes Baii propoſitiones: *Omne, quod agit peccator, aut ſervus peccati, peccatum eſt.* Item: *Peccator in omnibus ſuis actibus ſervit dominanti cupiditati.* Hæc doctrina à fortiori amplius conſtabit ex infrà dicendis de operibus infidelium, qui gratiâ ſanctificante ſunt pariter deſtituti. Chriſtus peccatores excitat ad eleemoſynam, orationem, & alia bona opera; unde conſtat impios in illis non peccare.

3 Quantum ad opera infidelium; probatur doctrina Sanctæ Matris Eccleſiæ, & ſecunda pars noſtræ præcedentis reſolutionis ex ſacro Textu. *Primò* quia juxta *cap.* 1. *Exodi* obſtetrices, dum ex pietate, & timore Dei, Hebræorum infantes reſervarunt, bonum opus exercuerunt, ut probant Divus Gregorius *lib.* 18. *Moral. cap.*2. & Divus Thom. 1. 2. *q.* 114. *art.* 10. *ad* 2. *&* 2. 2. *q.* 110. *art.* 3. *ad* 2. Unde, referente Scripturâ memorato loco *verſ.* 20. *Bene ergo fecit Deus obſtetricibus.* Illæ autem fœminæ erant idolatræ, verum Deum non colen- Non omnia infidelium opera mala ſunt, imó laudabilia multa ſunt.

tes, ſicut & reliquæ Ægyptanæ: ergo infidelium opera non eo ipſo ſunt mala. Licèt autem dicat Scriptura *Exod.* 1. *v.* 21. quòd *timuerunt obſtetrices Deum*, non inde ſequitur eas fuiſſe fideles, ut notat Suarius, ſed tantùm, juxta Abulenſem, eſt intelligendum Deum eis immiſiſſe horrorem tanti facinoris, & timorem mortis, ſi illud committerent. *Secundò*; quia Daniel conſilium dedit Nabuchodonoſori, ut eleemoſynis peccata ſua redimeret, juxta illud Danielis 4. *v.* 24. *Quam obrem, Rex, conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum: forſitan ignoſcet delictis tuis.* Erat autem Nabuchodonoſor Gentilis eo tempore; ut notat Author Imperfecti *Hom.* 26. *in Matth.* dicens: *Si Rex ille idolorum cultor poterat eleemoſynis peccata redimere, cui non proſunt eleemoſynæ?* Licèt autem ex fine capitis tertii Danielis colligi videatur præfatum Regem Dei Fidem tunc temporis jam habuiſſe, ea fides (ut plerique tenent Authores) neque erat firma, neque ſupernaturaliter infuſa, ſed tantùm aliqualis opinio. Ad minùs autem negari nequit Nabuchum eo tempore fuiſſe impium; & peccatorem, ſic enim conſtat ex relatis verbis Danielis, & tamen miſericordiæ opera illi prodeſſe poterant, ut patet ex dictis: ergo.

Quædam obſtetrices, & Nabuchodonoſor, cùm eſſent Gentiles, bonis operibus ſunt intenti.

4 Ex Sacro Textu probatur tertiò. Quia Orationes, & eleemoſynæ Cornelii Centurionis bonæ erant; & tamen Cornelius eo tempore ſanctificantem gratiam non habebat, imò neque fidem: ergo opera peccatorum, & infidelium non ſunt eo ipſo peccaminoſa, & mala. Maior conſtat ex *Actor.* 1. *cap.* 10. ubi Angelus Cornelio dixit: *Orationes tuæ, & elemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei.* Minor doctrinam continet Chryſoſtomi *Hom. de Fide legis naturæ, & Spiritu Sancto in tom.* 3. ubi dicit opera Cornelii fuiſſe bona, ſed mortua. Hæc etiam eſt Auguſtini doctrina *quæſt.* 2. *ad Simplic.* & *lib. de Prædeſt. Sanct. cap.* 7. Si autem aliquando judicavit Sanctus Doctor Cornelium jam tunc habuiſſe Fidem, hæc, ut conſtat ex *quæſt.* 2. *ad Simplician.* non erat tanta, *quæ ſufficeret ad Regnum Cælorum.* Expreſſè tandem docet idem Divus Auguſtinus Cornelium non fuiſſe eo tempore juſtificatum, ut patet ex *Epiſt.* 57. *q.* 2. Idem docent Theophylactus, & Oecumenus ſuper *Actor.* 10.

Cornelii bona opera, ante juſtificationem, & Fidem.

5 Ex Patribus habetur etiam noſtra reſolutio; inquit enim Author operis Imperfecti *Hom.* 26. *in Matth. Gentiles hu-*

Ex Patribus probatur noſtra concluſio.

manitatis

manitatis cauſâ recipiunt peregrinos, licèt non propter Chriſtum. Hoc autem hoſpitalitatis opus bonum eſt, quod, & Deus in hàc vitâ remunerat, non verò in æterna, *quia*, inquit, *naturali bono motus fecit bonum, non propter Deum.* Nazianzenus *Orat.* 28. inquit: *Ductu naturæ virtutem operari.* Noſter Gregor. Papa *Homil.* 27. *in Evang.* ſic ait: *Sunt nonnulli, qui proximos diligunt, per affectum cognationis, & carnis, quibus in hoc, ſacra eloquia non contradicunt; ſed aliud eſt, quod ſponte impenditur naturæ, aliud, quod ex charitate.* Chryſoſtomus *Homil.* 67. *ad populum*, ſic habet: *Nec malus poteſt omnino malus eſſe, ſed evenit ut aliquid habeat boni operis.* Idem Chryſoſtomus *Homil. de Fide, & Lege naturæ, & Spiritu Sancto* inquiens: *Offendes multos, qui, quanvis ſermonem veritatis non acceperint, & foris ſint, operibus tamen pietatis (ut apparet) ſunt conſpicui, invenies viros miſericordes, compatientes, juſtitiæ vacantes; ſed nullos facientes fructus operum, quia neſciunt opus veritatis; nam, & hæc ſunt opera bona, at neceſſarium eſt ut præcedat opus ſummum:* hoc eſt, Fides Charitate formata. Et ibidem addit: *Quæ utilitas Animæ mortuæ: Deo quidem mortuæ Fide, & ratione; bonis autem operibus veſtitæ?* Accedit Divus Hieronymus *ad Galat. cap.* 5. dicens; *Quomodo Fides ſine operibus mortua eſt, ſic abſque Fide, quanvis bona opera ſint, mortua computantur.* Tandem hæc eſt ſupremi Doctoris Auguſtini mens variis in locis, præſertim *lib. de Spiritu, & lit. cap.* 28. dicentis: *Sicut non impediunt à vità æterna juſtum, quædam peccata venialia, ſine quibus vita hæc non ducitur; ſic ad ſalutem æternam, nihil proſunt aliqua bona opera, ſine quibus difficillimè vita cujuſlibet peſſimi hominis invenitur.* Alia ſunt inſuper Divi Auguſtini teſtimonia, quæ videri poſſunt *cap.* 15. *ſect.* 2. *n.* 6. *&* 7. In eàdem ſectione inveniuntur rationes firmiſſimæ noſtram reſolutionem probantes.

Mirè Chryſoſtomus ad inſtitutum noſtrum

6 Confirmatur noſtra concluſio ex Concilio Tridentino *Seſſ.* 6. *Can.* 7. oppoſitum errorem expreſſé damnante his verbis: *Si quis dixerit opera omnia, quæ ante juſtificationem fiunt, quàcunque ratione facta ſint, verè eſſe peccata, vel odium Dei mereri, aut quantò vehementiùs quis nititur in ſe diſponere gratiam, tantò eum graviùs peccare, anathema ſit.* Hàc ſanctione anathemate feriuntur quinque præſẽtes propoſitiones, juxta proprium earũ ſenſum. Iidem errores jam dudum ut hæretici damnati fuerant inter alios Lutheri, & Calvini, quorum meminit Bellarminus *lib.* 5.

Oppoſita doctrina tradita fuit à Calvino, & Luthero: fuit in Tridentino damnata, modó tamen in his propoſitionibus repetitur temerariè.

*de Grat.& lib. Arb.c.4.& lib.4.de Juſtificat.à cap.*10. Eadem noſtra Cõcluſio latiùs fuit probata *cap.3. ſect.5.& ſect.7.à num.5.*& amplius patebit ex dicendis *cap.15.ſect.2.*

Cenſura harum quinque propoſitionum impugnantarum.

7 Ex præmiſſis colligitur has quinque damnatas propoſitiones eſſe hæreticas: opponuntur enim Sacræ Scripturæ teſtimoniis. Eſſe temerarias; cùm ſint Sanctorum Patrum communiſſimæ doctrinæ contrariæ. Eſſe denique pluries damnatas, ex Concilio enim, & Bullis citatis id patet.

SECTIO II.

Occurritur adverſariorum objectionibus.

Triplex teſtimonium Divi Pauli nobis ab adverſariis objicitur adverſúm doctrinam S.M.Eccleſ.

1 Objicitur primò ex Apoſtolo ad *Rom.* 14. dicente: *Omne, quod non eſt ex Fide, peccatum eſt.* Accedit ſecundũ teſtimonium ejuſdem *ad Titum cap.* 1. *Infidelibus nihil eſt mundum.* Item tertium *ad Hebræos* 11. ubi inquit Apoſtolus: *Sine Fide impoſſibile eſt placere Deo.* Hæc autem Apoſtoli teſtimonia apertè oſtendunt ſine Fide omnia opera peccata eſſe. Si autem gratia ſanctificans non deperditur, quin ſimul deperdatur Fides, (ut ſæpe dicitur in his propoſitionibus) æquè ſentiendum eſt, malas, & peccaminoſas eſſe quaſcunque operationes, ſi fiant ab exiſtentibus in peccato, nam eo ipſo non erunt ex Fide, ſeu erunt ſine Fide. Reſpondeo cum communi Patrum, præcipué Græcorum interpretatione, quos ſequuntur Divus Ambroſius, noſter Divus Anſelmus, Divus Chryſoſtomus, Theophylactus, & Oecumenus, Divum Paulum in teſtimoniis præjactis per ly *Fides* intelligere rectam conſcientiam. Unde ſenſus eſt, quòd ſemper committitur peccatum, quoties agitur contra conſcientiam rectam, tenemur enim omnia operari ex conſcientia recta. Iſta autem interpretandi via propria eſt, & bona, Sacræ Scripturæ ſenſui accommodata; ſive ſit derivata ex illa ſignificatione, qua Fides pro fidelitate ſumitur; quod placet Suario *de Gratiâ tom.1.lib.1.cap.6.* nam operari contra rationem, videtur infidelitas quædam moralis. Sive derivetur ex propria ſignificatione, & ſenſu, quem in ſe continet ly *Fides* tum ex textu Græco, tum ex vi ipſius diſcurſûs Apoſtoli; ut oſtendit Pater Cornelius Cornelii à Lapide, profundiſſimus Sacræ Paginæ Scrutator, & Commentator clariſſimus, idque pro-

Solutio ad primum teſtimonium.

probat variis principiis, & fundamentis, quæ poſteà relatus Pater Suarius Scholaſtico more expendit. Sic reſpondetur ad primum teſtimonium, ubi ſic: *Quidquid non eſt ex Fide peccatum eſt.*

2 Nunc ad ſecundum teſtimonium ejuſdem Apoſtoli ex *Epiſt. ad Titum*, ex quo videtur non leve ſumi principium inferendi, peccata eſſe omnia opera tum infidelium, tum impiorum: dicitur enim loco citato: *Coinquinatis autem, & infidelibus nihil eſt mundum, ſed inquinatæ ſunt eorum, & mens, & conſcientia.* Reſpondendum tamen *primò* cum Divo Thoma, & Caietano hæc verba accipienda eſſe in ſenſu formali; quia infidelibus, & inquinatis, operantibus ex infidelitate, & inquinamento, nihil eſt mundum. Vel reſpondendum *ſecundò* ex Alapide hunc locum Apoſtoli eſſe intelligendum, ſecundùm hebraiſmum ſignificandi modum, juxta quem, ideo infidelibus, & inquinatis nihil eſt mundum, quia nihil, quod ab ipſis operetur, eos mundat à ſua infidelitate, & ſceleribus. Hebraici enim verbum neutrum ſumunt pro activo. Unde ſignificat Paulus quòd ſola Dei virtus, & gratia poteſt infideles, & inquinatus mundare. *Tertiò* reſponderi poteſt Divum Paulùm loqui de ſtatu, non de operibus: coinquinatis enim, & infidelibus nihil ſecundùm ſtatum interiorem eſt mundum; inquinatæ enim ſunt eorum, & mens, & conſcientia, propter infidelitatem, & peccatum: non autem colligitur ex verbis Apoſtoli, etiam inquinatas eſſe illorum actiones.

Solutio ad ſecundum Apoſtoli teſtimonium.

3 Pro ſolutione tertii teſtimonii, quod eſt deſumptum ex Epiſtola ad Hebræos, reſponſio petenda eſt ex contextu. Inquit igitur Apoſtolus *cap. 11. verſ. 5. Fide Henoch tranſlatus eſt, nè videret mortem; & non inveniebatur, quia tranſtulit illum Deus; ante tranſlationem enim teſtimonium habuit placuiſſe Deo.* Verſ. 6. *Sinè Fide autem, impoſſibile eſt placere Deo.* Ex his patet Apoſtolum intendiſſe probare, Sanctum Henoch, Fidem habuiſſe: propterea ad argumentum, ſeu ad probationem elegit tanquam medium terminum charitatem ſupernaturalem, ſicque diſcurrit: Henoch placuit Deo, & fuit dilectus Deo charitate ſupernaturali, *quia tranſtulit illum Deus*: ergo Henoch habuit Fidem: non enim haberet charitatem ſupernaturalem, hoc eſt, gratiam ſanctificantem, quà placeret Deo, niſi haberet Fidem; nam *ſine Fide impoſſi-*

Reſponſio ad tertium.

Senſus teſtimonii nobis præjacti ex Apoſtolo Epiſt. ad Hebræos c. 11.

impoſſibile eſt placere Deo. Et in hoc ſenſu addit Apoſtolus: *Credere enim oportet accedentem ad Deum:*hoc eſt,Fidem habere debet, qui vult accedere ad Deum per ejus amicitiam, & gratiam. Ecce verus, & proprius ſenſus, in quo eſt intelligendum præjactum illud teſtimonium Apoſtoli,in quo nihil adverſús noſtram, & Sanctæ Matris Eccleſiæ doctrinam.

4 Inſtabunt contra ſolutionem datam *num.* 1. ad illum Apoſtoli Textum *ad Rom.*14.ibi:*Omne,quod non eſt ex Fide,peccatum eſt.* Licèt enim aliqui Patres, quorum ſuprà memini, per Fidem intelligant dictamen conſcientiæ, ſunt tamen alii, qui cum Divo Auguſtino *lib.*4.*contra Julian.c.*3.*& lib.de Grat.Chriſti cap.* 26. *& Epiſt.*105. Fidem proprié intelligunt pro dono ſupernaturali, & habitu infuſo theologicæ virtutis: ergo juxta Auguſtinum, omnium infidelium opera peccata ſunt eo ipſo, quia non ſunt ex Fide ſupernaturali. Reſpondetur juxta Divi Thomæ doctrinam, quam ſecuti ſumus *num.* 2. præcedenti, quòd, cùm apud Auguſtinum dicitur peccatum, quidquid ex Theologica Fide non eſt, intelligendus eſt Sanctus Doctor de illis tantùm, quæ per ſe opponuntur Fidei; ut ſe habent Fidelium perſecutio, odium Fidei, myſteriorum ejuſdem negatio, idolorum cultus, & his ſimilia, de quibus reduplicativé, & formaliter verificatur non eſſe ex Fide. Eſt autem aliter judicandum, ſi id quod non eſt ex Fide, contra ipſam non ſit, nam multa in infidelibus inveniuntur opera, quæ virtuoſa ab ipſis Patribus cenſentur, imò, & ab ipſo Auguſtino, ut patet ex ſuprà dictis.

Si dicatur Divum Auguſtinum, in teſtimonio præjacta loqui de verà Fide Theologica,cenſendum erit,eundem peccatum dicere quidquid non eſt ex Fide, hoc eſt, quidquid contra Fidem eſt.

5 Objicitur ſecúdò illud Auguſtini *lib.*1.*de Grat.Chriſti cap.* 26. ibi: *Quid boni faceremus, niſi diligeremus?* ::::*Ubi non eſt dilectio, nullum bonum imputatur, nec rectè bonum opus vocatur.* Quibus verbis patet intendiſſe Auguſtinum opera ſine charitate, & gratià non eſſe, bona ſed mala.Reſpondetur Div. Auguſtinum citatò loco nõ negare aliquot peccatorum opera ſine gratià facta eſſe bona moralia intra ordinem naturæ, ſed tantùm negare ea fructuoſa eſſe, hoc eſt, ad Beatitudinem conferentia. Quare notandum eſt, dixiſſe Auguſtinum abſque dilectione, nullum bonum *imputari*, ad meritum ſcilicet, & præmium Beatitudinis. Quatenus autem docuit Divus Præceptor *non rectè bonum opus vocari*, intelligitur ſecundùm Theologicam exiſtimationem,

Opera,quæ in Charitate non fiunt, meritoria non ſunt.

nem, meriti ſcilicet, aut præmii. Hanc autem eſſe propriam Auguſtini mentem, conſtat: nam ita expreſſé concludit: *Sic confiteatur gratiam, qui veraciter vult illam confiteri, ut omnino nihil boni ſine illâ, quod ad pietatem pertinet, veramque juſtitiam, fieri poſſe non dubitet.* Ubi illa verba, *quod ad pietatem pertinet, veramque juſtitiam.* Auguſtini mentem reſtringunt ad bona opera, quæ juſtitiam apud Deum continent.

6 Objicitur tertiò ex eodē Sancto Doctore *libro de perfect. Juſtit. cap. 6.* dicēte: *Peccatū eſt, vel cùm nō eſt charitas, quæ eſſe debet, vel minor eſt, quā eſſe debet, ſive hoc volūtate vitari poſſit, ſive nō poſſit; quia ſi poteſt, præſens volūtas hoc fecit: ſi autē nō poteſt, præterita volūtas hoc fecit.* Ergo juxta Auguſtinū, omnia peccatoris opera peccata ſunt, unde rectè dici poteſt: *Peccator non eſt liber, niſi ad malū, ſine gratiâ Liberatoris*; ut in propoſitione 38. nam per peccatum deperdita eſt libertas ad omne opus bonum, & ſola remanſit ad peccandum neceſſitas; unde Auguſtinus citato libro cap. 5. inquit: *Quia peccavit voluntas, ſecuta eſt peccantem, peccatum habendi dura neceſſitas.* Reſpondetur fruſtra citari prò hoc errore Divum Auguſtinum, cùm ejus doctrina in hoc ſit longè alia, ut liquet ex dictis. Igitur in primo teſtimonio docet Auguſtinus peccatum committi, *cùm charitas non eſt*, ſeu cùm deperditur charitas. Item committi peccatum, cùm charitas *minor eſt, quàm eſſe debet*, quia ille, qui cùm in gratiâ conſtitutus eſt, deſpicit auxilia excitantia ad actus, qui gratiam augerent, certiſſimé peccat ſaltem leviter, ex eo quòd ſibi ad ſalutem non conſulit, & vocanti Deo non reſpondet. Cùm autem additur tam in hoc, quàm inſequenti teſtimonio relato voluntatem neceſſariò peccare, neceſſitas ibi ſumitur prò difficultate ad oppoſitum; ubi enim magna aliqua difficultas invenitur, pro morali neceſſitate cenſetur, ut alibi dicimus cap. 7. ſect. 3. num. 2. Auguſtini teſtimonium obſicitur, & ſolvitur.

7 Alia, quæ adverſùs noſtram doctrinam Catholicam objiciantur, præſoluta ſunt *cap. 3. ſectio 1. à num. 21. & ſect. 6. per totam, & ſect. 8. per totam.* Objectionibus præmiſſis, alias jungito, quas in *cap. 15. ſect. 4.* reſervamus. Et pro complemento præſentis controverſiæ videndum eſt *caput* 15. in quo plura continentur, quæ huc ſpectant.

CAPUT XIV.

OSTENDENS INSANIAM PROPOSITIONIS XLIII. cujus hic tenor. Primus effectus gratiæ baptiſmalis eſt facere, ut moriamur peccato adeò, ut ſpiritus, cor, ſenſus non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habet pro rebus mundi.

Senſus hujus propoſitionis.

1 PRÆSENS articulus probat omnes baptizatos eſſe impeccabiles; hanc enim gratiæ baptiſmali tribuit virtutem, quòd Chriſtianos mortuos reddat peccatis, ut pro rebus mundi, mortuum ſe habeat homo. Nam ſicut poſt mortem phyſicè acceptam, nec cor, nec ſenſus vitam habent pro mundialibus, ita (ut hîc dicitur) poſt Baptiſmum, ſpiritus vitam non habet pro peccato.

Hujus propoſitionis error jam traditus eſt à Jovinianis, Catharis, Beguardis, & Beguinis.

2 Hæc fuit Joviniani hæreſis, quam tenuit Calvinus in Antidoto Concilii Tridentini *Seſſ.7. Can.7.* Eundem errorem tenuerunt olim quidam Hæretici Cathari, qui de ſuis meritis valde gloriantes, propter munditiam Animæ, impeccabilis ex Sacro fonte, ita ſe nominarunt. Fuerunt, & tales, qui Beguardi, & Beguini dicebantur in Alemania. Qui, procurante malorum omnium Satore Dæmone, aſſerebant, doctrinâ ſuâ Sacrilegâ, inter alios errores, quòd homo in vitâ præſenti, ad talem, & tantum perfectionis gradum poſſit venire, ut impeccabilis omnino reddatur. Hoc graviſſimum Animarum periculum, damnatur à Sede Apoſtolica in Clementinâ *Si de Hæreticis*: Et à Concilio Tridentino, *ſeſſ.6. de Juſtificat. Can.23.* ubi dicitur. *Si quis, hominem ſemel juſtificatum. dixerit amplius peccare non poſſe, neque gratiam amittere, &c. anathema ſit.* Præcipuum fun-

Præſentis erroris fundamentũ præcipuum.

fundamentum præſentis erroris fundatur in eo quòd per gratiam baptiſmalem tollatur omnis libertas ad peccandum : hæc autem falſitas corruet, ac impugnabitur ex infra dicendis *num.6.*

3 Falſitas explanata variè rejicitur. *Primò*: quia juxta propoſitionem 63. *Baptizatus adhuc eſt ſub lege, ſicut Judæus, ſi legem non adimpleat, aut adimpleat ex ſolo timore*; atqui baptizatus legem non adimplens peccatum committit : ergo Baptiſmi effectus non eſt baptizatum reddere impeccabilem : unde falſó ſcribitur: *Primus effectus gratiæ baptiſmalis eſt facere ut moriamur peccato.* Minor hujus probationis, conſtat, quia peccatum definitur à Theologis cum Divo Auguſtino apud Dian. in *Summa v. peccatum*: dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam. Rejicitur *ſecundò*; quia, ut dicitur propoſitione 77. *Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, ceſſat interius habere Deum pro Patre, & Chriſtum pro capite*: ergo, ſi ceſſat habere, ideo eſt, quia aliquando habuit Chriſtum pro capite ; quod fuiſſe nequit, niſi poſt acceptum Baptiſmum. *Tertiò*; quia, ſicut in propoſitione 78. eſt ſtatutum, *ſeparatur quis à populo electo, cujus figura fuit populus Judaicus, & caput eſt JESUS Chriſtus, tam non vivendo ſecundùm Evangelium, quàm non credendo Evangelio.* Exinde quæro: Utrùm illi qui poſt Batiſmum ſeparantur à populo electo, ex eo quia ſecundum Evangelium non vivunt; utrùm, inquam, peccent ſecundùm Evangelium non vivendo, nec ne? Hos peccare certum eſt, aliàs non ſepararentur à populo electo. In ſanum igitur eſt dicere, gratiam baptiſmalem id præſtare, *quòd moriamur peccato ; adeò ut ſpiritus, cor, ſenſus, non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habet pro rebus mundi.*

Præſens propoſitio aliis contradicit.

4 Rejicitur *quartó* idem abſurdum. Quia ſi homines poſt ſuſceptum Baptiſmum, fierent impeccabiles, ſequeretur non eſſe in Eccleſiá Sacramentum Pœnitentiæ ; hoc autem eſt contra Scripturam, ut videtur ex Luc.5. & 17. Jacob.1. & 5. Joan.1. item ex Matth.16. & Joan.20. Eſt etiam contra Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. & contra Tridentinum, *Seſſ.*14. & contra Theologos cum Magiſtro *in* 4. *diſt.*14. & cum D. Thom. *p.*3. *q.* 84. Probatur ſequela ; quia materia Sacramenti Pœnitentiæ non eſt alia, niſi peccata poſt Baptiſmum commiſſa, ut conſtat ex Scripturis, Conciliis, & Theologis

Si baptizatus eſt impeccabilis; ad quid inſtitutum fuit Sacramentū Pœnitentiæ.

logis citatis: nam peccata ante Baptiſmum commiſſa (imò & in actuali Baptiſmi ſuſceptione, ut tenent communiter Doctores; quanvis aliqui cum aliquali reſtrictione) per ipſum regenerationis lavacrum remittuntur, ut docent Theologi cum Joann. de la Cruz in *Director: Conſc p.2. de Bapt. q.4. dub. 4. cap. 2.* Cabrera de *Sacram. q.69. art.* 10. Sylvio *in 3. p.q.69. art.* 10. Villalob. in *Sum. t. 1. tract. 5. diff.* 10. Dian. 3. *p. tract.* 4. *reſolut.* 14. Igitur ſi poſt Baptiſmum nulla peccata poſſunt committi, nulla eſt Sacramenti Pœnitentiæ materia.

5 Confirmatur ex Concilio Tridentino, *primò* nam *Seſſ.* 14. *de Pœnitentia cap.* 1. *ſic* dicitur: *Si ea in regeneratis omnibus, gratitudo erga Deum eſſet, ut juſtitiam in Baptiſmo ipſius beneficio, & gratiâ ſuſceptam, conſtanter tuerentur, non fuiſſet opus, aliud ab ipſo Baptiſmo Sacramentum, ad peccatorum remiſſionem inſtitutum. Quoniam autem Deus, dives in miſericordia, cognovit figmentum noſtrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui ſe ſe poſtea in peccati ſervitutem, & dæmonis poteſtatem tradidiſſent, Sacramentum videlicet Pœnitentiæ, beneficium mortis Chriſti applicatur.* Confirmatur *ſecundò*. Quia ad Sacramentum Pœnitentiæ requiritur veluti materia proxima contritio, confeſſio, & ſatisfactio; ut docet Tridentinum citatum *cap.* 3. hæc autem contritio, confeſſio, & ſatisfactio, non eſt niſi de peccatis poſt Baptiſmum commiſſis, ut fuit declaratum à Tridentino citato *cap.* 5. his verbis: *Ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ jam explicatâ, univerſa Eccleſia ſemper intellexit inſtitutam eſſe à Domino, integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis jure Divino neceſſariò exiſtere.* Confirmatur *tertiò*; nam Miniſter Sacramenti Pœnitentiæ ab aliquibus peccatis abſolvit pœnitentem illis verbis: *Ego te abſolvo à peccatis*, in quibus conſiſtit forma ejuſdem Sacramẽti, ut conſtat ex doctrinâ ejuſdem Tridentini *Seſſ. citatâ c.* 3. atqui non abſolvit ab originali, quod per Baptiſmum fuit extinctum, neque ab actualibus ante Baptiſmum, ut manifeſtũ eſt in illis, qui cùm eſſent parvuli fuerunt baptizati: ergo abſolvit ab actualibus poſt Baptiſmũ. Confirmatur *quartò*, ex Concilio *Seſſ.* 14. *cap.* 1. ibi: *Poteſtatem remittendi, & retinendi peccata ad reconciliandos Fideles poſt Baptiſmum lapſos, Apoſtolis, & eorum legitimis ſucceſſoribus, fuiſſe communicatam, univerſo-*

rum Patrum conſenſus ſemper intellexit. Et ejuſdem Seſſionis *Can.* 1. ſic dicitur: *Si quis dixerit in Catholicâ Eccleſiâ, Pœnitentiam non eſſe verum, & proprium Sacramentum pro Fidelibus, quoties poſt Baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis à Chriſto Domino noſtro inſtitutum; anathema ſit.*

6 Deinde certum eſt apud omnes, Baptiſmum non tollere libertatem creatam: ergo non inducit impeccabilitatem. Conſequentia patet: quia peccabilitas conſiſtit in facultate eligendi, ac diligendi malum; hoc autem convertitur cum humana libertate. Probatur antecedens, quia in Baptiſmo nulla eſt qualitas, quæ ſit oppoſita indifferentiæ objecti, voluntatis, aut judicij; nam gratia, quæ eſt qualitas producta in anima per Baptiſmum, nullam habet cum libertate oppoſitionem, ut diximus varijs in locis *capitis* 7. *& capitis* 8. Confirmatur ex abſurdis; nam ex hac propoſitione ſequeretur primò baptizatos perperam poſtulare à Deo, ut eos in tentationem non inducat, ſed à malo eos liberet. Sequeretur ſecundò vel quòd baptizati furta, odia, homicidia, & his ſimilia non committerent, quod eſt contra experientiam: vel quòd, reſpectu Chriſtianorum, homicidia, odia, furta, & his ſimilia, non eſſent peccata mortalia.

Abſurda, quæ ex hac propoſitione deducūtur.

7 Reſpondent adverſarij: quòd, licèt multi ex baptizatis in peccata lapſi inveniantur; hoc ideo eſſe, quia iidem gratiam baptiſmalem non ſunt adepti per Batiſmum; aut quia obicem poſuerunt, ut accidit in illis, qui Baptiſmum receperunt cum fictione: aut ex eo quia Deus quantum ex ſe, gratiam baptiſmalem illis conferre noluit, quod in hac ſectâ dicendum eſt de parvulis, qui poſt Baptiſmum ſuſceptum, peccatorum vinculis poſtea alligantur.

Adverſariorum evaſio, quo ad omnes partes.

8 Aſt hæc evaſio eſt abſoluté rejicienda. Nam de illis, qui Baptiſmum validum, ſed infructuoſum receperunt, ex fictione poſitâ; tenendum eſt, quód recedente fictione, ſtatim conferatur illis gratia baptiſmalis, ut docent communiter Theologi cum D. Auguſtino variis in locis, Divo Thoma *q.* 69. *art.* 10. *Suar. in* 3. *p. diſp.* 28. *ſect.* 4. Coninck *q.* 62. *art.* 1. Tannero *tom.* 4. *diſp.* 4. *q.* 3. *num.* 61. Comptono *tom.* 2. *diſp.* 66. *ſect.* 1. *num.* 11. Neque eſt inter Catholicos, qui hanc reviviſcentiam Baptiſmi negare audeat, quanvis in modo illam explicandi non omnes

con-

conveniant. Unde Divus Auguſtinus *lib.1.de Baptiſmo cap.2.* inquit: *Tunc valére incipit ad ſalutem Baptiſmus, cùm illa fictio veraci confeſſione receſſerit, quæ corde in malitia, vel ſacrilegio perſeverante, peccatorum abolitionem non ſinebat fieri.*

9 De parvulis autem, qui nullum obicem gratiæ baptiſmali apponere potuérunt, per maximum abſurdum dictum eſt, quòd Deus miſericors, vellet ex ſe baptiſmalem gratiam denegare; nam in Concilio Tridentino *Seſſ. 7. de Sacramentis in genere Can.7. Siquis dixerit non dari gratiam per* novæ lægis *Sacramenta ſemper & omnibus, quantum eſt ex parte, Dei etiamſi rite ea ſuſcipiant, ſed aliquando, & aliquibus anathema ſit.* Hæc adverſariorum evaſio fundatur in doctrina Janſenij negante in Deo voluntatem ſalvandi omnes, & ſtatuente quòd Chriſtus pro omnibus mortuus non fuerit, nec pro omnibus ſanguinem ſuum fuderit. Quomodo enim ſanguinem fudit, aut mortuus eſt pro illis, quibus in Baptiſmo gratiam ex ſe noluit conferre; cùm tamen gratia baptiſmalis ſit unica ad ſalutem janua, & neceſſaria omnino ad æternam vitam conſequendam? Probavimus tamen, dari in Deo voluntatem generalem ſalvandi omnes, & quòd pro omnibus Chriſtus ſit mortuus, ut videri eſt *cap.7.Sect.8.* & alibi.

Objectio 1. ex textu Apoſtoli ad Romanos.

10 Adducunt tamen *primo* adverſarij in oppoſitum textum ex *Epiſt ad Rom.cap.6. v.* 2.3.4. ex quo hæc propoſitio videtur prima fronte deduci, cùm dicat Apoſtolus ibi: *Qui enim mortui ſumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? An ignoratis, quia quicunque baptizati ſumus in Chriſto JESU, in morte ipſius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem.* Pro ſolutione ſciendum eſt Apoſtolum non fuiſſe locutum aſſertivé, ita quòd doceat, homines poſt ſuſceptum Baptiſmum peccare non poſſe; ſed conſulendo, & exhortando fuiſſe locutum; ut qui per Baptiſmum gratiam receperunt, eam per peccata non amittant, ſed exhibeant ſemetipſos, ut mortuos peccato. Unde *verſ. 11.* inquit Apoſtolus: *Exiſtimate vos mortuos quidem eſſe peccato, viventes autem Deo.* Hîc autem; *quid eſt mori peccato?* (Quærit Div. Proſper *lib. de vitá contemplat. cap.* 21. reſpondetque) *Damnandis operibus omnino non vivere, nihil concupiſcere, nihil carnaliter ambire.* Eodem ſenſu inquit Div. Paulus *verſ.13. Sed neque exhibeatis membra veſtra, arma iniquitatis*

peccato.

peccato. Sed exhibete vos, tanquam ex mortuis viventes. Hæc autem Apoſtolus non prædicaret, ſi poſt Baptiſmum redderemur impeccabiles, ſive peccato mortui. Hanc doctrinam confirmat Divus Joan. Chryſoſtomus *Hom.* 11. *ſuper cap. 6. Epiſt. ad Rom.* in illa verba: *Exiſtimate vos mortuos quidem eſſe peccato, viventes autem Deo*; inquit enim: *Rectè dixit, exiſtimate; quandoquidem aſpectu ipſo repræſentare quod dictum eſt nunc non licet. Et quid exiſtimabimus, inquit, mortuos quidem eſſe peccato, viventes autem Deo in Chriſto JESU Domino noſtro; nam qui ita vivit, omnem complectetur virtutem, ipſum JESUM habens, hoc enim eſt in Chriſto.*

11 Docet præterea idem Chryſoſtomus Sanctum Apoſtolum præjacto nobis teſtimonio hortando ſive conſulendo fuiſſe locuntum, ſic enim inquit, præcitatum locum exponens, apud memoratam *Homil.* 11. *Duas igitur hìc ait mortificationes, & mortes item duas. Alteram quidem à Chriſto factam in Baptiſmo, alteram autem à nobis fieri debere per ſubſequens ſtudium. Etenim quòd priora quidem peccata ſepulta fuerint, illius dono tribuendum eſt: quòd autem à Baptiſmo mortui peccato maneamus, ſtudii noſtri opus exiſtat oportet. Quanquam videmus Deum, & hìc quoque multas ad res, vel maximè nobis præſidio eſſe. Neque enim iſtud Baptiſma, valet tantum ad priora peccata delenda, ſed & adverſùm futura confirmat. Itaque quemadmodum in illis fidem contuliſti tuam, ut ea delerentur, ſic, & in ſequentibus ſtudii mutationem exhibe, ut nè te ipſe rurſum ſordides. Hæc enim, & his ſimilia conſulens ait.* Eadem eſt Magni Theophylacti mens.

12 Adducunt ſecundò. Gratia baptiſmalis expellit, quidquid per originale peccatum fuit contractum, tam in corpore, quàm in Anima; conſtat nanque ex Concilio Trident. *Seſſ.* 5. *Can.* 1. in fine, *Totum Adam per illam prævaricationis offenſam, ſecundùm corpus, & Animam in deterius commutatum fuiſſe*: ergo gratia baptiſmalis tollit ab Anima omnem à Deo averſionem; à corde autem, ſenſibus, & corpore omnem rebellem concupiſcentiam, omneſque ſenſuum inordinatas commotiones. Ac per conſequens gratia baptiſmalis, non ſolùm reddit baptizatos, quo ad ſpiritum, ſed etiam quo ad corpus mortuos peccato. Antecedens videtur deduci ex Tridentino. *Seſſ.* 5. *Can.* 5. conſequentia autem fit evidens, plùs enim nobis profuit Chriſti gratia,

Objectio 2. deducta ex Concilio Tridentino, nequiter applicato.

gratia, quàm nocuit originale peccatum; inquit enim Apoſtolus ad *Rom.5. Non ſicut delictum,ita,& donum; ſi enim unius delicto multi mortui ſunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis JESU Chriſti in plures abundavit.*

13 Reſpondetur ad antecedens gratiam baptiſmalem, non expellere omne,& quidquid per originale peccatum fuit contractum: ſed illud tantùm,quod habet veram,& propriam rationem peccati originalis.Neque à Concilio Tridentino *Seſſ. 5. de Peccato Orig.Can.5.* aliud ſanctum fuit,ut patet ex illis verbis ejuſdem Canonis: *Aut etiam aſſerit non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet :::::: anathema ſit.* Imò, ut legitur eòdem Canone, *manere in baptizatis concupiſcentiam, vel fomitem, hæc Sancta Synodus fatetur, & ſentit, quæ cùm ad agonem relicta ſit, nocére non conſentientibus, & viriliter per Chriſti JESU gratiam repugnantibus non valet quinimo qui legitimè certaverit, coronabitur.*

Baptiſmus non expellit niſi id, quod habet verè rationem peccati originalis in parvulis, & actualis in adultis, ſimul cum originali.

14 Pro pleniori captu ſciendum quòd peccatum originale, quatuor naturæ vulnera inflixit: nam intellectui,inflixit errorem, ſive ignorantiam; voluntati, malitiam,ſeu averſionem; appetitui iraſcibili,infirmitatem; appetitui concupiſcibili,concupiſcentiam. Hæc doctrina communis eſt, tam Catholicis cum Divo Thoma *q.85.art.3.* quàm Heterodoxis cum Calvino. Et ratio doctrinæ eſt; quia juſtitia originalis quatuor continebat, ſcilicet rectam ordinationem, ac perfectam diſpoſitionem intellectûs, voluntatis, & utriûſque appetitûs; igitur quia per peccatum amiſſa eſt originalis juſtitia, amiſſa eſt ſanitas illarum potentiarum.

De vulneribus, quæ humanæ naturæ inflixit peccatum originale.

15 Eſt tamen quæſtio: Utrùm vulneratio naturæ humanæ quo ad omnes quatuor partes, ſive potentias ſuprà memoratas, ſit de eſſentia, & conſtitutione peccati originalis? Catholici negant: ſtatuunt enim, peccatum originale ſolùm importare corruptionem, & vulnus naturæ ſuperioris in intellectu,& voluntate; quapropter in Baptiſmo ſanatur intellectus, & voluntas per ſupernaturales habitus Fidei,Spei,Charitatis,& gratiæ juſtificantis, baptizatis infuſos: non tamen ſanàtur vulnus naturæ inferioris, quod eſt in appetitu iraſcibili, & concupiſcibili; docet enim experientia manère poſt Baptiſmum utriûſque appetitûs corruptionem inſanatam: Unde ad *Rom.7.23.*

Originale peccatum quid eſſentialiter importet.

dicitur

dicitur: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.*

16 Calviniſtæ, & cum illis Authores præſentium errorum, quos damnat Bulla *Unigenitus*, reſpondent corruptionem naturæ quo ad omnes quatuor potentias vulneratas eſſe de conſtitutivo peccati originalis. Eſt tamen hæc differentia inter citatos, quòd Calviniſtæ, inſpicientes non eſſe ſanatam corruptionem utriûſque appetitûs inferioris, colligunt Baptiſmum non tollere peccatum originale; iſti verò Authores, quia tenent nobiſcum Baptiſmum tollere originale, aſſerunt juxta ſua principia, tolli per Baptiſmum corruptionem utriûſque appetitûs inferioris; quanvis in oppoſitum inſurgat experientia, & Sacra Scriptura, ut dixi præcedenti *num.* 15.

Quid in hoc puncto ſentiant Calviniſtæ, & Queſnelliani.

17 Colligendum ex præcedentibus hanc propoſitionem XLIII. tanquam hæreticam eſſe deteſtabilem, cùm ſit Eccleſiæ definitionibus contraria, & proxima nonnullis hæreſibus, quæ ex hoc errore pullulare videntur ex dictis *num.* 4. *&* 6. Tenendum inſuper eum errorem fuiſſe aliquando à Tridentino damnatum, ut liquet ex præmiſſis *num.* 2.

Cenſura hujus propoſitionis.

CA-

CAPUT XV.

QUID SENTIENDUM SIT CIRCA PROPOSITIO-nem XLIV. *& alias eundem errorem continentes?*

PROPOSITIO XLIV.

Non ſunt niſi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes naſcuntur: amor Dei qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipſos, ac Mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eſt non refert, & propter hoc ipſum, fit malus.

XLV.

Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, neceſſe eſt, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat.

XLVI.

Cupiditas, aut charitas uſum ſenſuum bonum, vel malum faciunt.

XLVII.

Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons eſt Charitas. Quando Dei amor eſt illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum eſt, quod apparet exterius: alioquin, non niſi hypocriſis, aut falſa juſtitia.

XLVIII.

Quid aliud eſſe poſſumus, niſi tenebræ, niſi aberratio, & niſi peccatum ſine Fidei lumine, ſine Chriſto, & ſine Charitate?

XLIX.

Ut nullum peccatum eſt ſine amore noſtri, ita nullum eſt opus bonum ſine amore Dei.

L.

L.

Fruſtra clamamus ad Deum; Pater mi, ſi ſpiritus Charitatis non eſt ille, qui clamat.

1 MAGNA fuit inter priſcos Theologos controverſia, & maior inter juniores: *Utrùm omnes actiones humanæ oriri debeant à Charitate ſupernaturali, & ordinari in Deum ſummè dilectum?* Eam excitare ſolent Doctores apud Magiſtrum *in 2. diſt.* 38. ubi Divus Thomas *art.2.* & Divus Bonaventura in litera *dub.1.art.1.q.2.* eam apprimé tractant. Celebris quæſtio inter Theologos juniores, & priſcos.

2 Docebant aliqui nullum opus fieri poſſe, modo ſufficienti ad vitandum peccatum, niſi fiat ex ſupernaturali Charitate, ſive ex amore Dei propter ſe. Hujus opinionis fuere in primis Lutherus Hæreſiarcha impiiſſimus qui in *declamationibus popularib.* ſic inquit: *Illa ſanè bona, quæ illi* (Theologi Orthodoxi) *vocant naturaliter, & moraliter facta, ideo ſunt mala coram Deo, quia non fiunt ex Deo, nec propter Deum; id eſt, non cognoſcuntur, nec referuntur in Deum.* Eandem ſententiam tenuit deceptus Gregorius de Arimino *in 2.diſt.28.art.1.Concl.1.* cujus meminit Lutherus in *Epiſt. ad Georgium Spalde diſputat. Lypſica*, dicens: *Certum eſt modernos cum Scotiſtis, Thomiſtis in hac re, ideſt, libero arbitrio, & gratiâ conſentire; excepto uno Gregorio Ariminenſi, quem omnes damnant; qui & ipſe eos, Pelagianis deteriores eſſe, & rectè, & efficaciter convincit. Is enim ſolus inter Scholaſticos recentiores cum Auguſtino, & Apoſtolo conſentit; nam Pelagiani, & ſi ſine gratiâ, opus bonum fieri poſſe aſſeruerint, non tamen ſine gratia, Cælum obtineri poſſe dixerunt; idem certè dicunt Scholaſtici, dum ſine gratiâ opus bonum, ſed non meritorium fieri poſſe docent.* Quid reſpondeant Lutherus, & alij cum eodem. Gregorij de Arimino deceptio.

3 Eadem ſententia tradita fuit à Gerardo Van, Doctore Lovanienſi, hanc Theſim tertiam inter alias defendente apud Lovanienſes die 27. Januarij 1672. *Teneamus inconcuſſum hoc dogma ex Apoſtolo Auguſtinianum. Quidquid non eſt ex Fide peccatum eſt: per Fidẽ intelligendo illuſtrationem ſupernaturalem, ex Chriſti meritis promanantem, dirigentem in Deum, tanquàm in ſcopum, & finem, quod fit per Charitatem.* Ipſam doctrinam ediderunt Macarius Avermans in Tyrocinio *tract. 2. cap. 6. initio* his verbis: Alij Lutherano dogmati ſubſcribentes.

Reſpondeo nos libentiſſimé concedere omnia opera noſtra deliberata debere præcede quodam ſaltem imperfectæ Charitatis, ſeu dilectionis Dei caſtæ, aut amoris Dei propter ſe, affectu. Additque: *Hæc eſt clara Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum ſententia.* Præterea *num.65.* inquit: *Veriſſimum eſt, Deum ſemper actu, vel virtute diligendum eſſe; adeòque præceptum Charitatis ſemper obligare, quando homo deliberaté agit. Sic ut vi illius præcepti obligetur homo, actualiter, vel virtualiter omnia ſua opera ex Charitate facere.* Lambertus le Drou Lovanienſis in *Triade Patrum cap. 3. §. 3. Modus legis cadit ſub præcepto Divino, nimirum, ut quæcunque lex, ex Charitate latè dictà, hoc eſt, ex aliqua Dei propter ſe dilectione adimpleatur.* Henricus Bellamans Lovanienſis *Theſi* 13. die 20. Auguſti 1677. *Modus obſervandi legem ex charitate, eſt in præcepto.*

4 Michael Baius *lib. 2. de Meritis operum, cap. 7.* Janſenium ſecutus: *Quæcunque ſine Charitate fiunt, etiam ſi apud homines ſpecioſa videantur, tamen apud Deum, ſimulacra tantùm, & non vera ſunt legis obedientia.* Error Baio Janſenianus peior prioribus eſt: fundatur enim in hoc, quòd præter Charitatem nulla alia detur virtus. Igitur ſola Charitas in doctrinà Baii, & Janſenii, eſt virtus; quæ propter diverſa officia diverſa conſequitur nomina; unde ſi miſero ſuccurrat propter Deum, dicitur miſericordia; dicitur Religio ſi cultum Deo exhibeat propter ipſum ſummé dilectum; & pietas dicitur, ſi propter Deum parentes colat. Quòd ſi illa Miſericordia, Religio, & Pietas non ſint propter Deum ſummé dilectũ, non eſt Charitas, ac inde neque virtus; ſed actio peccaminoſa, & vitioſa cupiditas. Hæc doctrina imbibita eſt in his ſeptem propoſitionibus relatis; quæ tamen eſt omnino rejicienda utpote ab Eccleſia damnata inter Baianos errores: & neceſſariò corruit eo quòd rejicit à numéro virtutum, Fidem, & Spem Theologicam, cæteras quæ virtutes tum Cardinales, tum Morales. Nec opus eſt altiori impugnatione, adverſús hanc doctrinam Baii, quia ex dicendis per ſequentes ſectiones ejus falſitas planè conſtabit.

Error Baii, & Janſenii in hac controverſia; qui etiam continetur in his ſeptem propoſitibus.

Notandus eſt hic error Baii procaptu præſentium propoſitionum, quæ in eodem errant.

5 Contraria ſententia, docens poſſe hominem abſque peccato multa operari, quæ ſint non ſolùm indifferentia, verùm etiam moraliter, & intra naturæ ordinem bona, ſine concurſu gratiæ habitualis, ſeu Charitatis, & abſque relatione in Deum ſummè dilectum, eſt communis Theologorum cum Ma-

Catholicorum reſolutio ad quæſtionem citatam ſuprà num. 1.

Magiſtro *in 2.diſt.26.cap.penultimo*, ubi inquit: *Etiam ante gratiam prævenientem, & operantem, quâ voluntas bona præparatur in homine, præcedere quædam bona ex Dei gratiâ, & libero arbitrio; quædam etiam ex ſolo libero arbitrio, quibus tamen non meretur vitam, nec gratiam, quâ juſtificatur.* Et hanc doctrinam eſſe de mente Auguſtini ibidem oſtendit. Subſcribunt Divus Thom. Scot Durand.ſupra citatum locum Magiſtri Sententiarum. Alenſ. 4.*p. q.*24.*memb.*4.*art.*3. Albertus Magnus *in* 2. *diſt.*28.*art.*1. Abulenſ. *in cap.*29.*Matth.q.*174.*&* 175. Bonavent.*in* 2.*diſt.*28. & ibidem Richard. Ægidius, Argentin Bellarminus *tom.*3.*lib.*5.*de Grat.* Aguirre *tom.*3.*Theol.Sancti Anſelmi diſp.*130.& alij.

6 Lutheranam, Baianam, Janſenianam, & ſectatorum doctrinam eligentes, docent Novatores in hac propoſitione 44. *Non ſunt, niſi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes noſtræ naſcuntur. Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipſos, & Mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum eſt malus.* Ecce, ut patet, duo omnium noſtrorum operum ſtatuuntur principia. Unum principium eſt amor Dei, qui omnia operatur propter Deum, & cum relatione ad illum; cujus tantummodo opera Deus remuneratur; quia, inquiunt, ſola Charitas eſt virtus, & illæ ſolùm actiones, quæ fiunt à Charitate, ſunt bonæ, & virtuoſæ, ut fuit expoſitum *num.* 4. Aliud principium, eſt mundanus amor, quo aut nos, aut creaturas diligimus, non ex Charitate ſupernaturali, neque propter Deum ſummè dilectum. Omnes operationes iſtius amoris malæ, & peccaminoſæ cenſentur, nulla indifferens judicatur, aut moraliter bona: hoc autem, non ex aliâ ratione, niſi quia hic amor non agit propter Deum ſummè dilectum; & quod ad Deum referendum eſt, non refert.

Senſus. & error propoſitionis 44.

7 Idem docetur propoſitione 45. his verbis: *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, neceſſe eſt, ut in eo regnet carnalis cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat.* Accedit propoſitio 46. *Cupiditas, aut Charitas uſum ſenſuum bonum, aut malum facit.* In quarum primâ dicitur amorem cujuſcunque rei creatæ corrumpere, ac depravare neceſſariò omnes actiones; quod quidem evenire neceſſe eſt, quoties amor Dei in corde peccatorum non regnat. Hujus aſſertionis duplex eſt principium.

In quibus errēt propoſitiones 45. & 46.

 Unum,

Unum; quia cupiditas, hoc eſt, amor noſtri, aut alicujus creaturæ non operatur dirigendo proprias actiones in Deum ultimum finem ſummé dilectum. Alterum; quia præfatæ actiones, cùm ex amore Dei ortum non ducant, bonæ eſſe non poſſunt, juxta præcedentem inſaniam. Et hic eſt ſenſus, in quo dicitur propoſitione alterà, cupiditatem, ſive amorem mundi, & noſtri, malum facere uſum ſenſuum noſtrorum: Charitatem verò, hoc eſt, amorem Dei, bonum facere uſum ſenſuum.

Propoſitionis 47. ſenſus.

8 Propoſitione 47. idem ſtabilitur; ſic enim eſt inſtitutum: *Obedientia legis debet profluere ex fonte, & hic fons eſt Charitas. Quando Dei amor eſt illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum eſt, quod apparet exterius, alioquin non niſi hypocriſis, aut falſa juſtitia.* Hæc propoſitio in ſenſu non differt à præcedentibus; & neque in modo longè abeſt à Baio-Janſeniana doctrina explanata *num.*4. præcedenti, his verbis: *Quæcunque ſine Charitate fiunt, etiam ſi apud homines ſpecioſa videantur, tamen apud Deum, ſimulachra tantùm, & non vera ſunt legis obidientia.* Quæ tamen doctrina à Sancta Sede Apoſtolica, ut poſtea videbimus, proſcripta fuit.

Detegitur error propoſitionis 48.

9 Eundem ſpirant errorem, tres aliæ ſequentes propoſitiones: dicitur eeim propoſitione 48. *Quid aliud eſſe poſſumus, niſi tenebræ, niſi aberratio, & niſi peccatū ſine Fidei lumine, ſine Chriſto, & ſine Charitate?* Hujus ſēſus eſt, quod omnia noſtra opera peccata ſint, aberrationes, & tenebræ, ſi non procedant ex Charitate ſupernaturali, ut ſe habet impiorū, & infidelium opera. Cujus ratio eſt, quia præfata opera nec oriuntur à Charitate, nec referūtur in Deum, ut finē ultimū ſummé dilectum. Hoc autē inſanū dogma ſtare non poſſe, ſatis oſtendit Caput 14. præcedens.

Error, & ſentus propoſitionis 49. & 50.

10 Propoſitione 49. apertè ſtatuitur abſque amore Dei, ſeu habituali gratià ſanctificante, actiones humanas producentē, ipſaſque ordinante in Deum, omnes illas peccaminoſas eſſe: dicitur enim: *Ut nullum peccatum eſt, ſine amore noſtri, ita nullū opus bonum, ſine amore Dei.* Tandē, juxta eundē errorē dicitur propoſitione 50. *Fruſtra clamamus ad Deum; Pater mi, ſi ſpiritus Charitatis non eſt ille, qui clamat.* Fruſtra, inquiunt, quia Deus ſolam Charitatem audit, juxta errorem propoſitionis 54. Fruſtra etiam; quia clamare ad Deum ſine habituali Charitate (juxta errores præcedentium propoſitionum) peccatum eſt,

nam

nam *voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum; ardoris, niſi ad ſe præcipitandum, virium, niſi ad ſe vulnerandum; eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum:* ut habetur propoſitione 39. *Fruſtra* denique *clamamus ad Deum: Pater mi, ſi ſpiritus Charitatis non eſt qui clamat*, nam qui Charitatem, ſeu habitualem gratiam non habet, *ceſſat interius habere Deum pro Patre,* ut legitur propoſitione 77.

11 Colligitur ex præcedentibus circa duo præcipuè verſari omnes errores,& falſitatis præcedentium propoſitionum. Primus error ſtat circa principium humanorum actuum. Secundus error circa illorum finem. Dicitur in primo errore omnes actus humanos debere ortum ducere à gratiâ habituali; aliter peccaminoſi erunt, & pravi. Dicitur in ſecundo omnes actiones humanas debere à Charitate ſupernaturali in Deum dirigi, & ordinari primariò propter ultimum finem ſummé dilectum, ut clariùs, & expreſſiùs cōtinetur in propoſitione 47. *Obedientia legis debet profluere ex fonte, & hic fons eſt Charitas. Quando Dei amor eſt illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum eſt, quod apparet exterius, alioquin non eſt, niſi hypocriſis, aut falſa juſtitia.*

Præſentium propoſitionum, duo ſunt errores præcipui; alter circa principium, alter circa finem humanorum actuum.

12 Quia igitur agnovimus errorem contentum in his ſeptem propoſitionibus, quas Sancta Mater Eccleſia damnavit, & ſenſum proprium illarum; nunc Theologico more eas impugnabimus ſectione ſequenti. Deinde aliis ſequentibus ſectionibus confutabimus duos illos præcipuos errores, quorum paulò ſuprà fecimus mentionem: nam ſectione 2. diſputabimus de neceſſitate gratiæ ſanctificantis, ceu principii actuum humanorum naturalium, & ſectione 3. de neceſſitate relationis operum naturalium in Deum, ultimum finem ſummé dilectum.

SECTIO I.

Explanata doctrina præfatarum propoſitionum, teſtimoniis irrefragabilis veritatis refellitur.

Pelagianus error circa meritum bonorum operum examinatur à Concilio Arauſicano ſecundo.

1 DOcuerunt olim Pelagiani poſſe hominem, ſuperno adjutorio deſtitutum, ſolis naturæ viribus, elicere opera ſupernaturaliter bona, beatitudinis, & gratiæ meritoria. Idem conſequenter (imò & à fortiori) aſſerebant, ſeu potiùs ſupponebant de operibus, quæ moraliter, ſeu naturaliter bona appellamus. Ratio eſt: quia, ſi vis naturalis extenditur ad ea, quæ ſupernaturalia ſunt, cur non ad ea, quæ ſunt naturalia? Pelagianam doctrinam examinans Concilium Arauſicanum ſecundum, (quod fuit celebratum in Dedicatione Baſilicæ conſtructæ à Liberio Patritio quinto Nonas Julias, Decio Juniore V. C. Conſule, hoc eſt, anno Chriſti, DXXIX. Felicis IV. Papæ & Athalarici Italiæ Regis III.) ſic ſtatuit capitulo VII. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, aut eligere, ſive ſalutari, ideſt, Evangelicæ prædicationi conſentire poſſe, confirmat, abſque illuminatione, & inſpiratione Spiritûs Sancti, qui dat omnibus ſuavitatem in conſentiendo, & credendo veritati, hæretico fallitur ſpiritu.* Ecce, ut patet, damnat Concilium, docentes ſufficere naturæ vigorem, ad bonum opus ſupernaturale beatitudinis, & gratiæ. Cùm autem præfati Pelagiani docuiſſent, naturæ vires eſſe ſufficientes ad opera naturalia, quæ ſunt moraliter bona, id Concilium neque damnavit, neque ſuſpexit. Certum tamen eſt, quòd, ſi hæc moralia bona gratiam neceſſariò ſupponerent, oppoſita doctrina damnaretur à Concilio. Ratio eſt: quia, ſi ad quodlibet bonum, ſive morale, ſive ſupernaturale, gratia foret requiſita, non ſolùm hæreticè procederent Pelagiani, excludentes neceſſitatem gratiæ ad ſupernaturalia; verùm etiam ſuſtinentes ad bona moralia gratiam non eſſe neceſſariam.

Juxta Catholicam doctrinam ad opera naturaliter bona habitualis gratia non requiritur.

2 Imò quòd ad bona opera intra naturæ ordinem, non requiratur habitualis gratia, non Pelagianus error, ſed Catholicum dogma, judicatur, & docetur ab Eccleſiâ Romanâ,

quæ

quæ in Bullis Pij V. Gregorij XIII. & Urbani VIII. hanc damnavit propoſitionem, quæ inter alias in eiſdem Bullis proſcriptas eſt vigeſima quinta: *Et ad Pelagianiſmum rejicienda eſt ſententia: Omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia.* Idem error non obſcurè damnatur à Tridentino *Seſſ.6. Can.7.* his verbis: *Si quis dixerit opera omnia, quæ ante juſtificationem fiunt, quácunque ratione facta ſint, verè eſſe peccata, vel odium Dei mereri,* ::: *anathema ſit.* Quá doctriná ſuppoſitá, diſcurro ſic. Opera, quæ fiunt ab impiis, hoc eſt, à non habentibus charitatem habitualem, & amorem Dei ſuper omnia, ſunt opera ante juſtificationem: ergo dicere ea omnia, *quácunque ratione ſint facta, verè eſſe peccata, vel odium Dei mereri*, in proprio ſenſu anathemate percuſſum eſt à Tridentino, & à Summis Pontificibus damnatum.

3. Si autem quærat aliquis: Cur tam rigidè puniantur à Summis Pontificibus, & à Concilio qui aſſerunt peccata eſſe, quævis opera, quæ ex amore Dei, & habituali gratiá non proveniunt? Reſpondeo fundamentum eſſe: quia ex oppoſito ſequitur neceſſariò omnes actiones, quibus impij ſe diſponunt ad juſtificationem recipiendam, peccata eſſe, cùm à gratia non proveniant præfatæ actiones. Ac inde, quò magis vellent impii Deo placere, magis eum offenderent: & quò magis deſiderarent converti ad Deum, magis obſtinarentur, magiſque indurarentur: unde per conſequens redderetur impoſſibilis cujuſvis impii juſtificatio. Unde Tridentinum citatá *Seſſ.6. Can. 7.* ſic inquit: *Si quis dixerit opera omnia, quæ ante juſtificationem fiunt, quácunque ratione facta ſint, verè eſſe peccata, vel odium Dei mereri, quantò vehementiùs quis nititur ſe diſponere ad gratiam, tantò eum graviùs peccare; anathema ſit.*

Si opera ante juſtificationem facta peccata ſunt, impoſſibilis eſt impiis ad juſtificationem diſpoſitio.

4 Oſtenditur ampliùs præſentium propoſitionum doctrinam, eſſe damnatam à Sede Apoſtolicá; extat enim quædam Bulla Gregorii XIII. expedita die 14. Aprilis anni 1576. quæ incipit: *Cùm Sacroſancta*, in quá primo loco anathematizatur hæc propoſitio, videlicet: *Quòd opera quæcunque, ſine charitate facta, ſint peccata, & Deum offendant.* Deinde à Sancto Pio V. damnata eſt propoſitio illa: *Non eſt vera legis obedientia, quæ fit ſine charitate*; eſt autem hæc 16. inter alias Baii de ſumpta ex *lib. 2. de Meritis operum, cap. 7.* ubi ſcripſerat: *Quæcunque ſine*

charitate fiunt, etiam ſi apud homines ſpecioſa videantur, tamen apud Deum ſimulachra tantùm, & non vera ſunt legis obedientia. Damnata etiam fuit ab eodem Sancto Pontifice, itemque à Gregorio XIII. in Bulla, quæ incipit *Proviſionis noſtræ*, quam etiam confirmavit Urbanus VIII. hæc propoſitio inter Baianas 38. *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitioſa eſt cupiditas, quâ Mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur, aut laudabilis charitas, quâ per Spiritum Sanctum in corde diffuſa Deus amatur.*

5 Sacra Scriptura, ceu lumen inextinguibilis veritatis, Catholicam doctrinam clarificat: aliquot enim opera naturalia veluti moraliter bona approbat, non tanquam apud Deum meritoria, ſed apud homines tantùm; unde ad *Rom.* 4. ſic dicitur: *Si enim Abraham ex operibus* (legis, & naturæ juxta Doctores communiter, cum A Lapide hîc.) *juſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum.* His verbis, ut notant Origenes, Auguſtinus, Primaſius, Ambroſius, Pariſinus, & alij, ſupponit Apoſtolus in Abrahamo nonnulla opera bona, & laudabilia, politicè & apud homines, ſed non apud Deum, cùm gratiæ, aut gratiæ præmio, digna non fuerint. Qua propter noſter Divus Anſelmus in præfatum locum inquit: *Sicut Fides ſine ſubſequentibus operibus bonis vacua eſt, ita quælibet opera bona ante Fidem. Habet* (qui ea facit) *gloriam apud ſemet ipſum, vel etiam apud homines, ſed non apud Deum.* Et Lyranus ibidem, ait: *Ideo talis juſtitia non juſtificavit Abraham, quia adquiſita eſt, & politica, quæ ſolùm reddit habentem laudem apud homines, non apud Deum, quia non facit eum dignum vitâ æternâ.*

Probatur ex Sacra Scripturá dari opera moraliter bona.

6 Vides nè opera ſolùm moraliter, & naturaliter bona? Exinde ſic probatur noſtra doctrina. Præfata bona opera, non erant ſupernaturaliter bona, ideſt, gratiæ, aut beatitudinis meritoria, ut ex dictis patet: ergo non erant ex gratiâ, ut à fonte. Et tamen erant bona moraliter; & peccaminoſa non erant; ergo falſum eſt quod aſſeritur in his propoſitionibus, videlicet *nullum opus bonum* eſſe *ſine amore Dei*, ut in propoſitione 49. ſeu ſine charitate, ut in propoſitione 48. & in reliquis ſimiliter. Idem conſtat ex dictis cap. 14. *Sect.* 1. *à num.* 2. & deinceps, ubi ex variis Sacræ Scripturæ locis oſtendimus plura infidelium, & impiorum hominum opera, peccata non fuiſſe; ſed moraliter bona, & veluti laudabilia commendata;

Concluditur ex dictis nonnullas actiones eſſe naturaliter, & moraliter bonas abſque influxu ſanctificantis gratiæ.

quæ

quæ tamen opera non erant ex gratiâ influente.

SECTIO II.

Utrùm influxus gratiæ ſanctificantis, ſeu charitatis ſupernaturalis ſit effectivum principium omnino requiſitum, ut actiones humanæ evadant non malæ moraliter, aut bonæ intra ſtatum naturæ?

1 DOceri vidimus in his propoſitionibus actiones humanas originem poſtulare à charitate, tanquam à fonte, ex quo profluant: aliter peccaminoſæ erunt. Unde propoſitione 47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons eſt charitas. Quando Dei amor eſt illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum eſt, quod apparet exteriùs. Alioquin non eſt, niſi hypocriſis, aut falſa juſtitia.* Et huic reliquæ præfatæ cohærent. Hinc nobis occaſio data eſt ad quæſtionem in Epigraphe ſuprá excitatam. Ad eam reſpondeo negativé, cum Catholicorum communi contra Baium, ſtatuentem ad omne opus moraliter bonum, neceſſariam eſſe gratiam habitualem, & imperium charitatis: quapropter docebat eſſe peccata, quævis opera, ab homine in ſtatu peccati elicita. Unde inter alias ejuſdem Baii propoſitiones ab Apoſtolicâ Sede proſcriptas hæc eſt 34. *Omne, quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt.* Conſonat ejuſdem 39. propoſitio: *In omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati.* Quas Theſes pro veritate Catholicâ ſic adorior.

Catholicorum reſolutio negativa eſt.

2 *Primò*: Quia charitas, ſive gratia habitualis non eſt principium effectivum per ſe requiſitum ad operum honeſtatem; dantur enim bona opera, tum naturalia, tum ſupernaturalia, quæ à charitate, & gratiâ habituali non procedunt: ergo non eſt cur dicatur opera moraliter bona, debere á gratiá, tanquam à fonte, profluere, & à charitate imperante. Antecedens, & ejus inſinuata probatio, quo ad primam partem oſtenditur. Quia opera moraliter tantùm bona, quæ ad Beatitudinem, & meritum non conducunt, reperiri poſſunt in homine, condito in puris naturalibus; in eo tamen nulli eſſent habitus ſupernaturales: igitur ab eis non procedunt bona opera intra naturæ vires. Et propter hanc rationem non erit aſſigna-

Bona opera naturalia nô procedunt ex habitibus ſupernaturalibus: nam & ipſa bona opera poſſent fieri ab homine in puris naturalibus conditis,

aſſignabile, cur homo juſtificatus, gratiá, & infuſá charitate prædi tus, naturalia opera non poſſit elicere, infuſis illis habitibus non utendo.

3 Quo ad ſecundam partem oſtenditur; ſunt enim quædam bona opera ſupernaturalia, quæ ſine habitu charitatis, & abſque ſanctificante gratia fieri poſſunt per ſolum auxilium tranſiens, & motionem Dei; ut ſunt timor gehennæ, & contritio imperfecta, juxta Tridentini doctrinam, *Sect.* 14. *cap.* 4. ſic ſtatuentis: *Contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu, communiter concipitur ::: non ſolùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei eſſe, & Spiritûs Sancti impulſum.*

Opera ſupernaturalia, quæ fieri poſſunt abſque gratia ſanctificante.

4 Confirmatur: quia juxta Divi Auguſtini doctrinam apud Suarium *lib.* 1. *de Grat. cap.* 4. diſtinguunt Theologi duplex genus operum ſupernaturalium. Alia enim procedunt ab Spiritu Sancto movente, ſed non dum habitante; alia autem ab Spiritu Sancto habitante procedunt. Illa igitur opera, quæ fiunt ab hominibus per Spiritum Sanctum nondum inhabitantem, neque proveniunt à gratiâ, neque à charitate habituali, hæc enim eſſe nequit abſque Spiritûs Sancti inhabitatione, juxta illud ad *Rom.* 5. *charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Et tamen prædicta hæc opera ſunt ſupernaturalia, cùm ſint dona Dei, & Spiritûs Sancti influxus ſupra omnem naturæ exigentiam; & præterea ſunt in ſe bona, Spiritns Sanctus enim non movet niſi ad bonum: ergo abſque gratiá, & charitate imperante multa ſunt bona opera, non ſolùm naturalia, ſed etiam ſupernaturalia.

Operum ſupernaturalium duplex genus.

5 Probatur *ſecundò* noſtra doctrina aliá ratione, quâ utitur Pater Gonetus Dominicanus contra Michaelem Baium, videlicet; quia virtutum opera, ut Juſtitiæ, Religionis, Miſecordiæ, Temperantiæ; &c. jure naturali, & Divino præcipiuntur hominibus etiam injuſtis, & mortalis peccati labe inquinatis; at illis non præciperentur, niſi ea exequi poſſent ſine admixtione peccati, & taliter, ut eſſent omni ex parte honeſta: ergo, &c. Cõfirmatur. Ratio naturæ, ejuſque doctrina ſeorſa eſt à doctrinâ, atque dictamine gratiæ, cùm hæc ſit omnino ſupernaturalis

Virtutes naturales, quæ præcipiuntur independẽter à gratiá.

ralis, naturamque penitus excedens. Sed natura dictat miſericordiam v. g exercendam: ergo hoc docet independenter ab influxu ſupernaturalis virtutis exerceri poſſe. Et ratio præcipua, & fundamentalis eſt; quia hæ virtutes morales, quà honeſtæ, & quà tantùm moraliter bonæ, continentur intra virtutem cauſarum naturalium: ergo non eſt cur poſtulent ſupernaturale principium, unde fluant.

6 Sancti Patres noſtram Catholicam doctrinam maniſeſté approbant, præſertim Auguſtiuus, qui contra Pelagianos docens opera ſupernaturalia, ac meritoria gratiæ, & beatitudinis provenire non poſſe, niſi à principio ſupernaturali; inquit etiam, hoc ſupernaturale principium, non requiri ad opera moraliter tantùm bona, intra ordinem naturæ. Unde *lib.* 4.*contra duas Epiſt. Pelagian. cap.* 6. ſic ſcribit: *Quid eis prodeſt, quòd in laudem ipſius arbitrii gratiam dicunt adjuvare uniuscujuſque bonum propoſitum?* Nota jam: *Hoc ſine ſcrupulo acciperetur catholicè dictum, ſi non in bono propoſito meritum ponerent, cui merito jam merces ſecundùm debitum, non ſecundùm gratiam redderetur.* Idem Sanctus Doctor laudat Polemonis Gentilis, Xenocrati diſcipuli, mores, & opera, quæ licèt nihil haberent æterni meriti, cùm non eſſent ex gratiá, & charitate, erant tamen pro vità præſenti, honeſta, & laudabilia. Indeque *Epiſt.*130. ſic inquit: *Polemo ergo ſi ex luxurioſo continens factus ſciret, cujus eſſet hoc donum, & eum abjectis ſuperſtitionibus Gentium piè coleret, non ſolùm continens, ſed etiam veraciter ſapiens, & ſalubriter religioſus exiſteret; quod ei non tantùm ad præſentis vitæ honeſtatem, verùm & ad futuræ immortalitatem valeret.*

Divus Auguſtinus noſtram ſententiam docuit.

Polemon Gentilis laudatus ab Auguſtino.

7 Eandem doctrinam expreſſiùs tradidit *lib.*3. *Hyponoſticon,* quem librum, & ſi non nulli dubitent, eſſe Auguſtinianum, eum tamen multi cum Janſenio, Novatorum in his erroribus duce, Auguſtino tribuunt indubitanter. Sic ergo legitur in citato loco: *Eſſe fatemur arbitrium omnibus hominibus, habens quidem judicium rationis, non per quod ſit idoneum, quæ ad Deum pertinent, ſine Deo, aut inchoare, aut certè peragere; ſed tantùm in operibus vitæ præſentis, tam in bonis, quàm etiam in malis. Bonis dico, quæ bonis naturæ oriuntur, &c.* Sanctus Doctor eandem tenuit doctrinam, *de Spiritu, & literá cap.*28.inquiens: *Sicut non impediunt à viá æterná juſtum, quædam peccata venialia, ſine*

ne quibus vita hæc non ducitur; ſic ad ſalutem æternam, nihil proſunt aliqua bona opera, ſine quibus difficillimé vita cujuſlibet peſſimi hominis invenitur. Accedit Divus Chryſoſtomus *Homil.67. ad populum,* dicens: *Non poteſt malus omnino malus eſſe, ſed evenit ut aliquid habeat boni.*

8 Magnus Suarius de *Grat. lib.* 1. variis in locis cenſuit hanc veritatem, fuiſſe definitam in Tridentino. Idem docet P. Gonetus *tom.4. diſp.* 1. *de Neceſſit. Grat. art.3.* §.1. Et recté: nam Concilium *Seſſ. 6.Can.7.* inquit: *Si quis dixerit omnia opera, quæ ante juſtificationem fiunt, verè eſſe peccata, anathema ſit.* Si autem influxus gratiæ, aut charitatis imperium eſſet principium effectivum operationum, nè ſint eo ipſo peccata, corruere doctrinam Concilij neceſſe eſt. Addo autem ex Aguirre *tom.* 3. *in Theolog. Sancti Anſelmi, diſp.* 118. quoties ferè Concilia, commendant neceſſitatem Divinæ gratiæ contra Pelagianos, aut Semipelagianos, ſive quoslibet alios erroneos, aut heterodoxos, ad faciendum bonum, vel vitandum peccatum, adjungere particulam, *ſicut oportet*; vel, *quod ad ſanctum propoſitum attinet*; ſive, *cum merito ſalutis, aut gratiæ*: ſeu aliquam idem valentem; ut denotetur gratiam concurrentem ſolùm eſſe requiſitam ad actus meritorios gratiæ, aut Beatitudinis; non autem ad actiones, ſolùm intrá naturam, honeſtas, & moraliter bonas. Ita enim patet ex Concilio Arauſicano ſecundo, *Canone* 6. 7. & 25. Ex Africano apud Sanctum Proſperum in *reſponſione ad cap.* 8. *Gallorum.* Ex Moguntino *cap.*5. Ex Trident. *Seſſ. Can.*3. his verbis: *Si quis dexerit ſine præveniente Spiritûs Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur; anathema ſit.* Solùm igitur agnoſcitur neceſſitas auxiliorum Divinæ gratiæ ad illa bona opera, quæ fiunt *ſicut oportet* ad ſalutem, & meritum; non ad alia, quæ eidem fini obtinendo ſunt infructuoſa; alioqui illa particula, *ſicut oportet*, fruſtra adderetur in tot Conciliorum decretis.

Noſtra reſolutio fuit in Tridentino definita.

Regula generalis circa neceſſitatem gratiæ habitualis.

9 Alia plura, quæ pro Catholica veritate poſſunt adduci, præmiſſa ſunt *cap.3. ſect.5.* quæ autem in oppoſitum objici poterunt, præſoluta manent eodem *cap.* 3. *ſect.* 6. & in dicendis, ſi quæ adhuc deſiderantur, facilè invenientur.

SECTIO

SECTIO III.

Utrùm actiones humanæ, hoc eſt, quæ fiunt deliberatæ, in Deum referri debeant, ſau fieri propter Deum ſummè dilectum, charitate itá referente, & ordinante?

1 AFfirmativè reſolvitur in propoſitione 44. & 47. ubi dicitur peccaminoſa eſſe, opera non ita ordinata, & relata, his verbis: *Non ſunt, niſi duo amores unde volitiones omnes noſtræ naſcuntur. Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, & amor, quo nos ipſos, & Mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eſt non refert, & propter hoc ipſum ſit malus.* Huic accinit altera citata propoſitio ſic habens: *Obedientia legis debet profluere ex fonte, & hic fons eſt Charitas; quando Dei amor eſt illius plincipium interius, & Dei gloria ejus finis; tunc purum eſt quod apparet exteriùs, alioquin non eſt, niſi hypocriſis, aut falſa juſtitia.* Oppoſitum docetur à Sanctis Patribus infra citandis; eſtque Catholicæ Eccleſiæ verum, & commune labium. Indiget tamen utraque ſententia aliquali exploratione, & expoſitione ad captum pleniorem; eam dabimus in ſequentibus. Sanctis Patribus ſubſcribunt omnes Anti-Janſeniſtæ, & Anti-Baiani, cùm Suarper totum *lib.* 1 *.de Grat.* Gonet. *tom.*4.*diſp.*1.*de Neceſſit.Grat.art.*3.§.1.infra *num.*104.Sot.de *Nat. & Grat.lib.*1.*cap.*22.Ripald.*tom.*3.*diſp.*20.& ibi tot congerit pro hac ſententia Doctores, ut lectorem valeat fatigare. Eam doctiſſimé ex more, propugnat Reding S.R.Imperii Princeps, & Abbas Einſidlenſis Benedictinus, *tract.* 4. *veritatis inextinctæ Concilij Tridentini* contra Heideggerum Calviniſtam. Accedit noſter Aguirre *tom.*3.*Theolog.Sancti Anſelmi diſp.*130. *ſect.*3.

Commune Labium totius Eccleſiæ ad quœſtionem reſpondet negativè.

2. Ut in hàc controverſià, quæ eſt ſummi ponderis, (ex eà enim pendet judicium circa bonitatem, & malitiam humanorum omnium actionum) clarius procedamus, legiſſe oportet illud Apoſtoli ex 1. *ad Corint. cap.* 10.*v.*31. dicentis: *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliquid quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Ex quo oritur quæſtio. Utrùm hic Apoſtoli locus contineat ſolummodo Conſilium; an potiùs præceptum, ut dirigamus in gloriam Dei omnes actiones noſtras deliberatas? Reſpondent

 aliqui

Utrum Apoſtolus docuerit ſub Conſilio, an potiùs ſub præcepto omnia in Dei gloriam dirigere?

aliqui cum A'Lapide Apoſtoli verba, purè conſilium continere. Alij cum Caietano, Eſtio, & Lyrano præceptum ibi includi. Qualiter autem hoc præceptum admiſſum explicari debeat, eſt totum in præſenti diſſidium; inquiunt enim Nov-Auguſtiniani, cum Baio, & Janſenio; obligationem operandi omnia ex Charitate, juxta alium Apoſtoli Textum ad *Corint.* 1. *cap.* 16. ibi; *omnia veſtra in Charitate fiant*, & referendi omnia ex Charitate in Dei gloriam; ita eſſe accipiendam, ut extendatur ſemper, & aſſiduè, per omnia momenta vitæ noſtræ, obligans ſemper, & pro ſempre, actu, aut ſaltem virtute, dirigere in Deum omnes actiones deliberatas, illas ſemper operando propter Deum ſummè dilectum. Ita quòd non ſufficiat *primò* ad vitandum peccatum in ſingulis actionibus deliberatis, ut fiant propter honeſtatem moralem creatam ſed opus ſit quòd finaliter fiant, propter Deum ſummè dilectum, & efficienter ex influxu Charitatis ſupernaturalis. Neque ſufficiat *ſecundo* relatio habitualis operum humanorum ad gloriam Dei, ſed neceſſariò requiritur actualis, aut ſaltem virtualis relatio.

Baij, & Janſenii doctrina.

Quid ſit ralatio actualis, virtualis, & habitualis humanarum actionum in Deum?

3 Quæres qualis ſit relatio *actualis*, quænam *virtualis*, & quæ *habitualis*? Reſolutio. Actualis relatio actionum eſt illa, quæ realiter, & phyſicè exiſtens, præfatas actiones actu dirigit in gloriam Dei. Virtualis relatio eſt illa, quæ & ſi pro duratione actus in Deum referendi non ſimul illi coexiſtat, extitit paulò ante, unde moraliter cenſeatur perſeverare ipſa relatio, aut ſaltem ejus virtus, quæ proinde poteſt actum ſubſequentem in Deum dirigere. Relatio habitualis conſiſtit in quadam habitudine, ſive aptitudine, quam habet actus humanus, ut referatur in Deum, ut ſcilicet aptus ſit Deum glorificare, quatenus ipſe actus neque proximum offendat, neque Deum lædat.

Ex præjactis deducunt Nov-Auguſtiniani quinque abſurda.

4 Igitur quia docent Nov. Auguſtiniani neceſſariam eſſe actualem, vel ſaltem virtualem relationem, per Charitatis influxum, omnium noſtrorum operum humanorum, in Deum propter ſe dilectum, ad peccatum vitandum, abſurda plura ab hac radice deducunt; dicitur enim *Pſalm.* 41. *Abyſſus abyſſum invocat.* Primum eſt: omnia opera infidelium, & impiorum peccata eſſe; eis enim deeſt influxus Charitatis. Secundum: actiones juſtificatorum etiam circa Fidem, Spem, &

Reli-

Religionem, reliquaſque virtutes, tam morales, quàm per ſe infuſas, eſſe peccaminoſas, niſi coexiſtat actualis, & expreſſa relatio illarum in Deum, ejuſque obſequium; aut niſi ſaltem præextitiſſet paulò antea talis relatio ita, quòd adhuc virtualiter permanens cenſeatur. Tertium: eſſe illicitas quaſcunque actiones ab homine juſtificato elicitas intuitu præmii à Deo obtinendi: non enim habent charitatem pro objecto movente. Quartum: peccata eſſe omnes actiones in materia virtutum moralium, quæ fiunt propter objectivam, & propriam illarum bonitatem, non enim fiunt ſolo intuitu charitatis, & ob illam. Quintum: omnes actus Spei Theologicæ eſſe vitioſos, non enim exercentur niſi ob amorem alicujus boni cedentis in commodum ipſius hominis ſperantis.

5 Catholici autem longè aliter explicant, & intelligunt illud Apoſtoli præceptum (ſi admittatur eſſe præceptum) ordinandi omnia in gloriam Dei, & faciendi omnia ex charitate. Docent enim primò illud præceptum ſolùm extendi ad eas actiones, quæ in gloriam Dei ſunt ordinabiles; nam peccata Lethalia, aut venialia, cùm potiùs opponantur Divinæ gloriæ, ordinari in illam, eſt impoſſibile. Et hoc maximè eſt notandum, nè fortè deducatur omnia peccata venialia eſſe mortifera: venialia ſcilicet ex ſe, & mortifera ex defectu præceptæ ordinationis illorum in Deum. Docent præterea Doctores Orthodoxi illud admiſſum Apoſtoli præceptum non eſſe diſtinctum à præcepto diligendi Deum, ſæpe tradito in Scripturis; in quo fundatur præſens Theologorum doctrina, quæ latiùs expenditur per doctiſſimum Aguirre *tom.* 3. *Theolog. Sancti Anſel. diſp.* 129. *ſect.* 2. Poſtremò ſunt inter Catholicos Doctores, qui aſſerant, quemlibet hominum debere ex præcepto ſæpe in decurſu vitæ, & præſertim in prima luce uſus rationis ſe, & omnia ſua ordinare, ac referre in gloriam Dei, tanquam finis ultimi propter ſe dilecti. Horum opinio fundatur in communi Thomiſtarum doctrina cum Præceptore Angelico 2. 2. *q.* 89. *artic.* 6. His notatis.

Proponuntur aſſertiones Catholicæ doctrinæ.

6 *Dico primò.* Datur præceptum ordinandi habitualiter in Deum, & ejus gloriam omnia noſtra opera deliberata; quod præceptum ſufficienter impletur per habitualem relationem ipſorum operum in Deum. In hac concluſione hujus tempo-

ris hæretici cum Orthodoxis conveniunt: qui enim docent dari præceptum ordinandi omnia opera in Deum actuali, aut virtuali relatione, eo ipſo ſupponunt præfata opera eſſe habitualiter in Deum relata. Igitur concluſio quo ad primam partem probatur facilé: quia noſtra omnia ita facere tenemur, ut apta, & habilia ſint ad Dei gloriam promovendam; ſcilicet ut talia ſint, ex quibus Deus poſſit glorificari, nemo offendi, neque Dei gloria lædi. Id probatur ex illis verbis Apoſtoli: *Omnia in Dei gloriam facite*; ſic enim exponuntur à Divo Ambroſio, Anſelmo, & à Caietano, ut notat A'Lapide ſuper eundem locum; & confirmatur ex contextu; ſequitur enim, *ſine offenſione eſtote Judæis, & Gentibus, & Eccleſiæ Dei.* Vide *num.* 8.

Datur præceptum ordinandi habitualiter in Deum omnes actus humanos

7 Probatur concluſio quo ad ſecundam partem. Quia (ut colligitur ex Sacra Scripturà) ut actiones humanæ ſint excuſſæ ab omni culpa, ſufficit quòd ſint habitualiter in Deum relatæ: nam abſque alia virtuali, aut actuali relatione in Deum ex habituali gratia honeſté, & laudabiliter egerunt obſtetrices Ægyptiæ, ut legitur in libro *Exod. cap.* 1. Item Rahab meretrix, ut habetur *Joſuè cap.* 2. & 6. ac ſimiliter Nabuchodonoſor, ut conſtat ex *cap.* 29. *Ezechielis*; qui omnes à Deo acceperunt in hac vita præmia, & mercedes operum ſuorum: ergo ipſa opera bona erant abſque virtuali, actuali ve relatione in Deum ex Charitate: obſtetrices enim erant Gentiles, Rahab peccatrix, & meretrix, Nabuchus idolatra: quapropter inquit Sanctus Hieronymus in illum locum Ezechielis: *Ex eo quòd Nabuchodonoſor mercedem accepit boni operis, intelligimus etiam Ethnicos, ſi quid boni operis fecerint, non abſque mercede* Dei *judicio præteriti.* Confirmatur ex dictis *cap.* 13. *ſect.* 1.

Dictum præceptum ſufficienter impletur per relationem tantúmodo habitualé

8 Opponent. Datur præceptum dirigendi omnes actiones humanas in Deum, per habitualem relationem; imò, & ordinandi omnia opera in Deum, per actum expreſſum, quem omnes elicere tenemur in primà luce uſùs rationis, ut cum non ullis docet Thimoſtatum ſcola juxta ea, quæ diximus ſuperiori *num.* 5. Ergo qui ſibi nunquam obſervandam inſtituit hanc intentionem, omnia operatur abſque habituali relatione in Deum; ac per conſequens in cunctis ſuis operibus tranſgreditur præceptum Dei. Antecedens conſtat ex Divo Tho-

Præter habiualem relatonē addunt adverſarii (ex Divo Th.) requiri actum expreſſum, ordinandi omnes actus humanos in Deum. Aſt quomodo hoc ſit intelligendū vide infra ad n. 11.

Thomâ multis in locis; nam *lect.* 3. ſuper illud Apoſtoli. *Omnia in gloriam Dei facite, inquit: Quidam dicunt quòd hoc eſt conſilium, & non præceptum, ſed hoc non eſt verum. Sed dicendum eſt quòd non eſt neceſſarium, quòd omnia in Deum referantur actu, ſed habitu. Qui enim facit contra gloriam Dei, facit contra hoc præceptum.* Deinde ipſe Sanctus Doctor *quæſt.* 7. *de Malo, art.* 1. ſic habet: *Ad nonum dicendum; quòd, cùm illud præceptum Apoſtoli, ſit affirmativum, non obligat ad hoc, ut obſervetur in actu, obſervatur autem ſemper in habitu, quandiu homo habitualiter habet Deum ſicut ultimum finem.* Præterea 1. 2. *q.* 12. *a.* 6. *ad tertium,* ſic ait: *Non oportet ut ſemper aliquis cogitet de ultimo fine, quandocunque aliquid appetit, vel operatur. Sed virtus primæ intentionis, quæ eſt reſpectu ultimi finis, manet in quolibet appetitu cujuſcumque rei, etiamſi de ultimo fine actu non cogitetur; ſicut non oportet quòd qui vadit per viam, in quolibet paſſu cogitet de fine.*

Omnes actiones honeſtæ per ſe ipſas in Deum ſunt ordinatæ.

9 Reſpondetur negando conſequentiam: nam ille, qui nunquam ſtatuit, aut animadvertit actiones ſuas in Deum dirigere, & in ejus gloriam; adhuc tamen, cùm vult aliquod bonum honeſtum, miſericordiæ v. g. aut juſtitiæ, illud propter ſe amans ipſo ſuo affectu, vult finem ultimum ſimpliciter, ſive Deum, ad quem ipſa honeſtas finis intermedii impliciter ordinatur. In hac igitur habitudine operis continetur implicité ſufficiens in Deum relatio. Unde cum Aguirre *tom.* 3. Theol. Divi Anſel. *diſp.* 130. *ſect.* 4. dicimus non eſſe neceſſariam expreſſam in Deum relationem, ſed ſufficere dicimus confuſam, & implicitam, contentam in ipſis honeſtis actionibus. Unde Monteſinos in 1. 2. *q.* 1. *art.* 4. *q.* 1. *p.* 34. *col.* 2. *num.* 13. inquit: *Eſt doctrina communis Theologorum, quam etiam recipiunt Recentiores, quòd actus virtutis cujuſque moralis tendat in proprium objectum, ratione propriæ honeſtatis. Nihilominus implicitè, & naturâ ſuâ, abſque aliquo alio, tendit in Deum; neque opus eſt, ut expreſſé ordinetur in ipſum.*

10 Hæc etiam eſt mens Divi Thomæ teſtimoniis ſuprà relatis: unde in ſecundo ex adductis teſtimonio inquit: *Obſervatur autem ſemper in habitu, quandiu homo habitualiter habet Deum ſicut ultimum finem.* Ut autem quis Deum habeat ſicut ultimum finem, ſatis eſt quòd operetur honeſtè, & ob aliquam virtutem; in ea enim virtute, cùm ſit poſitiva, & terminativa ordinatio

in Deum, includitur implicitè ordinatio,& relatio in Deum ex parte operantis. Unde Caietanus in 2.2. *q.* 132. *art.* 1.inquit: *Hoc ipſo, quòd gloria* (humana) *ordinatur immediatè ad virtutem, & ad habentem illam ut ſic, ſequitur quòd ordinetur mediatè ad Deum, qui eſt ordinarius finis virtutis, & habentis ipſam ut ſic. Ac per hoc talis appetitus gloriæ, eſt utilis ad hoc, quòd Deus ab hominidus glorificetur, licèt non immediatè.* Id ipſum non obſcurè habetur apud Divum Thomam *in* 2.*diſt.* 41. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 2. ait enim: *Fides dirigit intentionem in finem ultimum, ſed ratio naturalis, vel prudentia poteſt dirigere in aliquem finem proximum, & quia ille finis proximus eſt ordinabilis in finem ultimum, etiamſi actu non referatur, ideo in infidelibus, quorum actus per vim rationis in talem finem diriguntur, poſſunt dici actus eſſe boni, ſed deficienter à perfectà bonitate, ſecundùm quod eſt actus meritorius.*

Qualiter ſe habeat præceptũ illud ordinandi expreſſe omnes actiones in Deum.

11 Jam igitur habemus qualiter admiſſo præcepto de habituali relatione omnium actionum noſtrarum in Deum, tale præceptum cenſeatur impleri per actiones honeſtas, & moraliter bonas. Sed pro ſolutione eorum, quæ in antecedente argumenti præjacti *num.* 8. continentur, aut aliunde objici poterunt; eſt præſciendum quòd, licèt detur præceptum dirigendi omnia opera in Deum finem ultimum, ut inquit Divus Thomas, & alii, juxta præmiſſa *num.* 5. hujus tamen directionis, & relationis defectus non ſufficit ad depravandas reliquas actiones, præfatam relationem expreſſé non ſupponentes. Et hoc ex duplici ratione. *Prima*; quia in eàdem bonitate naturali, & intrinſecà actùs includitur implicita relatio, dirigens actum ipſum in finem ultimum, ut patet ex ſupradictis. *Secunda*; quia, cùm actus naturaliter bonus ex ſuà intrinſecà, & naturali bonitate ſit reſpiciens finem ultimum, eo ipſo quòd aliquis talem actum in re ponat, ipſum in eundem finem dirigit; & tunc ſolum eum actum in Deum non dirigeret, ſi expreſſé poneret actum ſtatuentem in contrarium dirigere opus exercitum: hoc eſt ſi intenderet eam operationem non eſſe in gloriam, & obſequium Dei.

Non eſt neceſſaria actualis, aut virtualis relatio per gratiã, operum humanorũ in Deum.

12 *Dico ſecundò* pro complemento præſentis controverſiæ. Ad honeſtatem actùs humani, non eſt neceſſe, quòd præter honeſtatem, ſeu bonitatem moralem ipſius actùs detur aliqua ulterior relatio (per habitualem gratiam) in Deum finem

finem ultimum, quæ ſit actualis directio, aut virtualis, relicta ex actu præcedente cum eo connexo. Eſt communis Doctorum cum Divo Thomà *lect.* 3. *in* 1. *ad Corint. cap.* 10. his verbis: *Dicendum eſt, quòd non eſt neceſſarium, quòd omnia in Deum referantur actu, ſed habitu.* Idem *lect.* 7. ſic habet: *Relatio hæc in gloriam Dei intelligitur vel in actu, vel in aptitudine referendi.* Quia igitur Sanctus Doctor ſolam dicit neceſſariam habitualem relationem; bene ſequitur actualem, aut virtualem per ejus doctrinam, minimè requiri. Confirmatur ex Subtili Doctore *in* 2. *d.* 14. *q.* 1. *num.* 4. aientis: *Non tenetur homo, nec tentione neceſſitatis, contra quam ſit peccatum veniale, referre ſemper actum ſuum in Deum, actualiter, vel virtualiter, quia Deus non obligavit nos ad hoc.*

13 Probatur primò. Quia hæc actualis, aut virtualis relatio operum in Deum, non fit niſi per imperium, ac directionem gratiæ ſactificantis, cui tribuitur hæc ordinaria poteſtas, & referendi facultas; non autem requiritur ad bonitatem actùs humani intra naturæ ordinem, quòd à gratia dirigatur, aut derivetur: igitur non eſt requiſita ad eundem ſcopum actualis, aut virtualis relatio, & directio humanarum actionum in Deum. Maior eſt ipſa adverſariorum mens, & ſenſus in articulis, quos impugnamus, præcipuè propoſitione 44. ibi: *Non ſunt niſi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes noſtræ naſcuntur. Amor Dei, qui omnia agit propter Deum*; hoc eſt, qui cunctas actiones refert, & dirigit in Deum; *& amor, quo nos ipſos, & Mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eſt non refert.* Hoc ſenſu dicitur etiam propoſitione 46. *Cupiditas, aut Charitas uſum ſenſuum bonum, vel malum faciunt*; quia ſcilicet cupiditas, quod ad Deum referendum eſt non refert, ſola autem charitas omnia in Deum dicitur dirigere. Idem etiam eſt ſenſus aliquarum propoſitionum Michaelis de Baii, ut exponunt Doctores cum gonet. *tom.* 4. *diſp.* 1, *art.* 3. unde propoſitione 34. ſtatuit nominatus de Baii: *Omne, quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt.* Et propoſitione 39. *In omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati.* Has autem propoſitiones cum his, quas impugnamus recurrere, præſenti capite ſæpe diximus. Minor fundamenti præjacti conſtat in præcedenti *ſect.* 2. concluſio igitur rectè colligit.

14 Pro-

Meritum duplex eſt, aliud naturale, aliud ſupernaturale. Idem dicendũ de præmio.

14 Probatur ſecundò. Quia Theologi duplicem bonitatem, & duplex meritum diſtinguunt; naturale unum, ſupernaturale alterum. Sic colligitur ex Conciliis, & Patribus citatis per totam ſectionem 2. unde Divus Anſelmus *in cap. 4. Epiſt. ad Romanos* inquit: *Habet gloriam apud ſemet ipſum, vel etiam apud homines; ſed non apud Deum.* In primà parte hujus teſtimonii habetur meritum naturale; in poſteriori fit mentio meriti ſupernaturalis. Præterea, ſicut dantur præmia naturalia, (de quibus paſſim in veteri Teſtamento eſt expreſſio) & præmia ſupernaturalia gratiæ, & gloriæ; ita eis debent reſpondere merita naturalia, & ſupernaturalia. Differt autem meritum naturale à ſupernaturali, juxta communem Patrum, ac Theologorum doctrinam, in eo, quòd ad ſolum meritum ſupernaturale requiratur ſtatus gratiæ habitualis: ergo ad meritum, ſeu bonitatem naturalem, gratiæ ſanctificantis habitus, nullatenus eſt requiſitus; ac inde neque illius influxus per actualem, aut virtualem relationem ipſius boni operis naturalis in Deum.

15 Id confirmant multi ex SS. Patribus, actualem, aut virtualem influxum, & ordinationem gratiæ ſanctificantis minimè neceſſariam ducentes ad naturalem bonitatem tantummmodo. Unde Divus Auguſtinus *lib. de Patient. cap. 26.* ſic inquit: *Siquis non habens Charitatem, & in aliquo ſchiſmate conſtitutus, nè Chriſtum neget, patitur perſecutiones, tribulationes, anguſtias, famem, &c. nullo modo culpanda iſta ſunt; imò verò & hæc laudanda patientia.* Divus Fulgentius *lib. de Incarnat. Can. 26.* ſic habet: *Aliqua quidem bona, quæ ad ſocietatis humanæ, pertinent æquitatem, ineſſe poſſunt* (peccatoribus) *ſed quia Charitate Dei non fiunt, prodeſſe non poſſunt ad Beatitudinem.* Divus Anſelmus *lib. de Concord. q. 3. cap. 21.* malas tantùm judicat actiones naturales, quæ ſunt contra Deum, & in ejus offenſionem tendentes, ibi: *Illa voluntas, quæ eſt ad volendum commodum, non ſemper eſt mala, ſed quando conſentit carni concupiſcenti adverſus ſpiritum.* Hanc veritatem probant amplius ea, quæ diximus *ſect. 2.* præcedenti, & alia contenta ſuperioribus *num. 9. & 10.*

SECTIO IV,

Refelluntur argutiæ (potiùs argutationes) adverſariorum.

1 ARg. 1. Datur præceptum referendi habitualiter in Deum finem ultimum, omnes noſtras actiones deliberatas; ſed qui non eſt per habitualem gratiam in Deum relatus, nullam actionem ita ordinat in Deum: ergo quidquid agitur abſque gratia habituali peccatum eſt. Stant igitur propoſitiones illæ 48. *Quid aliud eſſe poſſumus, niſi tenebræ, niſi aberratio, & niſi peccatum ſine Fidei lumine, ſine Chriſto, & ſine Charitate?* 49. *Ut nullum peccatum eſt ſine amore noſtri; ita nullum opus bonum ſine amore Dei.* Stant etiam aliæ, quas præſenti capite impugnamus. Imò & quinque illas *cap.* 13. impugnatas pullulare neceſſe eſt. Maior conſtat ex *ſect.* 3. *num.* 5. 6. 7. & aliis ejuſdem ſectionis: & additur tale præceptum obligare ſub veniali, ut inquit Aguirre *tom.* 3. *Theolog. Sancti Anſelmi, diſp.* 130. *ſect.* 14. *num.* 143. his verbis: *Ex veriori, & tutiori ſententia hactenus tradita, tenemur ſub præcepto, ad culpam venialem obligante, omnes, & ſingulas actiones deliberatas referre in Deum finem ultimum, vel explicitè, vel implicitè ſaltem.* Probatur minor. Quia, qui gratiâ habituali non eſt præditus, non eſt relatus in Deum finem ultimum, ſed potiùs ab eo averſus: ergo nihil ab impio in Deum refertur, & ordinatur.

2 Reſpondetur ex eodem Aguirre citato, negando minorem, & conſequentiam probationis ejuſdem? ratio eſt: „Quia, „licèt homo extra Charitatem Theologicam ſit, utpote in „peccato lethali exiſtés, ac proinde relatus habitualiter in crea- „turam, veluti in finem ultimum; adhuc tamen poteſt agere „honeſtè, & nonnunquam agit ex fine proximo honeſtatis „moralis, ſive explicitè referendo actionem ſuam in obſe- „quium Dei, ſive implicitè ſolùm, ea relatione, quæ imbi- „bitur in ipſa honeſtate actionis. Quare tunc ſpectat Deum, „ut finem ultimum in actu explicito, aut implicito ſaltem.:::: „Neque obſtat, quòd actiones hujuſmodi ſint in ſtatu pec- „cati elicitæ: inde enim ſolùm evincitur homines per illas „non aſſequi converſionem, ſeu relationem ſimpliciter in „Deum

Actiones impiorum ex propria, & intrinſeca honeſtate referuntur in Deum, etiamſi deficiat habitualis gratia eaſdem actiones in Deũ ordinans.

„ Deum finem ultimum, quæ tantùm à gratia habituali, & „charitate Theologica præſtatur in genere cauſæ formalis,& „ à contritione: ſeu dilectione perfecta in genere diſpoſitionis. „ Cum hoc tamen cohæret, quòd tales actiones in Deum finem ultimum referuntur implicitè, aut explicitè, quanvis „ imperfectè; vel tanquam in finem ſupernaturalem, ſi actiones ſupernaturales ſint, ut Fidei, ac Spei, in peccatore fideli; vel naturalem, ſi ſint actiones comprehenſæ intra ordinem naturalem.

3 Inſtabunt. Præceptum dirigendi ſe, & omnes actiones in Deum, non ad impletur, n. ſi hæc relatio fiat per charitatem ſupernaturalem dirigentem: ergo ſola relatio, quæ imbibitur in ipſa honeſtate actionis, non poteſt ſufficienter dirigere ipſam actionem in Deum finem ultimum. Antecedens ſic probatur. Præceptum dirigendi omnia in Deum non diſtinguitur à præcepto diligendi Deum propter ſe ſuper omnia; ſed hoc præceptum non impletur niſi per charitatem infuſam, & ſupernaturalem: ergo neque præceptum referendi, & ordinandi omnia in Deum. Major hujus probationis conſtat ex dictis ſectione præcedenti *num.* 5. Minor, ſi intelligatur de dilectione ſupernaturali, eſt indubitabilis; nam actus dilectionis ſupernaturalis oriri debet ab habitu charitatis ſupernaturalis. Ex quibus ſic ſubſumitur; atqui omnes tenemur Deum diligere ſupernaturali actu dilectionis, ut finem ultimum ſupernaturalem: ergo tenemur dirigere nos, & actiones noſtras in Deum per charitatem ſupernaturalem ita dirigentem.

Utrùm ad actũ amoris Dei ſuper omnia, ut finis naturalis, requiratur actualis, aut habitualis gratia.

4 Dixi minorem eſſe indubitabilem, ſi ſumatur de dilectione ſupernaturali, ad quam ex vi primi præcepti Chriſtianæ Legis tenemur? nam, ſi ſolùm foret hoc præceptum intelligendum de amore Dei ſuper omnia, ut naturalis finis, nullam actualem, aut habitualem gratiam requiri docent quamplures cum Henrico, Alenſi, Scoto, Durando, Argentina, Almayno, Gabriele, Mayronio, Ochamo, Marſilio, Richardo, Caietano, Lorca, & alijs; licèt oppoſitum teneant Bellarminus *tom.* 3. *Controv. lib.* 6. *de Grat. & lib. Arbitr. cap.* 7. Suarius *de Grat. lib.* 1. *de Neceſſit. Grat. cap.* 33. ubi oſtendit hanc ſententiam eſſe de mente Divi Thomæ: accedunt Vaſ-

Vaſques, Turrianus, Godoy, Gonet, PP. Carmelitæ Salmanticenſes, Amicus, & alij.

5 Pro ſolutione dicendum eſt ad antecedens præceptum dirigendi ſe, & omnes actiones in Deum hæc duo dicere, ſcilicet, directionem ſui, & directionem omnium actionum. Quo ad primum, hoc eſt, quo ad directionem ſui, requiritur quòd hæc ordinatio ſit ex Charitate ſupernaturali; quæ tamen non ſemper debet hominem actualiter dirigere. At verò quo ad directionem operum, etiam requiritur quòd ea ordinatio fiat ex Charitate ſupernaturali; non tamen abſolutè, ſed ex ſuppoſitione, quòd aliqua opera ſint meritoria. Unde nõ requiritur ordinatio per Charitatem ſupernaturalẽ, ſi opera non ſint meritoria, ſintque tantùm naturaliter bona. Igitur ex vi primi præcepti naturalis, ac Divini tenetur homo ſe naturaliter, ac ſupernaturaliter dirigere in Deum finem ultimum, naturalem, & ſupernaturalem; tenetur etiam dirigere omnia ſua in Deum, vel finem ultimum naturalem, operando ſecundùm naturæ rectitudinem: vel finem ſupernaturaliter aſſequendum, ſi opera ſint meritoria, & tunc ſolùm requiritur gratia habitualis, ex cujus habitu opera noſtra meritoria fiunt.

Præceptum dirigendi ſe, & omnia ſua in Deum exponitur, & explicatur.

6 Urgebunt. Vis primi præcepti, non ſolùm obligat hominem, ut ſit naturaliter ordinatus in Deum, ſed etiam ut ſit ſemper, & pro ſemper ordinatus in Deum ſupernaturaliter per immanentem habitum Charitatis: ergo etiam debet obligare, ut omnia humana opera ſint ſemper, & pro ſemper ordinata in Deum, non ſolùm naturaliter, ſed etiam ſupernaturaliter, per ſupernaturalem ordinationem habitualis gratiæ, quæ omnes actus humanos habitualiter dirigat in Deum Authorem ſupernaturalem, ac ſuper omnia dilectum. Et confirmatur; nam idem eſt præceptum referendi nos, & referendi noſtra in Deum: ergo æquè ſe habet illud præceptum ad directionem noſtri, & actionum noſtrarum. Reſpondetur negando utramque conſequentiam, ratio eſt: quia homo niſi per habitualem gratiam, & Charitatem ſupernaturaliter ſit ordinatus in Deum finem ultimum ſupernaturalem, erit averſus à Deo habitualiter per peccatum; tenetur autem homo ex præcepto primæ lineæ à Deo non eſſe averſus per peccatum. Aſt ſi actio aliqua non ſit per habitualem Charitatem,

Neceſſe eſt quòd homo ſemper ſit habitualiter in Deum ordinatus per gratiam habitualem; non tamen eſt neceſſe quòd actiones humanæ ſemper in Deum ſint ordinatæ per gratiã habitualem, ut ipſe actiones ſint honeſtæ.

aut gratiam in Deum ſupernaturaliter directa, nec ideo erit neceſſariò moraliter,& naturaliter mala; ſed erit aut indiffereus, aut moraliter, & naturaliter bona, ſi regulis morum non ſit diſſona, ut ex dicendis patebit.

7 Arg. 2. Hæc doctrina de neceſſitate actualis; aut ſaltem virtualis directionis per Charitatem,operum humanorum in Deum, in Sacra Scriptura, & Patribus eſt apertiſſima: ergo immerito impugnatur. Antecedens patet ex illis verbis Apoſtoli 1. *ad Corint.* 10. *v.* 31. *Omnia in gloriam Dei facite.* Et *cap.* 16. *v.* 14. *Omnia veſtra in Charitate fiant.* Utrumque autem teſtimonium ſic explicat Divus Thomas *q. unica de Charitate art.* 11. *ad* 2. *Omnia actu referre in Deum non eſt poſſibile in hac vita, ſicut non eſt poſſibile, quòd ſemper cogitetur de Deo; hoc enim pertinet ad perfectionem patriæ. Sed quòd omnia virtute referantur in Deum, hoc pertinet ad perfectionem Charitatis, ad quam omnes tenemur.* Et poſtea *in ſolutione ad tertium* ſic inquit: *Aliud eſt habitualiter referre in Deum, & aliud virtualiter. Habitualiter enim refertur in Deum, etiam qui nihil agit, nec aliquid virtualiter intendit*, ut *dormiens; ſed virtualiter referre aliquid in* Deum *eſt agentis propter finem, ordinantis in Deum. Unde habitualiter referre in Deum non cadit ſub præcepto, ſed virtualiter referre omnia in* Deum *cadit ſub præcepto Charitatis.*

8 Strictiùs autem procedens Sanctus Doctor aliis in locis, etiam ad actualem relationem extendit hoc præceptum; nam 1; 2. *q.* 102. *art.* 6. *ad* 7. inquit: *Cæleſtis intentio omnibus operibus noſtris debet adjungi.* Et 2. 2. *q.* 83. *art.* 14. hæc habet: *Cauſa Orationis eſt deſiderium charitatis, ex quo procedere debet oratio; quod quidem in nobis debet eſſe continuum vel actu, vel virtute; manet enim virtus hujus deſiderij in omnibus, quæ ex charitate facimus: omnia autem debemus in Dei gloriam facere, ut dicitur prima ad Corinth. cap.* 10.

9 Reſpondetur negando antecedens: & in primis conſtat ex dictis *num.* 6. *&* 12. ſectionis præcedentis, qualis nam ſit verus, & proprius ſenſus Sacræ Scripturæ, præjactis illis teſtimoniis in argumento *num.* 7. Ad ea, quæ ex Divo Thoma objiciuntur, reſpondetur ad primum teſtimonium, quod adducitur ex *q. unica de Charit.* totam ibi vim argumenti ſitam eſſe in mala, & indebita intelligentia relati teſtimonij; nam

Sacræ Scripturæ teſtimonij ſit ſatis, & aperitur mens Divi Thomæ.

in

in eo quòd, juxta doctrinam Angelici Præceptoris, omnia noſtra opera dicantur eſſe referenda in Deum *virtute* ſaltem, per ly *virtute* intelligitur idem quod *habitualiter* in ſenſu à nobis explicato ſectione præcedenti *num.* 3. quatenus omnia noſtra opera deliberata ſint talia, ut neque Deum offendant, neque proximum lædant. Quòd autem ſic exponendus veniat Divus Thomas, patet ex eodem Sancto Doctore, eodem loco citato ab Adverſariis; nam cùm dicta *quæſt. unica de Charitate art.* 11. quæſtionem excitaſſet: *Num omnes teneamur ad perfectam charitatem?* Ita in corpore articuli reſolvit. „ Reſpondeo dicendum quòd hujus quæſtionis ſolutio ex præmiſſis accipi poteſt. Oſtenſum eſt enim ſupra, quòd aliqua perfectio eſt, quæ ipſam ſpeciem charitatis conſequitur; utpote quæ conſiſtit in remotione cujuslibet inclinationis in contrarium charitatis; quæ ſcilicet conſiſtit in remotione occupationum ſecularium, quibus affectus humanus retardatur, nè liberé progrediatur in Deum. Eſt autem & quædam alia perfectio charitatis, quæ non eſt homini poſſibilis in hac vita; & quædam, ad quam nulla creatura pertingere poteſt, ut ex ſupradictis apparet. Manifeſtum eſt autem quòd ad illud omnes teneri dicuntur, ſine quo ſalutem conſequi non poſſunt. Sine charitate autem, nullus poteſt ſalutem æternam conſequi: & ea habita ad ſalutem æternam pervenitur. Unde ad primam perfectionem charitatis omnes tenentur, ſicut ad ipſam charitatem: Ad ſecundam verò perfectionem, ſine qua charitas eſſe poteſt, hominés non tenentur; cùm quælibet charitas ſufficiat ad ſalutem: Multò etiam minus tenentur ad tertiam, vel quartam perfectionem, cùm nullus ad impoſſibile teneatur.

10 His itaque ſtatuitis ab Angelico Doctore, cùm vellet reſpondere (ut illi fuit moris) objectionibus, quas ſibi propoſuerat; ad ſecundam objectionem veniens, ſic ait: *Ad ſecundum dicendum quòd omnia actu referre in Deum non eſt poſſibile in hac vita; ſicut non eſt poſſibile, quòd ſemper de Deo cogitetur; hoc enim pertinet ad perfectionem Patriæ; ſed quòd omnia virtute referantur in Deum, hoc pertinet ad perfectionem charitatis, ad quam omnes tenentur.* Comperatis igitur his Divi Thomæ teſtimoniis, ſatis fit manifeſtum, Sanctum Doctorem per illam *perfectionem charitatis,*

tatis, ad quam omnes tenentur, & per quam *omnia virtute referantur in Deum*, ſolùm intelligere illam perfectionem charitatis, *quæ conſiſtit in remotione cujuslibet inclinationis in contrarium charitatis*, ut ſuprà retulimus, ad quam ſolam *perfectionem charitatis omnes tenentur*, juxta præfatam doctrinam Divi Thomæ.

11 Ad id, quod inſuper fuit præjactum ex Divo Thoma in *ſolutione ad tertium*: reſpondetur, quòd ibi nihil adverſùs noſtram reſolutionem: concludit enim Divus Thomas eodem teſtimonio immediatè poſt, quòd præceptum referendi omnia iu Deum conſiſtit in eo, quòd omnia noſtra opera Deum habeat tanquam ultimum finem, his verbis: *Cùm hoc nihil aliud ſit, quàm habere Deum, ultimum finem.* Id autem impletur, quoties noſtra opera deliberata, ſaltem moraliter bona ſunt. Ideo autem inquit Divus Thomas quòd *habitualiter referre in Deum non cadit ſub præcepto*, quia illud ſuprà explicatum præceptum referendi omnia in Deum non poteſt impleri per ſolam habitualem relationem in Deum, niſi etiam accedat aliqua actio, quæ ex honeſtate ſua, naturali ſaltem, in Deum finem ultimum ordinata ſit: præcepta enim non tendunt immediaté in habitus, ſed in actus.

12 Ad ſecundum teſtimonium Divi Thomæ, quod eſt ex 1. 2. *q.* 102. *art.* 6. *ad* 7. reſpondetur verum eſſe, quod Divus Thomas, commendans obſervantiam mandatorum Dei, ad illa verba *Deuteron.* 6. *v.* 8. *Ligabis ea, quaſi ſignum in manu tua, eruntque, & movebuntur inter oculos tuos, &c.* docet, quòd *cæleſtis intentio omnibus operibus noſtris debeat adjungi.* Hoc autem ſufficienter impletur, quoties obſervantur præcepta Dei, aut ex motivo obedientiæ, aut ex motivo moralis honeſtatis; neque enim docet Præceptor Angelicus hanc mandatorum Dei obſervantiam neceſſariò eſſe dirigendam per virtualem, aut actualem relationem charitatis in Deum.

13 Ad ultimum Divi Thomæ teſtimonium, quod eſt ex 2. 2. *q.* 83. *art.* 14. reſpondetur Sanctum Doctorem ibi non loqui, tanquam homines ad aliquam obligationem præcepti inducendo, ſed tantùm eos per modum conſilii exhortando. Hoc patet, non ſolùm ex mente ejuſdem Sancti Doctoris, quæ in teſtimoniis adductis pro noſtra ſententia eſt manifeſta; ſed etiam, quia ſequeretur aliàs Divum Thomam nullam agnoviſſe

noviſſe virtutem in iis, qui habituali gratiá, & Charitate carent: conſtat autem eundem Sanctum Doctorem in nonnullis impiis aliquot virtutum opera à peccato immunia cognoviſſe; quod colligitur ex 2. 2. *q.* 132. *art.* 1. & ex aliis locis, ut conſtat ex dictis *cap.* 3. *ſect.* 5. *num.* 6.

14. Ex dictis per totum hoc caput candidé fatendum eſt has propoſitiones, in præſenti impugnatas, fuiſſe multoties damnatas à Sede Apoſtolica, à Conciliis inter plurium Hæreticorum errores; imò, & á Facultate Pariſienſi, quatenus ut hæreticam rejecit hanc Theſim: *Ante juſtificationem omnia opera hominis ſunt peccata, damnatione digna*; in hac enim propoſitione imbibitur ſenſus propoſitionum, quas ſuprà impugnavimus: nam ante juſtificationem impoſſibile eſt, quòd actiones humanæ per Charitatem ordinentur in Deum finem ultimum, ſupra omnia dilectum. De hac Pariſina cenſura vide Dionyſium Patavium *tom.* 3. *Theologicorum Dogmatum*, ſub finem libri quarti. Cenſura propoſitionũ, quas impugnavimus cap. præſenti.

CAPUT XVI.

QUALIS SIT SENSUS PROPRIUS PROPOSITIONUM LI. & LII. & quid circa illas ſentiendum ſit?

PROPOSITIO LI.

Fides juſtificat, quando operatur; ſed ipſa non operatur, niſi per Charitatem.

Senſus propoſitionis 51. quæ in tribus errat: 1. aſſerendo Fidem eſte formá juſtificantem: 2. ſtatuendo Fidem non operari niſi per Charitatem: 3. concludendo Fidem á Charitate non diſtingui.

1 DUPLICEM partem continet hæc propoſitio. In primà aſſeritur Fidem eſſe formam juſtificantem; quod tamen eſt apertiſſimé hæreticum, & à Calvino edoctum in Antidoto Concilii Tridentini *ſeſſ. 6. ad Canon.* 11. his verbis: *Fides ergo ſola eſt, quæ juſtificat ::: vim juſtificandi, ac facultatem Fidei in ſolidam vendicamus.* Statuitur in ſecunda ejuſdem propoſionis parte, Fidem non operari niſi per Charitatem. Et hujus abſurdi duplex eſt fundamentum. In primis enim ſupponitur, Fidem á Charitate non diſtingui. Falſum tamen eſt, ut conſtat ex dictis præcedenti *cap.* 15. *num.* 4. *ante ſectionem* 1. & ex dicendi ſequenti *cap.* 17. *num.* 9. Supponitur etiam quòd, amiſſá Charitate per quodlibet peccatum, Fides etiam conſequenter ſemper amittatur. Hoc autem ex triplici fundamento eſt contra doctrinam Auguſtini *lib.* 15. *de Trinit. c.* 18. ibi docentis remanere Fidem, ſed infructuoſam, Charitate amiſſá, his verbis: *Ipſam Fidem non facit utilem, niſi Charitas. Sine Charitate quipe Fides poteſt quidem eſſe, ſed non prodeſſe.* Unde in *Enchiridio cap.* 8. inquit: *Sine amore, Fides nihil prodeſt.* Fundamentum *ſecundum* eſt: quia memoratum adverſariorum dogma, eſt omnino hæretieum, & ut tale damnatum in Tridentino *Seſſ.*

6. *de*

6. de Juſtif. cap. 15. in cujus Epigraphe, abſolutè dicitur *quolibet peccato mortali amitti gratiam, ſed non Fidem.* Et *Can.* 28. idem habetur. *Tertium* tandem; quia damnatum eſt ab Alexandro VIII. die 7. Decembr. ann. 1690. uti conſtat ex propoſitione 12. inter illas 31. ab eodem Pontifice proſcriptas.

PROPOSITIO LII.

Omnia alia ſalutis media, continentur in Fide, tanquam in ſuo germine, & ſemine: ſed hæc Fides non eſt, abſque amore, & fiducia.

1 Relata propoſitio ab errore præcedentis, aut parum aut nihil diſtare videtur. Nam in ultima parte hujus propoſitionis repetitur Fidem non eſſe abſque amore; imò abſque fiducia, hoc eſt, abſque Spe, dicitur Fidem non eſſe.

3 Circa primam partem hujus propoſitionis 52. fortaſſe videbitur nullum eſſe errorem. Cùm enim dicitur *omnia ſalutis media contineri in Fide, tanquam in ſuo germine, & ſemine;* exponendum erit juxta doctrinam Concilii Tridentini *Seſſ. 6. de Juſtif. c.* 8. quòd *ea verba in eo ſenſu intelligenda ſunt, quem perpetuus Eccleſiæ Catholicæ conſenſus tenuit, & expreſſit, ut ſcilicet quia Fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis.* Utinam hæc eſſet adverſariorum mens: tunc enim nullatenus foret rejicienda, ſed omninò approbanda, cum Patribus dicti Concilii, imò & cum priſcis illis univerſæ Eccleſiæ Magiſtris; inquit enim Auguſtinus *lib. de Prædeſt. Sanct. cap. 7. Fides prima datur, ex qua cætera impetrantur* Emiſſenus *Hom. 2 de ſymbolo.* Fides eſt *oſtium vitæ, fundamentum ſalutis.* Chryſoſt. *Homil. de Fide, Spe, & Charit.* Fidem nominat *originem juſtitiæ.* In aliquo ſenſu dici poteſt omnia ſalutis media in Fide cōtineri.

4 Aſt ſciendum eſt primam partem hujus propoſitionis involvere ſenſum longè alium, & omnino deteſtandum: in ea enim intenditur nihil aliud nobis conferri à Deo ad ſalutem præter Fidem, in qua continetur, & imbibitur eminenter Spes, & Charitas. Unde pro veritate Catholica dicendnm eſt, quòd præter Fidem dantur nobis à Deo alia ad ſalutis media; videlicet auxilia ſupernaturalia excitantia, & adjuvantia; & præterea Proprius ſēſus propoſitionis 52.

habitus Spei,& habitus Charitatis. Hi autem habitus non abſoluté negātur in hac propoſitione;ſed tãtùm dicitur ab habitu Fidei non eſſe diſtinctos. Ex hoc tamen oritur magnum abſurdum,ſcilicet non poſſe inveniri Fidem ſine gratiâ, ſine Spe, aut Spem ſine gratiâ;quod jam impugnavimus ad primam ex his propoſitionibus,& in expugnanda propoſitione 57.amplius apparebit.

In tribus errat quælibet ex relatis propoſitionibus.

5 Colligitur ex his quamlibet ex his propoſitionibus in tribus errare. Tres enim errores ſequentes continentur in prima. Videlicet. *Primus*; Fides eſt forma juſtificans. *Secundus.* Fides non diſtinguitur á Charitate. *Tertius.* Fides non permanet abſque Charitate. Ex altera propoſitione, iſti deducuntur errores. *Primus*: Præter Fidem, non datur nobis à Deo ullum medium ad ſalutem. *Secundus.* Spes, & Charitas non diſtinguuntur à Fide. Non datur Fides abſque Spe, & Charitate. Præfati errores ſequentibus aſſertis ſunt corrigendi.

I. *Fides non eſt forma juſtificans.*

II. *Fides diſtinguitur ab Spe, & Charitate.*

III. *Fides eſt ſeparabilis ab Spe, & Charitatis, neque deperditur ex qualibet Charitatis & Spei amiſſione.*

IV. *Præter Fidem, dantur nobis à Deo alia ſalutis media.*

Probatum primum aſſertum.

Probatur ex Scriptura; & Tridentino formam juſtificantem, non eſſe Fidem, ſed gratiam habitualé.

6 Fidem non eſſe per ſe formaliter juſtificantem, cùm ſola gratia habitualis ſit formaliter, & per ſe juſtificativa, eſt Theologorum commune. Conſtat ex Scripturà Sacra; nam ad *Rom.* 3. 24. dicitur *Juſtificati gratis per gratiam ipſius.* Et ad *Epheſ.* 2. 8. *Gratiâ enim ſalvati eſtis.* Quibus locis attribuit Scriptura effectum formalem juſtificationis non alteri cauſæ formali, niſi tantummodo gratiæ. Idem patet ex Concilio Tridentino, nam ut oppoſitam doctrinam damnaret, quam prædocuerat Calvinus; *Seſſ. de Juſtif. cap.* 7. Sic ſtatuit. Juſtificatio *non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum.* Deinde *Can.* 9. ſic dicitur: *Si quis dexerit ſolà Fide impium juſtificari ita, ut intelligat nihil aliud requiri,quod ad juſtificationis gratiam conſequendam cooperetur:::anathema ſit.*

ſit. Præterea *cap.* 8. ejuſdem Seſſionis docetur. Fidem, & alia opera, ante juſtificationem, non promereri gratiam juſtificantem; his verbis: *Nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive Fides, ſive opera; ipſam juſtificationis gratiam promeretur.* Ex quibus verbis duo ſunt colligenda. *Primum:* Ergo Fides, cùm juſtificationem præcedat, non eſt ipſa juſtificatio. *Secundum:* Ergo gratia habitualis eſt ipſamet juſtificatio, ut patet ex verbis poſtremis.

7 Probatur rationibus, & *Prima* eſt; quia Fides eſt diſpoſitio ad juſtificationem: ergo non eſt ipſa juſtificatio. Antecedens probatur primò ex illo Apoſtoli ad *Hebr.* 11. 6. *Sine Fide impoſſibile eſt placere Deo;* debet enim præcedere Fides, ut accedat gratia, per quam impius á peccatis reſurgens accedat ad amorem Dei, ſive ad gratiam juſtificantem. Unde ab Apoſtolo ibidem, dicitur: *Accedentem ad Deum oportet credere.* Idem antecedens probatur ſecundò ex Tridentino *ſeſſ.* 6. *de Juſtification. cap.* 6. ibi *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati Divinà gratià, & adjuti, Fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt.* Unum autem ex præcipuè credendis, juxta doctrinam ejuſdem Concilij loco citato, illud eſt; quòd non Fides, ſed gratia habitualis ſit vera cauſa formalis juſtificationis noſtræ; adjungit enim Tridentina Synodus: *Atque illud in primis credentes, Deo juſtificari impium per gratiam ejus.* Unde Auguſtinus *ſerm.* 22. *de verbis Apoſt.* inquit *Domus Dei credendo fundatur, ſperando erigitur, diligendo perficitur.* Cyrillus Hieroſolymitanus *Catecheſi. I.* eodem ſenſu inquit *fidem eſſe quaſi oculum, & lampadem ad viam ſalutis inveniendam.*

Probatur rationibus.

8 *Secunda* ratio in probationem noſtræ Theſis eſt; quia juſtificatio in duobus conſiſtit; videlicet, in remiſſione, ſive expulſione peccati, & in infuſione, ſive acquiſitione juſtitiæ, ut colligitur ex *Epiſt. ad Coloſſ. c.* 1. 13. *Eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in Regnum Filii ſui.* Aſt Fides non eſt remiſſiva, & expulſiva peccati; neque etiam (ut ita dicam) acquiſitiva, & infuſiva juſtitiæ. Patet exemplo in Cornelio Centurione, qui, cùm apparuit ei Angelus, juxta Textum *Actor. cap.* 10. jam credebat, jam que habebat Fidem Dei; non tamen erat juſtificatus, hoc eſt, translatus à ſtatu peccati in ſtatum

Juſtificatio in duobus conſiſtit, & quænam ea ſint.

Fides neque eſt formaliter expulſiva peccati, neque infuſiva juſtitiæ.

tum gratiæ, ut docet Divus Auguſtinus *Epiſt.* 57. *q.* 2. Item 2. *ad Simplic.* ubi ait Cornelium tunc jam Fidem habuiſſe, *ſed non tantam, quæ ſufficeret ad Regnum Cælorum*; non enim erat viva per gratiam, ſed mortua per peccata. Idem docere videtur *lib. de Prædeſt. Sanctorum, cap.* 7. juxta interpretationem Suarii *tom.* 1. *de Grat. lib.* 1. *cap.* 4. *num.*8.

9 *Tertia* ratio, quâ noſtra Theſis probatur, & ratio præcedens pariter confirmatur, eſt: quia aliàs ſequeretur omnes Fideles eo ipſo eſſe juſtificatos, omnes que peccatores ipſo facto eſſe infideles, & hæreticos, quod tamen eſſe falſum oſtendimus *cap.* 3. *ſect.* 2. 3. & 4.

10 *Quarta* tandem ratio, ut ab aliis abſtineam, eſt: quia oppoſita doctrina, eſt ipſiſſima Calvini ſecta, multoties ab Eccleſia damnata; nam ſæpe docuit Hæreſiarcha ille, Fidem eſſe formam; quâ homo dicitur formaliter juſtus. Ita conſtat ex ſupra dictis *num.* 1. item que ex *lib.* 3. *Inſtitut. cap.* 11. §. 19. ubi inquit Calvinus: *Dicimus hominem ſolâ Fide juſtificari.*

11 Reſpondebunt forſitan adverſarii ipſorum doctrinam, eſſe longè aliam, à Calviniſtarum errore, & eſt diverſitas aſſignanda; quia Calviniſtæ inquiunt, *ſolam Fidem juſtificare*, ipſi autem præſentium propoſitionum authores docent Fidem juſtificare, non tamen ſolam; quando enim Fides juſtificat; ſemper (ut inquiunt) cum amore eſt, & cum fiducia. Sed contra, nam etiam Calvinus Fidem juſtificantem, non docet eſſe ſolam, ſed cum Spe, cum amore, cum timore, & aliis donis. Unde in Antidoto Concilii Trident. *ſeſſ.* 6. *Can.* 11. inquit: *Fides ergo ſola eſt quæ juſtificat; Fides tamen quæ juſtificat, non eſt ſola.* Igitur, ſi in utràque ſecta, ſola Fides, quanvis aliis donis non deſtituta, habet virtutem, & vim juſtificandi; in nihilo differt præſentium propoſitionum doctrina, à Calviniſtarum erroribus. Præterea Calvini error in eo ſtat, quòd Fidei attribuat formalem effectum juſtificandi, ſicut formalis dealbatio adſcribitur albedini, ut videri eſt apud P. Beccanum, *Tract.* 4. *cap.* 2. *de Juſtif. Calviniſt. q.* 6. atqui præſentium propoſitionum doctrina etiam Fidei appropriat juſtificandi vim: ergo utrobique idem eſt error.

Error iſte Calviniſtarum eſt.

12 Confirmatur. Quia inter errores doctrinæ Calviniſticæ

ticæ hæc connexio, reperitur; quòd ſcilicet, cum negetur gratia habitualis, Animæ intrinſecè inhærens, conſequenter tenent gratiam habitualem, non eſſe formam juſtificantem. Recurrunt igitur ad Fidem juſtificantem propter aliqua ſacræ Scripturæ teſtimonia, queis abutuntur in hujus erronei ſenſus probationem. Neque eſt dubitandum, in idem tendere has propoſitiones; cùm enim in aliquibus negetur gratia habitualis intrinſecà inhærens, ut patet ex dictis *cap.* 13. ad inſtituendam aliquam cauſam juſtificantem, Calvino duce, recurritur ad Fidem juſtificativam.

Cohærentia inter his, & Calviniſtarum errores.

13 Si quæratur: Quomodo Fides juſtificet? Reſpondet Calvinus *lib.* 3. *Inſtit. Moral. cap.* 11. §. 7. *&* *cap.* 13. §. 5. *&* *cap.* 14. §. 7. Fidem nobis apprehendere Chriſti juſtitiam perſonalem, quà tunc juſtificamur, per extrinſecam reputationem. Hæc etiam eſt præſentis doctrinæ methodus in his propoſitionibus. Cum enim articulis 36. *&* 37. fuiſſet ſtatutum, gratiam ſanctificantem eſſe nobis extrinſecam, nosque juſtificari per Chriſti gratiam perſonalem, nobis moraliter imputatam; nunc aſſeritur conſequenter hanc imputationem fieri per Fidem apprehendentem nobis gratiam, & juſtitiam Chriſti. Et ecce (ut colligitur) proprius ſenſus, in quo ad mentem Calvini aſſeritur Fidem juſtificare.

Qualiter, juxta Calvinum, Fides juſtificet.

Reſpondetur argumentis.

14 Opponent primò contra Catholicam veritatem, illud Apoſtoli ad *Rom.* 3.28. *Arbitramur hominem juſtificari per Fidem*, Et illud ad *Epheſ.* 2.8. *Salvati eſtis per Fidem*; indeque inferent. Ergo Fides eſt forma juſtificans. Sed contra: nam etiam dici poſſet aurgmento ſimili formam juſtificantem, eſſe Spem, aut timorem, aut contritionem, aut dilectionem. De Spe enim dicitur ad *Rom.* 8. 24. *Spe Salvati ſumus.* De timore, dicitur *Eccleſ.* 1. 27. *Timor Domini expellit peccatum.* De contritione dicitur *Ezech.* 18. 21. *Si impius egerit pœnitentiam, & cuſtodierit omnia præcepta mea, vitâ vivet, & non morietur.* De dilectione tandem dicitur *Luc.* 7. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Igitur eſt reſpondendum negando illationem; in tantum enim dicitur *hominem juſtificari per Fidem*, in quantum Fides eſt neceſſaria diſpoſitio ad juſtificationem; nam *ſine illa impoſſibibe eſt placere Deo*, ut dicitur ad *Hebr.* 11. Sicut igitur hic

Quomodo Fides juſtificare dicitur.

hic eſt ſenſus loci illius ad *Rom.8.24.Spe ſalvi facti ſumus*; ità etiã hæc eſt propria interpretatio loci illius *Ephſ.2.8.Salvati eſtis per Fidem.* Còmendatur autẽ pluries ſalus,& juſtificatio noſtra per Fidẽ quàm per Spem, timorẽ, & alias ad gratiã diſpoſitiones; quià Fides eſt prior, & præcipua inter omnes alias diſpoſitiones, quæ per modum habitûs diſponunt ad juſtificationem. Unde Concilium Tridentinum *Seſſ.6. de Juſtif. cap.* 8. explicans quomodo intelligatur impium per Fidem juſtificari, ſic inquit: *Cùm verò Apoſtolus dicit juſtificari hominem per Fidem gratis, ea verba in eo ſenſu intelligenda ſunt, quem perpetuus Eccleſiæ Catholicæ conſenſus tenuit, & expreſſit: Ut ſcilicet per Fidem ideo juſtificari dicamur, quia Fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis; ſine quà impoſſibile eſt placere Deo, & ad filiorum ejus conſortium pervenire.*

Sit né Fides ratio formalis noſtræ juſtificationis?

15 Opponent ſecundò. Illa eſt cauſa formalis juſtificationis impii, per cujus poſitionẽ eo ipſo reſultat formalis effectus, & formalis denominatio juſtificati, propter intrinſecè in hærẽtem juſtiam; atqui expoſitione Fidei ſtatim reſultat denominatio juſtificati: ergo. Trinor conſtare videtur ex Scriptura; dicitur enim *Actor.* 13. 39. *In hoc omnis, qui credit juſtificatur.* Et ad *Rom.* 10. 12. *Omnis, qui credit in illo, non confundetur.* Ex quibus teſtimoniis ſic poteſt argumentum effici, ad probationem minoris. Vel poſita Fide in Petro v.g. eo ipſo Petrus intelligitur juſtificatus, vel non? Si non intelligitur juſtificatus: ergo falſæ evadunt illæ univerſales aſſertiones: *Omnis, qui credit, juſtificatur*: *Omnis, qui credit in illum, non confundetur.* Hoc autem minimè eſt dicendum. Igitur ſupereſt aſſerendum, quod poſita Fide, Petrus ſtatim intelligatur juſtificatus; ex hoc autem plané deducitur Fidem eſſe formam juſtificativam. Reſpondetur Sacram Scripturam ibi non agere de forma juſtificante, ſed tantùm de ſubjectis juſtificatis, aut juſtificandis, quos inquit eſſe omnes illos, qui habent Fidem; Fides enim, ut ſuprà dìximus, diſpoſitivé juſtificat, ſubjectum ſcilicet diſponendo ad juſtificationem. Unde intendit Sacra Pagina demonſtrare teſtimoniis relatis Deum perſonarum acceptatorem non eſſe, neque hominum conditiones, aut qualitates reſpicere ad juſtificationem impertinendam: ſed omnes homines, tum Judæos, tum Gentiles, juſtificari poſſe, dummodo

Omnis, qui credit, ad gratiam diſponitur

do Fidem velint recipere, & per illam ad gratia diſponi. Qua propter ad *Rom.* 3. 29. dicitur: *An Judæorum Deus tantùm? Immò & gentium. Quia unus eſt Deus, qui juſtificat circunciſionem ex Fide, & præputium per Fidem.* Itemque ad *Galat.* 5. 6. *In Chriſto JESU neque circunciſio aliquid valet, neque præputium, ſed Fides, quæ per charitatem operatur.* Adde, quòd ſi argumentum aliquid probaret, etiam convinceret ſolam Fidem, abſque Baptiſmo ſufficere ad juſtificationem, & ſalutem aſſequendam; cùm tamen dicat Evangelium Marci 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*; quod ſatis oſtendit Fidem non juſtificare, ſed ſubjectum diſponere ad juſtificationem, hoc eſt ad gratiam baptiſmalem recipiendam.

16 Opponent tertiò illud *Lucæ* 8. 50. ibi: *Crede tantùm, ſalva erit.* Ubi, ut inquiunt Calviniſtæ, Chriſtus Dòminus, Fidem tantummodo exigebat ad ſalutem. Hic miror, quantum inſultent adverſarij, ſibi gratulantes, quòd tandem locum invenerint, aperté oſtendentem ſolam Fidem ſufficere ad juſtificationem. Sed re vera locus citatus nihil ad intentum præſtat. *Primò*; quia ibi non agitur de juſtificatione; ſed de puellæ cujuſdam defunctæ ſuſcitatione. *Secundò*; quia Chriſtus non exigebat Fidem à puella ſuſcitandа, ſed ab illius parente, filiam reſuſcitari à Chriſto rogante. Unde præjacti argumenti fallacia aut niminm, aut nihil probât; concludit enim ſufficere Fidem alienam, & externam ad cujuſvis alterius juſtificationem; quod neque ipſi adverſarij concedunt.

Calviniſticæ argutationis fallacia.

17 Ut tandem intelligatur mens Sanctorum Patrũ, quorum ſenſum pravé exponunt adverſarii in iſtiuſmodi ſectæ comprobationem, & confirmationem; ſciendum eſt, quòd ſi iſti aliquando videantur docere ſolam Fidem juſtificare, intelligendi ſunt de Fide prout opponitur operibus naturæ, aut legis veteris: nam ut Fides docet, & Auguſtinus *Præfat. in Epiſt. ad Galat. Non aufert peccatum, niſi gratia Fidei, quæ per dilectionem operatur.* Aſt quia ex hoc Auguſtini teſtimonio decepti adverſarij deducunt, Fidem juſtificare, quia in illa imbibitur Charitas; tanquam à Fide realiter indiſtincta, adverſùs hanc evaſionem ſit ſecundum aſſertum.

Notandum pro intelligẽdis SS. Patrũ doctrinis

Pro-

Probatur ſecundum aſſertum.

18 F*Ides diſtinguitur realiter, ab Spe, & Charitate.* Et in primis quòd Fides diſtinguatur ab Spe, conſtat ex Apoſtolo 1. *ad Corinth.* 13. ubi Fidem, Spem, & Charitatem, veluti tres virtutes realiter diſtinctas, agnoſcit his verbis: *Nunc autem manent Fides, Spes, & Charitas tria hæc.* Idem patet ex Epiſt. ad *Epheſ.* 3. ubi ſic: *In quo habemus fiduciam, & acceſſum in confidentia per Fidem ejus.* Ex hoc teſtimonio colligitur Spem ſatis à Fide diſtingui, Fides enim eſt medium ad fiduciam habendam. Idem conſtat ex *Epiſt.* 1. *ad Timoth.* 3. *Qui bene miniſtraverint, gradum bonum ſibi acquirent, & multam fiduciam in Fide, quæ eſt in Chriſto.* Confirmatur *primò*; quia Fides eſt virtus, quæ pertinet ad intellectum, conſiſtit enim in aſſenſu credendorum, unde Apoſt. *ad Corint. Epiſt.* 2. *cap.* 10. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.* Spes autem eſt virtus, quæ pertinet ad voluntatem, includit enim deſiderium, amorem concupiſcentiæ, & alios ſolius voluntatis actus. Confirmatur *ſecundò*; quia Fides, & Spes in diverſa objecta formalia tendunt, ut ſciunt qui prima ſaltem limina Theologiæ ſalutarunt: ergo realiter inter ſe differunt. Quòd autem Fides realiter diſtinguatur à Charitate probatur: *primò*, quia iſtæ virtutes tendunt in objecta formaliter diverſa. *Secundò*; quia Charitas pertinet ad voluntatem, Fides autem ad intellectum. *Tertiò*, quia ab Apoſtolo 1. *ad Corinth.* 13. enumeratur ut condiſtincta à Fide in illis verbis relatis *Fides, Spes, & Charitas tria hæc.* Confirmatur tota doctrina præcedens. Tam Spes, quàm Charitas ſunt ſeparabiles á Fide: ergo ab illa diſtinguuntur realiter. Conſtabit ex ſequeniibus hoc antecedens.

Fides diſtinguitur realiter ab Spe.

Etiam realiter diſtinguitur à Charitate.

Probatur tertium aſſertum.

19 F*Ides eſt ſeparabilis à Charitate, & Spe, neque deperditur ex qualibet Charitatis, & Spei amiſſione.* Hoc aſſertum duplicem continet partem. In prima aſſerit Fidem inveniri poſſe abſque Spe, & non ſemper amitti, quoties amittitur

titur Spes. Et hanc eſſe doctrinam Concilii Tridentini negari non poteſt; inquit enim *Seſſ. 6. de Juſtif. cap.7. In ipſa juſtificatione cum remiſſione peccatorum, hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per JESUM Chriſtum, Fidem, Spem, & Charitatem*; & addit: *nam Fides niſi ad eam Spes accedat, & Charitas, neque unit perfectè cum Chriſto, neque corporis ejus vivum membrum efficit.* Quibus verbis ſupponit Concilium Fidem aliquando inventam ſine Spe. Confirmatur; quia ex ſola, & præciſa amiſſione Spei, niſi accedat etiam infidelitas, non amittitur Fides: ergo permanet ſine Spe. Conſtat antecedens ex Concilio Tridentino *Seſſ. 6. de Juſtif. cap.*15. his verbis: *Aſſerendum eſt non modò infidelitate, per quam & ipſa Fides amittitur, ſed etiam quocunque alio mortali peccato, quanvis non amittatur Fides, &c.* Igitur, quia deſperatio eſt aliud peccatum ab infidelitate, Fidem non deſtruit. Idem eſt ſenſus *Canonis* 28. *ejuſdem ſeſſionis*, ubi ſic: *Siquis dixerit, amiſſa per peccatum gratiá, ſimul & Fidem ſemper amiti, aut Fidem, quæ remanet, non eſſe veram Fidem, licèt non ſit viva:::: anathema ſit.* Ultimò tandem probatur noſtrum aſſertum, deſtruendo penitus adverſariorum fundamentum. Ex eo Fides non permaneret ſine Spe, quia hæ virtutes à Charitate non diſtinguuntur; unde, quia ablata Spe, non remanet & Charitas, Fides etiam non remanebit. Aſt hoc fundamentum eſt omnino falſum; ergo. Minor conſtat ex paulò ſuprà dictis. Item ex dicendis capite ſequenti à num. 9. Et circa illam videri poteſt Scotus *lib.2. de Nat.& Grat: c.7. Concl.* 2. Bellarm. *de Juſtificat. cap.*4. Roffenſis *contra primum artic. Lutheri.* Caſtro adverſus Hæreticos *v. Fides*, & *Fiducia.* Hoſius *lib.*1. *de Hæreſ.* prope medium, Valentia *quæſt.* 1. *de Fide*, *p.* 1. & aliis in locis.

Fides inveniri poteſt ſine Spe, & ſine Charitate.

20 Secunda pars hujus aſſerti contendit Fidem poſſe abſque Charitate permanere, & has virtutes eſſe ſeparabiles, quatenus inveniri poteſt Fides abſque Charitate. Hoc autem latiſſimé oſtendimus *cap.* 3. *ſect.* 2. & conſtat ex ſuprà dictis.

21 Contra primam partem hujus aſſerti ſic inſurgunt adverſarii. Fides in ſacro Textu, non ſemel uſurpatur pro fiducia, quæ eſt Spes: ergo ex eo eſt, quia Fides neque eſt ſeparabilis, neque diſtincta ab Spe. Probant antecedens: dicitur

 enim

enim ad *Rom.* 4. *Qui contra Spem, in Spem credidit.* Jacob. *Epiſt.* 1. *Poſtulet autem in Fide, nihil hæſitans.* Marci 11. *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis.* In his ergo teſtimoniis, quia *credere* idem eſt ac *ſperare* firmiter, atque fiducialiter; Fidem inquiunt, & fiduciam idem eſſe. Sed reſpondetur facile: quòd, licet apud Latinos fides aliquando ſignificet fiduciam; nunquam apud Theologos fides eſt indiſtincta ab Spe. Neque enim agimus de voce, & nomine, ſed de ré, & ſenſu Theologico. Unde pondus controverſiæ eſt: Utrùm Fides, quæ eſt virtus intellectualis, conſiſtens in aſſenſu certo, & firmo myſteriorum, quæ nobis divinitus ſunt revelata; ſit omnino idem cum Spe, quæ eſt virtus petinens ad voluntatem, infuſa ſupernaturaliter ad gratiam, & Beatitudinem ſperandam, ut conſequendam? Affirmant Hæretici; ſed ex locis aductis minimé probant, aut colligere poſſunt.

Quanvis aliquando Fides, quo ad ſignificationem, uſurpetur pro Spe, ſemper in rè diſtinguuntur.

Probatur quartum aſſertum.

22 P*Ræter Fidem dantur nobis á Deo alia ſalutis media.* Et hoc eſt verum, non ſolùm ex eo, quia præter Fidem, dantur nobis á Deo Spes, & Charitas, condiſtinctæ realiter à Fide, & inter ſe; ſed inſuper, quia ille actus piæ aſſectionis, qui intellectum inclinat, ac determinat ad aſſenſum Fidei præſtandum, eſt medium ad ſalutem; & non elicitur niſi per ſupernaturale auxilium Dei; & præterea non includitur in ipſa Fide infuſá: ergo præter Fidem dantur nobis à Deo alia ſalutis media. Et ſané quòd detur ex parte voluntatis auxilium piæ affectionis, quæ voluntatem movet, ut intellectum imperet, ac determinet ad aſſenſum Fidei præſtandum, probari poteſt: nam, niſi voluntas per auxilium hoc determinet intellectum ad aſſenſum Fidei, talis aſſenſus Fidei; non erit Liber, nec meritorius. Ratio eſt, quia ſi actus Fidei á ſolo intellectu procederet cum omnimoda independentiá, & indeterminatione à voluntate, talis actus eſſet mere neceſſarius, intellectus enim eſt potentia neceſſaria. Quòd hoc auxilium ſit medium ad ſalutem; conſtat ex Tridentino *ſeſſ.* 6. *de Juſt. cap.* 6. ibi enim docetur hanc liberam inclinationem ad Fidem recipiendam, eſſe ad ſalutem diſpoſitionem. Tandem quòd hæc pia

Pia affectio ad credendum, eſt auxilium, & medium ad Fidem, ab ea diſtinctum.

Cur actus Fidei ſit liber, & meritorius?

affectio voluntatis, & auxilium ſupernaturale ad eam non ſit in Fide contenta, patet, quia ipſam præcedit. Hoc totum patet ex Auguſtino *lib.* 1. *ad ſimplic.* dicente. *Niſi ergo vocando præcedat miſericordia Dei, nec credere quiſquam poteſt.* Neque eſt omittendum, quód Deus infideles, & gentiles etiam in ſylvis enutritos, ſupernis auxiliis, & interioribus inſpirationibus indeſſanter invitat ad ſalutem; ut late diximus *cap.* 7. *ſect* 9. unde nemo non videt præfata auxilia, & media ad ſalutem, condiſtingui à Fide, cum illam præcedant, & ſint ſine illa.

33 Colligendum ex dictis has propoſitiones relatas, & impugnatas, eſſe tanquam hæreticas deteſtandas; continent enim doctrines ab Hæreticis potatas, à Tridentino damnatas, & Sacro Textu repugnantes. Iſtarum propoſitionuum cenſura.

CAPUT XVII.

Exponuntur, & expunguntur ſequentes quatuor propoſitiones.

PROPOSITIO LIII.

Sola Charitas Chriſtiano modo facit actiones Chriſtianas per relationem ad Deum, & JESUM Chriſtum.

PROPOSITIO LIV.

Sola Charitas eſt quæ Deo loquitur, eam ſolam Deus audit.

PROPOSITIO LV.

Deus non coronat, niſi Charitatem, qui currit ex alio impulſu, & ex alio motivo, in vanum currit.

PROPOSITIO LVI.

Deus non remunerat, niſi Charitatem, quoniam Charitas ſola Deum honorat.

1 RELATA propoſitio 53. illarum ſubodoratur doctrinam, quas *cap.* 15. impugnavimus: eſt enim manifeſtum, in id tendere memoratam propoſitionem, quòd omnes actiones humanæ, hoc eſt, deliberatæ, debeant procedere ex Charitate, eas in Deum actualiter ordinante, ac referente; aut ſaltem in ipſum Deum, virtualiter dirigente. Utrunque autem eſt erroneum; nam quòd actiones humanæ debeant in Deum actualiter referri per Charitatem, eſt impoſſibile. Quòd autem virtualiter in ipſum Deum, per Charitatem ſint referendæ, nullo modo eſt neceſſarium; ſufficit enim quòd habitualiter ſint relatæ: quod tunc ſervatur quantum ſatis eſt ad rectè ope-

Senſus propoſitionie 53.

operandum, & vitandum omne peccatum, quando actiones illæ nullo ex capite ſunt prohibitæ, neque per ſe tendunt in gratiæ deſtructionem. Unde Divus Thom. in diſputatis *q. unicâ Charitate art.* 11. ſic inquit.

2 „ Aliqua perfectio eſt, quæ ipſam ſpeciem Charitatis „ conſequitur, utpote quæ conſiſtit in remotione cujus libet in- „ clinationis in contrarium Charitatis. Quædam autem per- „ fectio eſt, ſine quâ Charitas eſſe poteſt, quæ pertinet ad bene „ eſſe Charitatis; quæ ſcilicet conſiſtit in remotione occupatio- „ num ſecularium, quibus affectus humanus retardatur, ne li- „ bere progrediatur in Deum. Eſt autem, & quædam alia per- „ fectio Charitatis, quæ non eſt homini poſſibilis in hâc vitâ; & „ quædam, ad quam nulla creatura pertingere poteſt, ut ex „ ſupradictis apparet. Manifeſtum eſt autem, quòd ad illud „ omnes teneri dicuntur, ſine quo ſalutem conſequi non poſ- „ ſunt: ſine Charitate autem nullus poteſt ſalutem æternam „ conſequi, & ea habita, ad ſalutem æternam pervenitur. Unde „ ad primam perfectioné Charitatis omnes tenentur, ſicut ad „ ipſam Charitaté. Ad ſecundam verò perfectionem, ſine qua „ Charitas eſſe poteſt, homines nõ tenẽtur, cùm quælibet Cha- „ ritas ſufficiat ad ſalutem. Multò etiã minus tenẽtur ad tertiã, „ vel quartã perfectionem, cùm nullus ad impoſſibile teneatur.

Videantur quæ diximus *cap.* 15. *ſect.* 2. & 3. ubi impugnatus jam fuit præſens error, utpote imbibitus in propoſitionibus, quas ibidem refellimus.

3 Accedamus ad explicandas, & confutandas propoſitiones illas 54. 55. & 56. ſupra memoratas. Ad quod præmitto; ad rationem meriti, gratiam habitualem requiri, & hoc nullus eſt, qui neget, præter Pelagianos ſomniantes naturæ viribus elici poſſe actus cõdigne meritorios vitæ æternæ; quibus adhæſerunt ſemipelagiani, admittentes meritũ de congruo æternæ vitæ, vel aliquam inchoationem ſalutis per propriam facultaté. Aſt circa neceſſitatem, & cõcurſum Divinæ gratiæ ad meritum ſupernaturale, præſertim vitæ æternæ, variæ ſunt Theologorum ſententiæ.

Variant Theologi circa concurſũ habitualis gratiæ, & liarum virtutũ ad meritum ſupernaturale.

4 Prima, & communior tenet ſufficere habitualem gratiam, ut omne opus bonum, factum ab homine in eò ſtatau habitualis gratiæ, ſit condigne meritorium vitæ æternæ; neque

requiri docet aliquam relatationem Charitatis in Deum, aut ullum influxum actualem, aut virtualem alicujus virtutis ſupernaturalis. Ita Caprel. *in* 2.*diſt*.40.*q*.1.*art*.1.*concl*.2. Caietan. 1.2.*q*.21.*art*.3. Sot. *de Nat. & Grat.cap*.4. Medi Vaſq. Mærat. Amicus *tom.diſp*.35.*num*.100.

Prima opinio.

5 Secunda docet: ut opera moraliter bona, ſint condigna præmio vitæ, præter ſtatum habitualis gratiæ, requiri in ſuper influxum Charitatis, vel alterius virtutis ſupernaturalis. Ita Serra 1.2.*q*.114.*art*.4. Philippus à SS. Trinit. Victoria, & alij ex antiquis Thomiſtis, quos ſequitur Suar. *de Gratia, lib*. 12. *c*.8.9. *&* 10.

Secūda opinio.

6 Tertia propugnat, ad meritum condignum vitæ æternæ in homine juſto, præter actum illius virtutis, à quà procedit actio meritoria, requiri etiam imperium, aut ordinationem factam per habitum Charitatis, qui ipſam actionem meritoriam ordinat in obſequium Dei. Hæc ſententia, præſertim quo ad actus virtutum adquiſitarum, defenditur à Divo Bonavent. *in* 2.*diſp*.41.*art*.1.*q*.3. Eam tenent Scot. ibidem *q.unica*. Gabriel, *q.unica dub*.2. Durandus *diſp*.40.*q*.2. Paludamus *in* 3.*Diſt*.18.*parte* 1. Noſter Lorca 1.2.*q*.114.*diſp*.48.

Tertia opinio.

7 Notandum tamen eſt quòd, licet juxta Doctores ſecundæ, & tertiæ ſententiæ Patronos, requiratur influxus, ſeu ordinatio Charitatis habitualis, ut actio ſit æternæ vitæ meritoria; non tamen docent præfati Authores reliquas actiones elicitas in materiâ alterius virtutis, aut infuſæ, aut infuſæ, aut adquiſitæ, eſſe peccaminoſas ex defectu prædicti influxûs, & ordinationis; hoc enim eſſet erroneum, ut patet ex dictis *cap*. 16.

Nota pro captu opinionum relatarum.

8 Quarta, in perſenti difficultate, ſententia, judicat ſolam Charitatem eſſe virtutem meritoriam. In quà aſſertione duo includuntur. *Primum* nullam eſſe virtutem à Charitate diſtinctam. *Secundum*. Non dari meritum diſtinctum, à merito Charitatis. Ita non nulli Nov-Auguſtiniani poſt Baium, & Janſenium. Idem in re docetur hiſce propoſitionibus 54. 55. & 56. dum enim dicitur propoſitione 54. *Sola Charitas eſt, quæ Deo loquitur, eam ſolam Deus audit*; ſenſus eſt, quòd ſola Charitas ſit virtus; & quòd ipſa tantùm meritoria ſit. In idem collineat propoſitio 55. videlicet: *Deus non coronat, niſi Charitatem, qui currit ex alio impulſu, & ex alio motivo, in vanum currit.* Tendit in eun-

Quarta (ſed erronea) ſententia.

Aperitur ſenſus propoſitionum 54.55. & 56.

eundem ſenſum, propoſitio 56. cujus hic tenor: *Deus non remunerat, niſi Charitatem, quoniam Charitas ſola Deum honorat.* Relictis igitur tribus illis ſententiis, quas tenent Authores Catholici, adverſus quartam ſententiam, in his damnatis propoſitionibus incluſam.

9 *Dico primò*: Præter Charitatem dantur aliæ virtutes. Et in primis, quòd Charitas ſit virtus diſtincta realiter à virtute Fidei, & Spei Theologicæ patet ex dictis *cap.* 16. præcedenti *num.* 18. 19. *&* 20. & ſequenti *cap.* 18. De inde quòd dentur aliæ virtudes dictæ morales, à Charitate diſtinctæ, patet ex doctrinà Sanctorum Patrum: nam Divus Proſper de Vita contempla tivâ *lib.* 3. *cap.* 18. præter Charitatem quatuor Cardinales virtutes enumerat, & allaudat, ſcilicet Prudentiam, Fortitudidem, Juſtitiam, Temperahtiam. Unde inquit: *Principales quatuor eſſe virtutes non ſolùm Philoſophi ſentiunt, ſed etiam noſtri conſentiunt. Sed quare quatuor, vel quæ ſint opera ſingularum? Hoc, Domino illuminante, debemus breviter demonſtrare.* De iiſdem virtutibus mentionem facit Divus Hieronymus Epiſt. ad Pammachium. Noſtra doctrina facile ratione probatur *primò*: quia habitus, & actus virtutum multiplicatis objectis formalibus multiplicantur; conſtat autem, objecta Prudentiæ, Fortitudinis, Juſtitiæ, Temperantiæ, Miſericordiæ, Religionis, & aliarum virtutum, eſſe diverſa objecta inter ſe; & multò magis eſſe objecta diverſa à Charitatis objecto. *Secundò*: quia ſi actus præfatarum virtutum, non reſpicerent virtutes, & objecta Specie inter diverſa, ſed provenirent à ſolà Charitatis virtute, & in formale objectum virtutis Charitatis collimarent, ſequeretur omnia peccata convenire inter ſe in una ſpecie infima, & non eſſe detegenda in confeſſione peccata commiſſa, diſtributa per ſingulas ſpecies. Et confirmatur; nam propterea ſufficit in confeſſione dicere erravi in Fide non credendo in unam Trinitatis perſonam: ſive enim error eſſet excluſivus ſecundæ, ſive tertiæ Perſonæ Trinitatis, ſemper eſſet oppoſitus eidem virtuti Fidei. Et idem de illo, qui deſperaret tam de miſericordia Dei pro accipienda peccatorum venia, quàm pro recipienda à Deo gratia ad Beatitudinem conſequendam. Unde, ſicut in utroque caſu materia peccati in individuo non eſſet aperienda, quia duplex illud peccatum conveniret in eadem

ſpe-

Impugnatur primus error præſentiũ propoſitionum.

Præter Charitatem extant aliæ virtutes Theologicæ, & morales.

ſpecie propter tendentiam adverſùs eandem virtutem Fidei, aut Spei, ita quia admiſſa una tantùm Charitatis virtute, omnia peccata procederent adverſùs eam, ſufficeret in confeſſione dicere: Ter, vel quater in peccata ſum lapſus. Hoc autem quis ſui compos ſuſtinebit?

10 Ut autem enerventur adverſariorum argutationes, eſt ſciendum, quód, cùm Sancti Patres docent nullas eſſe virtutes à Charitate; ſolùm intendunt eas non eſſe fructuoſas, & meritorias ſine Charitate, ut ſæpe diximus. Deinde, ſi aliquando videntur omnes actus peccaminoſos eſſe, dicere, ſine Charitate, non loquuntur præciſivè, hoc eſt, de actibus virtutum, præciſé ſumptis à Charitate: loquuntur igitur privativè, hoc eſt, de actionibus oppoſitis Charitati. Et multoties per Charitatem intelligunt Patres, non ſolum habitum amoris, & gratiæ, ſed collectionem omnium virtutum, mediatè in Deum Religionis ſui explicatæ, & definitæ ſunt actus ſequentes intendentium; & juxta hunc ſenſum dicunt eſſe mundialem cupiditatem, quidquid nō includitur in Charitate ſumpta, ſub latiſſimà illa acceptatione: unde Auguſtinus *lib. 4. de Doctrin. Chriſt.* Charitatē appellat quācunque virtutem, quæ animum mediatè, vel immediatè in Deō movet, his verbis: *Charitatem voco motū animi ad fruendū Deo propter ipſū, & ſe, atque proximo propter Deū.*

Monitum ad intelligēdos Ss. Patres in hac re.

11 *Dico ſecundò.* Actus aliarum virtutum ſunt etiam meritorii, ſi non deſit ſtatus gratiæ habitualis (eos dignificantis, aut imperantis, & dirigentis, juxta varios in hac rè dicendi modos). Probatur primò: Quia Deus ſub ratione objecti ſupernaturalis tam Fidei, & Spei, quàm moralium virtutum infuſarum cum ipſà gratià, refundit in actus earundem virtutum; bonitatem ſupernaturalem; atqui hæc bonitas ſupernaturalis, dignificata per gratiam, eſt æqualis valoris cum Beatitudine eſſentiali, ergo eſt illius meritoria. Maior eſt certa; quia omnis actus bonitatem aut malitiam, naturalitatem, aut ſupernaturalitatem participat ab objecto formali, in quod tendit. Minor eſt evidens; quia actus virtutum, in tantùm dignificantur à gratia, in quantum per eam elevantur: non autem elevantur niſi in ordinem ſupernaturalem. Probatur ſecundò. Quia ad demeritum æternæ vitæ non eſt neceſſe, quòd actio peccaminoſa procedat ex formali odio Dei, ſufficit

Non ſolúm actus Charitatis ſed aliarū etiam virtutum poſſunt eſſe meritorij.

ficit enim, quòd proveniat ex quolibet vitio, depravatur enim per interpretativum odium Dei, quod ſemper imbibitur in omni actu Deum graviter offendente: ergo etiam ad rationem meriti neceſſe non erit, quòd actio meritoria formaliter proveniat ex Charitate, ſed ſufficiet interpretativus amor; imbibitus in omni actu virtutis, accedente gratiâ dignificante, & elevante ipſum actum ad ordinem ſupernaturalem, unde meritum fiat ejuſdem ordinis cum præmio. Probatur tertiò. Quia actio meritoria reſpicit tanquam præmium eſſentiale, & terminum viſionem claram, & intuitivam Dei; hæc autem non eſt aſſecuti Dei ſub expreſſa ratione ſummè amabilis, ſed ſub ratione ſummè intelligibilis, & veri, involvendo tamen in ipſo objecto ſummam bonitatem. Cur ergo non erit meritoria actio cujuſvis virtutis, quæ, cùm elevetur à gratia, terminetur ad Deum ſub aliqua ratione objecti ſupernaturalis, implicitè ſaltem amabilis?

12 Confirmatur primò ex Scriptura. Dicitur enim ad *Hebræos* 10. *Nolite amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem.* Ecce Spei Theologicæ in Cælo promittitur: non ergo ſola Charitas eſt virtus meritoria, neque unicæ Charitati promittitur præmium Beatitudinis. Et confirmatur ex generali promiſſione præmij cæteris virtutibus, juxta illud *Pſalm.* 61. *Tu reddes unicuique juxta opera ſua.* Et *Matth.* 16. 37. *Reddet unicuique ſecundùm opera ejus.* Tandem *Matthæi* 10. *v. ult.* pro quovis, vel minimo opere miſericordiæ promittitur merces tanquam præmium pro merito miſericordiæ. Unde citato loco dicitur à Chriſto Domino: *Quicunque potum dederit uni ex minimis iſtis, calicem aquæ frigidæ tantum, in nomine diſcipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.*

Promittitur æterna beatitudo ut præmiũ, nõ ſolùm Charitatis, ſed etiã aliarum virtutum.

13 Confirmatur ſecundò ex Concilio Tridentino *Seſſ.* 6. *de Juſtific. cap.* 16. ex cujus doctrina, ut opera ſint meritoria præmij ſupernaturalis, non requiritur quòd ſint proprij actus Charitatis, ſed ſufficit quòd ſint bona opera, hoc eſt, actus aliarum virtutum, dummodo ſint per gratiam habitualem dignificata. Vide infra dicenda *cap.* 25. Ex dictis facilè eſt deducendum oppoſitam doctrinam in ſuprà relatis propoſitionibus imbibitam pro hæretica eſſe judicandam; utpote adverſantem Sacris Litteris, ſacroque Concilio.

Cenſura propoſitionum, quas iſto capite impugnamus.

Obji-

14 Objicient adverſarij primò. Quidditas, & ſubſtantia vitæ Chriſtianæ eſſentialiter conſiſtit in ſola virtute Charitatis: ergo ſola ipſa eſt meritoria æternæ vitæ. Antecedens probatur primò ex *1. Joan. c. 4.* Ibi: *Qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Secundò: quia juxta Divum Thom. 2. *q. 164. art. 1. ad 2. Secundùm Charitatem attenditur ſimpliciter perfectio vitæ Chriſtianæ; & ſecundùm alias virtutes, ſecundùm quid.* Probatur conſequentia. Quia meritum eſſentiale æternæ vitæ eſt illud cui reſpondent meritum eſſentiale Beatitudinis; hoc autem ſoli Charitati reſpondet eſſentialiter: reliquis virtutibus, ſolùm ſecundùm quid, ſeu propter Charitatem; ut conſtat ex teſtimonio Divi Thomæ: Reſpondetur negando antecedens, ſi ſumatur abſolutè; aliter nullus eſſet Chriſtianus, amiſſa Charitate, quod variis in locis impugnamus. Aptiùs igitur dicimus vitam Chriſtianam primò conſiſtere in Fide, *quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis*, ut docet Concilium Tridentinum *Seſſ. 6. de Juſt. c. 8.* In tantum ergo vita Chriſtiana fundatur ſimpliciter in Charitate, quia per ſolam gratiam, & Charitatem efficimur Filii Dei adoptivi, hæredes Gloriæ, & cohæredes Chriſti: hoc autem non quia cætera virtutum opera meritoria non ſint; aut à Deo non remunerentur; ſed quia, ut ſint meritoria, & remunerentur, debent elevari, & dignificari per gratiam, juxta ea, quæ dicuntur *cap. 26. n. 3.* Unde Divus Thom. 1. 2. *q. 114. art. 3. Attenditur etiam prætium operis, ſecundùm dignitatem gratiæ*: ex quibus patet præmium Beatitudinis etiam reſpicere prætium operis cujuſvis virtutis moralis, aut Theologicæ, ſecundùm dignitatem gratiæ.

Vita Chriſtiana fũdatur primò in Fide. Fundatur etiã in Charitate, & qualiter?

Præmium vitæ æternæ reſpicit prætiũ cujuslibet operis boni dignificati per gratiam.

15 Objicient ſecundò. Charitas augetur per quodlibet opus meritorum, ſive Fidei, ſive Spei, ſive miſericordiæ, ſive Religionis; ut aſſerunt Suar. Vaſq. Turrian. Veg. Moncæ Becan. Mæratius, & alij, qui cum P. Comptono *tom. 2. Theolog. Diſp. 38. ſect. 2. n. 6.* docent per omnia bona opera ſupernaturalia meriti juſtos augmentum gratiæ: & præcipuè, quòd gratia augeatur per actus infuſarum virtutum, conſtat ex Concilio Trident. ut poſtea dicemus *cap. 26. n. 12.* ergo ideo eſt, quia ſola Charitas eſt virtus meritoria. Probatur conſequentia, quia nullus habitus augetur, niſi per actus proprios; atqu-

Per quodlibet opus meritoriũ gratia augetur.

atqui Charitas augetur per opera meritoria: ergo opera meritoria ſolius Charitatis ſunt propria. Reſpondeo negando conſequentiam, & maiorem probationis: nam etiam habitus infuſus Fidei augetur per actus aliarum virtutum, ut tenent Suar. *lib.* 9. *de augmento, & perfectione Gratiæ, cap.* 4. *num.* 15. Amic. *tom.* 3. *Diſp.*35. *de Merit. ſect.*10. *n.*263. *& tom.* 4. *Diſp.* 15. *de habitu Fidei infuſæ ſect.*5. *n.* 113.

Etiam habitus Fidei augetur per actus virtutum cæterarũ.

16 Quòd igitur per ſolos actus proprios augeantur habitus, ſolùm de phyſicis intelligendum eſt, non verò de infuſis ſupernaturalibus. Et agendo ſpecialius de habitu Charitatis, ratio diſcriminis eſſe poterit; primò, quia augmentum Charitatis (Fidei, &c.) etiam habet rationem præmij: unde infundi poterit illud præmium, & illud augmentum concomitanter propter quodcunque meritum. Secundò; quia cùm gratia, juxta communem Theologorum doctrinam, augeatur moraliter, & meritoriè, non ſolùm poteſt augeri per proprios actus, ſed etiam per aliarum virtutum actus. Tertiò; quia, & ſi Charitas, & gratia phyſicè augeantur, cùm tamen ad omnes actus meritorios concurrat gratia, & Charitas, ſive illos dignificando, ſive illos imperando (ut inquiunt Divus Bonavent. Scot. Gabr. Bellarm. Palud. Gonet. & alij) jam in hoc concurſu aliquid agit gratia, ſive Charitas, ex cujus actu illíus habitus augeatur.

De ſolis habitibus phyſicis intelligitur, quòd per actus tantùm proprios augeantur.

Cur Charitas augeatur per actus aliarum virtutum?

17 Objicient adverſarij tertiò. Nulla actio eſt apud Deum meritoria vitæ æternæ, niſi in gloriam ipſius Dei dirigatur; nam de ratione meriti eſt quòd fiat in obſequium præmiantis; atqui ſola Charitas operatur propter Deum, & in ejus obſequium; ut patebit diſcurrenti per omnes virtutes tam morales, quàm Theologicas: ergo ſola Charitas eſt virtus meritoria; & quam Deus remunerat. Ad maiorem, & ejus inſinuatam probationem reſpondetur, quòd omnis actio meritoria debet in gloriam, & obſequium Dei præmiantis dirigi, non tamen eſt neceſſe, quòd expreſſe ita dirigatur; ſufficit quòd implicite, & eminenter ex natura ſua cedat in Dei gloriam, & honorem. Unde ad minorem reſpondetur, quòd cæteræ virtutes, implicitè ſaltem ſunt ex natura ſua in Dei gloriam directæ. Patet; nam Fides, quanvis primariò ordinetur ad præſtandum firmum aſſenſum revelatis;

Omni virtus, tã moralis, quàm Theologica, ex natura ſua dirigitur in gloriã, & honorem Dei.

con-

conſequenter intellectum captivat in obſequium Dei, primi veracis. Spes, quanvis amore concupiſcentiæ, æterna bona creaturis ſperet, voluntatem ſubjicit Deo, qui eſt ſumme miſericors, fidelis ſperantibus in eum, & Omnipotenti, ut promiſſiones ſuas adimpleat. Idem circa obedientiam, Religionem, miſericordiam, & alias morales virtutes diſcurrendo inveniemus.

CAPUT XVIII.

Profligatur error propoſitionis LVII.

HUJUS propoſitionis error tenet quòd amiſſa Charitate per quodvis peccatum, qualecunque ſit, deperdatur etiam habitus per ſe infuſus Spei, Theologicæ. Unde ſic ſtatuit: *Totum deeſt peccatori, quando ei deeſt Spes, & non eſt Spes in Deo, ubi non eſt amor Dei.* Abſurda propoſitio, & maximum parturiens errorem: ex ea enim peccatoribus redditur impoſſibilis diſpoſitio ad gratiam. Ratio eſt: quia juxta Concilium Tridentin. *ſeſſ.6. de Juſtificat. cap. 6. de modo præparationis peccatoris ad gratiam*, per Fidem, & Spem ſimpliciter neceſſarias, & abſolute prævié requiſitas, diſponuntur impij ad juſtificationem; unde Concilium: *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati Divina gratiâ, & adjuti, Fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt: atque::::: in Spem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque, tanquam juſtitiæ fontem, diligere incipiunt.* Igitur qui ab impiis Spem tollunt, præparationem, ac diſpoſitionem removent ad amorem, & juſtificationem.

Propoſitio 57. Totum deeſt peccatori, quádo ei deeſt Spes, & non eſt Spes in Deo, ubi non eſt amor Dei.

Senſus hujus propoſitionis, & abſurdum emergens ab ea.

2 Dicent adhuc impium poſſe diſponi ad juſtitiam per actum Spei, quæ ſit juſtificatione prior, non tempore, ſed naturâ. Nam etiam contritio eſt diſpoſitio ad gratiam, ut docent Theologi cum Becano in 2. *p. Theol. Scholaſticæ tract. 4. cap.3. q.3.* conſtatque ex Concil. Trident. *de Juſtific. ſeſſ.6. c. 6.* & tamen contritio non tempore, ſed tantùm naturâ præcedit juſtificationem. Igitur, amiſſa per quodlibet peccatum

 Spes

Spes Chriſtiana, iterum infunditur (ut inquiunt) in juſtificatione; eam tamen præcedit naturâ, quapropter eſt diſpoſitio ad illam.

Impugnatur adverſariorum evaſio.

3 Sed contra primò: quia, & ſi contritio præcedat juſtificationem naturâ, Spes non poteſt ita univerſaliter, & ſemper eam in naturâ præcedere. Ratio eſt; *primò*; quia contritio eſt ultima diſpoſitio ad juſtificationem; Spes non eſt ultima diſpoſitio; ſolius autem diſpoſitionis ultimæ eſt præcedere formam ſubſequentem in natura. *Secundò*, quia ſtando Vaſquij ſententiâ (quam rejicit Suar. *tom.*1. *in tertiam part. diſput.*4. *ſect.*8. & Gonet. *tom.*4. *Diſput.* 1. *de Juſtif. art.*3.) contritio eſt cauſa formalis juſtificationis: Spes autem non ſic; pertinet autem ad rationem cauſæ, quòd ſit natura prior ſuo effectu. *Tertiò* tandem: quia metus gehennæ, & attritio exinde concepta eſt actus Spei Theologicæ, ut docent Arriag. Amicus *tom.*4. *Diſp.*21. *ſect.*2. & nos poſtea dicemus *cap.*21. *ſect.*1. *num.*9. hic autem attritionis actus non ſolùm naturâ, ſed etiam tempore præcedit juſtificationem, ut conſtat ex Concil. Trident. ſi attenté legatur *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. Inquit enim Concilium actum illum attritionis ex metu gehennæ ab Spe procedentem *eſſe Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantummodo moventis.* Igitur actus iſte tempore antecedit gratiam juſtificantem: ergo potiori jure debet gratiæ juſtificationem antecedere habitus Spei, à quo actus ille procedit.

Timor gehennæ eſt actus Spei, antecedit ẽque juſtificatione: ergo & Spes juſtificationẽ antecedit.

Sicut Fides amiſſa Charitate permanet, ſic Spes.

4 Confirmatur præcedens doctrina. Quia Fides perſeverat, amiſſa Charitate: ergo etiam Spes. Antecedens patet ex dictis *cap.*3. *ſect.*2. *à num.*2. & quæque ibi ratiocinando diximus, pro Fide perſeverante Charitate amiſſa, proportione habita, aptanda ſunt pro Spe abſque Charitate manente.

5 Pro pleniori captu ſciendum; quòd circa amiſſionem, aut corruptionem Spei variæ ſunt Authorum ſententiæ. *Prima* tenet habitum Spei non deperdi, niſi per ſolum actum deſperationis. Fundamentum eſt: quia ſolus deſperationis actus eſt formaliter oppoſitus Spei. *Secunda* docet: non tantùm actum deſperationis, ſed etiam hæreſis deſtruere Spem Theologicam. Ratio eſt, quia tam deſperatio, quàm hæreſis tollit objectum formale Spei? *Tertia* affirmat habitum Spei corrumpi etiam per peccatum præſumptionis: quia, cùm præſumptio

Variæ ſententiæ circa Spei amiſſionem.

ſumptio Beatitudinem judicet obtinendam propriis naturæ viribus abſque meritis condignis, ſeu modo aliquo indebito, neceſſariò eſt oppoſita Spei Chriſtianæ. *Quarta* demum arbitratur quodlibet peccatum mortale eſſe deſtructivum habitûs Spei. Tres priores ſententiæ poſſunt abſque errore ſuſtineri, & à Catholicis Doctoribus defenduntur, pro ut magis hæc, vel illa placere videtur. Quarta ut hæretica ab omnibus rejicitur; imò & à Concilio Tridentino, ut videri eſt apud P. Amicum *tom.*4. *Diſp.*21. *ſect.* 2. Eam damnat Divus Auguſtinus plurimis in locis: nam in *Enchir. cap.* 114. primò ponit Fidem, deinde Spem, quibus advenire dicit Charitatem. *Ex Fidei confeſſione naſcitur Spes bona Fidelium, cui Charitas ſancta comitatur.* Clariùs autem *tract.* 83. *in Joan.* docet Spem eſſe ſine Charitate, quanvis non Charitas ſine Spe. Unde inquit: *Poteſt ſperare veniam, qui non diligit; nemo autem poteſt deſperare, qui diligit.* Oppoſita ſententia caret fundamento ſolutione digno: fundatur enim in illa jam impugnata indiſtinctione Charitatis ab aliis virtutibus.

Fundatur hæc propoſitio 57. in eo quòd Spes ſit indiſtincta à Charitate, quod impugnavimus cap. 18, à num 8

CAPUT XIX.

De errore propoſitionis LVIII.

Propoſitio 58. Nec Deus eſt, nec Religio, ubi nõ eſt Charitas.

CITATA propoſitio errorem continet earum, quæ Fidem ſine Charitate eſſe negant, de quibus egimus cap. 3. *ſect.* 2. Et ſic habet: *Nec Deus eſt, nec Religio, ubi non eſt Charitas.* Ad cujus impugnationem.

Deus in nobis eſt naturaliter multipliciter.

2 *Suppono primò* Deum in nobis eſſe multipliciter, naturaliter: Videlicet, per immenſitatem, eſt enim immenſus; unde Jerem. 23. 24. *Cælum, & terram ego impleo, dicit Dominus.* Item per potentiam, per operationem, per conſervationem: quapropter *Act.* 17. 28. *In ipſo vivimus, movemur, & ſumus.* Suppono *ſecundò* Deum in nobis etiam ſupernaturaliter eſſe per infuſum habitum Charitatis, juxta illud Joan. *cap.* 14. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Unde deducunt Theologi cum Gonet. *tom.* 4. *diſput.* 2. *de eſſentia gratiæ,* & Thomiſtis commmuniter Charitatem, ſeu gratiam habitualem, eſſe participationem phyſicam Divinæ naturæ, unde Divus Auguſt. *tract.* 23. *in Joan.* ſic inquit: *Animæ reſurgunt à peccatis per ſubſtantiam Dei.* Et Divus Thomas 2. 2. *q.* 23. *a* 2. *ad* 2. inquit: *Deus eſt vita effectivè, & Animæ per Charitatem, & corporis per Animam.* Aſt, ut inquit Joan. in 1. *cap.* 4. *Deus Charitas eſt, & qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* In hoc ſenſu verum eſſe poteſt quod in prima parte hujus propoſitionis dicitur; videlicet: *Deus non eſt, ubi Charitas eſt.* Altera verò pars, quæ negat eſſe Religionem, ubi non eſt Charitas, altiorem petit indaginem; continet enim plures errores, ad quorum captum.

Etiam in nobis eſt Deus ſupernaturaliter habitans, dũ per gratiã diffuſus eſt in cordibus noſtris.

Ubi Charitas non eſt, neque Deus eſt per ſupernaturalẽ inhabitationẽ, & communicationem ſuæ Divinitatis, cujus gratia eſt phyſica participatio.

3 Sciendum eſt Religionem eſſe cognitionem Deiʼ, ejuſdem cultum docentem. Unde Cicero *lib. 2. de Inventione* inquit: *Religio eſt quæ ſuperioris cujuſdam naturæ, quam Divinam vocant, curam, cæremoniamque habet.* Eam definitionem ſequitur Divus Auguſtinus *lib. 83. quæſtionum, quæſt. 31.* Abulenſis in *Exod. 12. ſub quæſt. 49. ubi ait*: *Religio dicitur modus ſpecialis colendi Deum*; & juxta nominis etymon, deducitur à religando, ut inquit Lactantius *lib. 4. Divin. Inſtitut. cap. 38.* Divus Aug. *lib. 1. Retract. cap. 13.* Divus Hieron. *in cap. 9. Amos*, quanvis Suarius aliam quærat etymologiam. Quod autem Deo nos principalius conjungit, ac ligat, eſt Fides? quapropter Divus Thom. *Opuſc. 19. cap.* (inquit) *primum vinculum, quo Deo ligatur homo, eſſe Fidem.* Idem docuerat Auguſtinus de *Agon. Chriſt. cap. 13. Fides eſt prima, quæ ſubjugat Animam Deo.* Unde videtur in id tendere hanc propoſitionem 58. quòd ablata charitate, deperdatur etiam Fides, qua Deo ligatur homo. Aſt hoc impugnatum manet *cap. 3. ſect. 2.* eſtque damnatum, & fulguritum anathemate à Tridentino *Seſſ. 6. de Juſtific. Can. 28.* ibi: *Si quis dixerit, amiſſa per peccatum gratia, ſimul & Fidem ſemper amitti, aut Fidem quæ remanet, non eſſe veram Fidem, licèt non ſit viva; aut eum, qui Fidem ſine Charitate habet, non eſſe Chriſtianum; anathema ſit.*

Quid ſit Religio?

Fides eſt, quæ primò homines Deo conjungit, ac ligat.

Primus hujus propoſitionis error.

4 Juxta præcedentes errores hæc propoſitio aliam adhuc involvit pravitatem æquè hæreticam. Sanctum enim eſt propoſitione 56. ſolam Charitatem Deum honorare his verbis *Charitas ſola Deum honoret*; quia (ut intendunt) ſoli actus Charitatis virtuoſi ſunt, reliqui, cæterarum virtutum, omnes peccaminoſi, niſi à Charitate ordinentur, & imperentur: ergo ubi Charitas non fuerit, nulla erit actio Deum honorans, ſed maximè offendens. Propoſitio tamen iſta ſic ſumpta, corruit neceſſariò ex eis, quæ diximus cap. 18.

Alter ejuſdem propoſitionis error.

5 Ad pleniorem confutationem, & intellectum de aliis erroribus, qui adhuc in hac propoſitione requiri poſſunt, inveſtigandam propono doctrinam Catechiſmi ad ordinandos, juxta doctrinam Catechiſmi Concilij Tridentini, ſtudio cujuſdam Theologi Pariſienſis in ſecunda editione auctiori, & emendatiori, quæ Pariſiis prodiit in lucem anno 1698. Ibi igitur 3. *part. ſect. 1. paragrapho* 4. ſic definitur Religio: *Eſt vir-*

Latria quid ſit?

virtus moralis, exhibens Deo cultum debitum, tanquam ſupremo rerum omnium principio, & ultimo fini. Iſte autem cultus dicitur *Latria*, quæ definitur: *Cultus Deo ſoli debitus, & exhibendus, in teſtimonium ſupremi illius dominii in res omnes, & noſtræ ſervitutis.* Religionis ſic explicatæ, & definitæ ſunt actus ſequentes interiores: *Devotio, & Oratio.* Tunc etiam ejuſdem Religionis ſequentes actus externi: *Adoratio, ſacrificium, oblatio, Juramentum, & votum.*

Varij actus tū interiores, & exteriores, qui à virtute Religi nis proveniant.

Devotio, primus Religionis actus internus.

6 Primus internus actus Religionis, qui eſt *devotio*, eſt *parata, & prompta voluntas ad exequenda ea, quæ pertinent ad cultum Dei.* Quis eſt autem, qui dubitet poſſe impium, parato eſſe animo ad exequenda quæ pertinent ad prædictum Dei cultum? Id ipſum quotidiana experientia demonſtrat, cùm enim iſta executio exhibeatur ſignis externis, ut genuflexione, inclinatione, & aliis, prout docetur apud citatum Catechiſmum; communis uſus apertiſſimé demonſtrat id in peccatoribus inveniri. Secundus actus internus, nempe *oratio*, etiam in peccatoribus reperitur; neque dicant eorum orationem novum eſſe peccatum, hoc enim proſcriptum jam manet, & impugnabitur capite ſequenti.

Oratio ſecundus actus internus.

Religionis actus exteriores.

Adoratio.

Sacrificium.

Oblatio.

7 Actuum externorum, primus eſt *adoratio*, ſeu *latria*, quæ etiam, ut diximus, à gratia denudatis exhibetur quotidie ſignis externis, in quibus conſiſtit. Secundus actus externus eſt *ſacrificium*, quod in novo Teſtamento, ſola eſt Euchariſtia; eſſet autem temerarium aſſerere Sacrificium validé non confici à Sacerdotibus peccato infectis. Tertius actus externus eſt *oblatio*, quæ ſic definitur: *Muneris cujuſdam externi donatio, Deo facta in recognitionem ejus ſupremi dominij.* Ad hunc actum referuntur primitiæ, decimæ; & alia dona, quæ offeruntur Deo, aut Eccleſiæ propter honorem Dei, vel dantur Dei Miniſtris ad eorum ſuſtentationem. Et nunquid hæc à peccatoribus, & abſque Charitate fieri non poſſunt? Quartus externus actus Religionis eſt Juramentum, quod eſt definitum: *Atteſtatio Divini Numinis, ſeu invocatio Divini teſtimonij, ad Fidem faciendam, vel promiſſionem firmandam.* Tandem quintus actus externus ſcilicet votum ſic definitur: *Promiſſio deliberata Deo facta de meliori bono.* Et nunquid votum, aut juramentum, gratiam habitualem prærequirunt in vovente, aut jurante? Neutiquam;

Juramentum.

Votum.

tiquàm; neque eſt cui novum hoc abſurdum ſubeat in mentem, niſi inducentibus omnia opera eſſe peccata, ſi ab habitu Charitatis non dirigantur, quod jam ſuprà eſt impugnatum.

8 Pro complemento colligendum dari veram Religionem, quoties datur veri Dei cultus in vera Fide fundatus; unde Suar. *tom.* 1. *de Religione, lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 4. inquit: *Erit vera Religio, quæ in vera Fide fundatur, & conſequenter circa verum cultum veri Dei verſatur.* Ideo Clemens Alexandro *lib.* 2. *ſtromatum num.* 8. diſtinguit Religionem à ſapientia perfecta, quæ cum Charitate conjuncta eſt; imò inquit Religionem eſſe ad illam principiũ, & viam: ergo prior eſt Religio, quàm charitas, ac inde poteſt eſſe, & cõſervari Religio ſine Charitate, ſicut ſine Charitate conſervantur in aliquibus impiorũ & Fides, & Spes.

Religio virtus eſt à Charitate diſtincta, eſtque via ad illam.

CA.

CAPUT XX.

Examinatur, & refellitur propoſitio LIX.

Propoſitio 59. Oratio impiorum eſt novũ peccatum; & quod Deus illis cõcedit, eſt novum in eos judicium.

1 NULLA peccatoribus pernicialior propoſitio, quàm præſens: *Oratio impiorum eſt novum peccatum, & quod Deus illis concedit, eſt novum in eos judicium.* Hanc pernicioſam merito appellavi; orationem quippe à peccatoribus eripit, cùm tamen ea ſit præcipua via, ad pœnitentiam, & converſionem à Deo impetrandam, ut ex Conciliis, & Patribus docet Suarius *tom. 2. de Religione, lib. 1. de Oratione* variis in locis. Neque enim liceret impio orare, ſi oratio ſit illi novum peccatum, & ſi ei novum tantúm judicium concedatur. Et per hoc maximum oritur damnum, & præjudicium; colligit enim Suarius ex Divo Thom. *2.2.q.83.art.3.* orationem eſſe de præcepto Divino, ac inde ad ſalutem neceſſariam ſimpliciter. Vide Suar. *tom. 2. de Relig. lib. 1. de Orat. cap.* 28. & plures ibi Theologos. Neque tantùm pernicioſa eſt hæc propoſitio, ſed etiam impia, & in Deum contumelioſa, & blaſphema; ipſum enim callidum, iniquum, & peccati facit authorem, qui ſæpe ad orationem peccatores invitat. Eſt etiam contra ſacram Scripturam, ac inde hæretica, ut ex dicendis conſtabit.

Cenſuræ hujus propoſitionis.

Oratio eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem: neceſſitate præcepti; non tamen neceſſitate medij.

2 Eſt igitur rejicienda hæc propoſitio, quia Chriſtus Dòminus orare docuit, non ſolùm juſtos, ſed etiam peccatores, quando Dominicam inſtituit orationem; & ad peccatores ſpectat illa in eadem oratione petitio: *Dimitte nobis debita noſtra.* Præterea *Luc.* 11. Chriſtus Dòminus peccatores ſpecialiter hortatur ad orationem his verbis: *Dico vobis; & ſi non*

Chriſtus peccatores invitat ad orationem.

non dabit illi eo quòd amicus ejus ſit, propter improbitatem tamen ejus, ſurget, & dabit illi, quotquot habet neceſſarios; ubi loquitur Chriſtus non de amico, ſed de peccatore rogante. *Matth.* 7. dicitur: *Omnis enim, qui petit, accipit.* Ubi *omnis* diſtributivè ſumitur, *ſive juſtus, ſive peccator*, ut inquit Chryſoſtomus in *Imperfect. Matth. Homil.* 18. Ex quibus locis non ſolùm colligitur impiorum orationem non eſſe malam, verùm etiam & impetratoria m eſſe; quod confirmatur aliis Sacræ Scripturæ locis: nam Geneſ. 21. 17. *Exaudivit autem Deus vocem pueri*, ſcilicet Iſmaelis, qui tamen peccatis erat obnoxius; unde Lyranus hic attendens ad exauditionem iſtam, quâ indignus videbatur Iſmael ob illa peccata, propter quæ à domo Abrahæ erat ejectus, inquit: *Iſmael jam erat viginti annorum, & ideo videns ſe in periculo mortis, de malis ſuis præteritis doluit, & Dòminum rogavit pro vita ſua, & exauditus fuit.* Peſſimus erat Achab Rex Iſrael; aſt, quia aliquando ſupplicia Dei timens humiliatus orabat, & cæpit agere aliqualem pœnitentiam dixit Dòminus ad Heliam 3. *Reg.* 21. 29. *Nonnè vidiſti humiliatum Achab coràm me? Quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus ejus.* Humiliatus eſt autem coram Dòmino, Deum in terram pronus orando. Tandem accipe generalem doctrinam ex Sacra Scriptura *Luc.* 18. 1. *Oportet ſemper orare, & nunquã deficere.* Et Divi Petri *Act.* 8. ad Simonem Magum impium, & peccatorem conſilium: *Pœnitentiam age, & roga Deum, ſi fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Si autem peccatorum oratio novum eſſet peccatum, neque à Chriſto Dòmino, neque ab Apoſtolorum Principe commendaretur.

Impiorũ oratio non ſolùm poteſt eſſe bona, ſed etiam impetratoria.

3 Ratione refellitur præſens propoſitio, quia impiis non deeſt (ut inquit Suarius) poteſtas orandi, ſi habeant neceſſariam de Deo cognitionem, (naturalem, aut ſupernaturalem per Fidem) & Spem circa id, quod rogant, & deſiderium accipiendi; quod ultimum habere poſſunt per auxilium gratiæ ſine habitu ſanctificante: ergo ſaltem oratio illorum, qui prædicta habuerint, peccatum non erit. Dixi ſaltem, quia hæc limitatio ſufficit ad refellendam hanc damnatam propoſitionem. Medina apud Suar. *tom.* 2. *de Relig. lib.* 1. *de Orat. cap.* 12. *num.* 3. Orationem obſtinatorum in peccatis, & in propoſito non recedendi ab illis cenſet eſſe peccatum; aſt nimis rigidè,

Requiſita ad orationem.

cui

Opinio Medinæ circa quorundam impiorum orationem nimis rigida.

cui ſuffragari,cùm ſit contra commune Doctorum placitum, non debeo.

4 Varia ſunt Sanctorum Patrum teſtimonia Catholicam veritatem probantia, quæ videri poſſunt apud citatum Suar. *cap.12. & 25.* adduco præterea quæ ſequentur: ex Ambroſ. *lib.6. Hexamer. Fecit Deus hominem flexibilem genu, quo Domini mitigaret offenſam, & ira ejus mulceretur, & gratia provocaretur.* Hæc autem convenire nequeunt, niſi homini gratiâ deſtituto, veniam poſtulanti, & gratiam Dei roganti. Ex Auguſtin. *contra Julian. lib. 2. cap.8. poſt initium tom. 7. Juſtificatio in hac vita nobis ſecundùm tria confertur. Priùs lavacro regenerationis, quo remittuntur cuncta peccata. Deinde congreſſione cum vitiis, à quorum reatis abſoluti ſumus. Tertiò dum noſtra exauditur oratio.* Si igitur confertur juſtificatio, impio confertur. Quomodo autem ſimul ſtare poſſunt; quòd oratio impij ſit peccatum, & quòd per illam, dum exauditur, gratia conferatur? Ex Chryſoſtomo *Hom. 10. in cap. 6. Matth. tom. 2.* ubi explicans orationem Dominicam, dicit per prima orationis hujuſce verba poſtulari juſtificationem, quæ eſt tranſitus de ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ: Si autem impius, qui ſolus hanc translationem ſibi poſtulare valet, peccatum committeret, non doceretur à Deo ſic orare. *Patrem quippe dicendo,* (inquit Chryſoſtomus) *& veniam peccatorum, & pœnarum interitum, & juſtificationem, & ſanctificationem, & filiorum adoptionem, & hæreditatem Dei, & fraternitatem cum unigenito copulatam, & Sancti Spiritûs dona largiſſima uno ſermone ſignavit.*

Congreſſio cum vitiis hic ſignificat aggreſſionem ad ea vincenda, ac deteſtāda per cōtritionem.

5 Quæres hic: Quomodo ſit intelligendum quod Sancti Patres relati inquiunt: ſcilicet, per orationem impio gratiam conferri? Eſt autem ratio dubitandi, quia juſtificatio, ſeu prima gratia, *Non eſt volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis;* ut quit Paulus ad Roman. 9. 16. *Et cap. 11. 6. Si autem gratia jam non ex operibus.* Et tandem 2. *ad Timot.* 1. 9. *Vocavit nos vocatione ſancta, non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitum ſuum, & gratiam.* Sed contra, quia facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam. Unde, dicendum: quòd ſi impius excitanti, & adjuvanti gratiâ præventus, faciat quidquid in ſe eſt, tali gratiæ perfectè reſpondens, conſequetur per lacrymoſam, & puram orationem, quòd à Deo illi conferatur juſtificatio

Quomodo ſint intelligendi SS. Patres dum docent impios gratiam orando conſequi?

ex

ex Divina miſericordia, & liberalitate; ut eſt Sanctorum Patrum doctrina apud Becanum *in 2. p. Theolog. Schol. tract.* 4. *cap.*5. *de Merito Cathol. q.*2. *num.*2.

6 Fundamentum, quo nititur hæc impugnata propoſitio, eſt; quia, ut in aliis præcedentibus dicitur, omnia opera impiorum peccata ſunt. Hic tamen error fuit jam impugnatus *cap.*15. per totum, & aliis in locis.

7 Quia tandem in poſtrema parte hujus propoſitionis dicitur *eſſe novum in impios judicium quidquid Deus illis concedit*, eandem falſitatem ſic impugno breviter. Gratiæ, quas Deus impiis concedit, (præter gratiam juſtificantem) ſcilicet excitantes, moventes, prævenientes, & exteriores aliæ, non emanant à Deo ut Auctore naturæ, ſed ut gratiæ Auctore: ergo non tendunt in judicium, ſed in amorem, & bonum impiorum. Nam Deus tunc habetur ut Auctor gratiæ, quando in eo relucet ſupernaturalis aliquis amor ſupra naturæ exigentiam. Præterea hæc iſtius propoſitionis pars multum favet illi, quam Alexander VIII. *die* 7. Decemb. 1690. damnavit; ſcilicet: *Gratia ſufficiens ſtatui noſtro non tam utilis, quàm pernicioſa eſt, ſic ut proinde merito poſſimus petere: A gratia ſufficiente libera nos, Dòmine.* Deinde cohæret cum propoſitione 5. ex damnatis in hac Bulla *Unigenitus*, quam ſupra impugnavimus *cap.*5. ad quod, nè longus fiam, lectorem remitto.

Novus error in ultima parte hujus propoſitionis.

CA-

CAPUT XXI.

OSTENDITUR ERROR PROPOSITIONUM LX. & aliarum uſque ad propoſitionem LXIV. & earum falſitas impugnatur.

PROPOSITIO LX.

Si ſolus timor ſupplicii animat pœnitentiam, quò hæc eſt magis violenta, eo magis ducit ad deſperationem.

PROPOSITIO LXI.

Timor non niſi manum cohibet; cor autem tandiu peccato addicitur, quandiu ab amore juſtitiæ non ducitur.

PROPOSITIO LXII.

Qui à malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt reus coram Deo.

PROPOSITIO LXIII.

Baptizatus adhuc eſt ſub lege ſicut Judæus, ſi legem non adimpleat, aut ad impleat ex ſolo timore.

PROPOSITIO LXIV.

Sub maledicto legis nunquam fit bonum, quia peccatur, ſive faciendo malum, ſive illud non niſi ob timorem evitando.

Errores in relatis propoſitionibus cõtenti.

1 IN his propoſitionibus abſurda ſequentia continentur. *Primum* timorem pœnarum, per ſe, & præciſe ſumptum, eſſe abſoluté malum, & peccaminoſum. *Secundum* pœnitentiam ex pœnarum metu ortam, in deſperationem inducere; & eó magis, quò magis intenſa fuerit pœnitentia. *Tertium* timorem cohibêre manum ab opere peccaminoſo, non autem

autem cor avertere à pravo peccandi affectu. *Quartum* illum, qui à peccando abſtinet ex timore pœnæ, eo ipſo peccatum in corde per affectum committere, & eſſe reum coram Deo. *Quintum* baptizatum adhuc ad legem veterem pertinere, etiamſi novum Fœdus ex ſolo timore ductus adimpleat. *Sextum* ſub maledicto legis, hoc eſt, ex ſupplicij, & pœnarum metu non operari bonum aliquod; malum enim fugere ob timorem, malum eſſe aſſeritur.

2 Adverſus præfatos errores tenendæ ſunt ſequentes aſſertiones, juxta communem Theologorum ſenſum, & Eccleſiæ Catholicæ doctrinam, tum in Bulla *Unigenitus*, tum in aliis adverſus Lutheri, & calvini dogmata. *Prima*: Timor pœnarum, ſanctus etiam, vertuoſus, & honeſtus reperitur. *Secunda*: Pœnitentia ex metu pœnarum orta, in deſperationem neque inclinat, neque inducit. *Tertia*: Timor & manum à peccato cohibet, & cor ab ejus affectu avertit. Inde qui à peccato abſtinet ex timore ſupplicij, non eſt dicendus reus coram Domino. *Quarta*: Baptizatus, legem ex timore adimplens, non eſt dicendus ad vetus Fœdus pertinere.

Nonnullæ aſſertiones præfata dogmata corrigentes.

SECTIO I.

Propugnantur Catholicæ doctrinæ aſſertiones.

1 DE timore agunt Theologi cum Magiſtro *in 3. Diſt.* 34. & Divo Thomà 2.2.*q.*19. ubi timorem dividunt in quatuor membra, ſcilicet, in Mundialem, Servilem, Filialem, & in Donum ſpeciale Spiritûs Sancti. Conſule Caietanum, noſtrum Lorcam, Suarium, Arriagam, Comptonum, *tom.* 2. *diſp.* 33. *ſect.* 3. & alios communiter Timor *mundanus* eſt ille, quo quis ex eo preciſé peccatum omittit, quia ſe deprehendendum, & caſtigandum timet; contra quos inquit Apoſtolus ad *Epheſ.* 6. *v.* 6. *Non ad oculos ſervientes.* Timor *ſervilis* ille eſt, quo aliquis à peccato retrahitur, & ad Mandatorum obſervantiam inducitur, ſervorum more, qui utcunque pœnarum metu in officio continentur. Timor *filialis* eſt ille, quo quis ſe Deo ſubjicit ad Mandatorum ipſius obſervationem ex affectu charitatis; unde odio habet pecca-

Timoris quatuor membra.

 tum,

tum, illud imminens timet, & ad illud avertendum adhibet media. Et quia in hoc imitatur timorem, quo filii moventur ad præcepta parentum implenda, nè in re aliqua offendant quos ſummè diligunt, & colunt, ideo dicitur à SS. Patribus timor filialis. Timor denique, *Speciale donum Spiritûs Sancti* dictus, à non paucis confunditur cum præcedente; quem tamen ab iiſdem diſtinguit Alenſ. 3. *quæſt.* 66. *memb.* 1. docetque non conſiſtere in fugá mali, ſed eſſe timorem reverentiæ Magnitudinis Divinæ Maieſtatis. Et 2.*p. quæſt.* 156. *memb.* 2. *art.* 1. aliàs *quæſt.* 17.*memb.* 1. inquit: *Eſſe reſolutionem, à Divinâ Maieſtate, conſideratione propriæ parvitatis.* Unde à Suario *lib.* 2. *de Grat.cap.*21. hic timor reverentialis appellatur.

Timor reverẽtialis ſanctis eſt.

2 Certum in primis eſt hunc *reverentialem timorem*, eſſe bonum, & ſanctum: primò, quia eſt donum Spiritûs Sancti, unde etiam in Chriſto hic timor extitit, juxta illud Iſaiæ *cap.* 11.3. *Replebit eum Spiritus timoris Dei*; quod de timore reverentiali interpretatur Pater Georgius de Rodes *tom.* 1. *Theologiæ tract.*6.*diſp.*3.*quæſt.*2. *Sect.*4.§.2. Secundò, quia hic timor remanet in Beatis, illo enim coram Deo humiliantur, ut de Beatis Angelis ſentit idem *Alenſ.*2.*p.quæſt.*101.*aliàs* 118.*memb.*3. *art.*6. Hic reverentialis timor (ut judico) in Beatis permanens in ſæculum ſæculi, ille eſt, de quo Pſalmiſta inquit: *Timor Domini ſanctus permanens in ſæculum ſæculi. Pſalm.* 18. Quòd ſimiliter timor filialis bonus ſit, certo certius eſt. Primò, quia hic timor etiam in Beatis reperitur, juxta communem doctrinam Theologorum, quam tenent noſter *Lorca*, *Banens*, *Torres* 22.*q.*19.*art.* 11. *& alii.* Imò juxta noſtrum Bernardum *Epiſt.* 190. refertur inter errores Abailardi, quòd negaverit in Chriſto hunc timorem fuiſſe. Secundò, quia hic timor ſæpe in Scripturis ſacris commendatur. *Eccleſiaſtici* 1. *Timor Domini gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis. Timor Domini delectabit cor, & dabit gaudium, & lætitiam, & longitudinem dierum. Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis ſuæ benedicetur.*

Timor filialis ſanctus eſt.

Timor mundanus ſanctus nõ eſt, & cur?

3 Timor mundanus malus cõmuniter cenſetur ab Authoribus; non ex eo præciſè, quia peccatum omittit ex timore hominum, ſed quia ex timore hominum, aut alicujus incommodi naturalis, Deum deſerat aliquando, & peccatum eligat

eligat potiùs, quàm malum pati: ideo hic timor prohibetur à Chriſto Luc. 12. *Nolite timére eos, qui occidunt corpus, &c.* In quo ſenſu intelligitur illud *Joan.* 12. quod dictum eſt de Phariſæorum Principibus: *Multi Principes crediderunt in eum, ſed propter Phariſæos non confitebantur, ut è Synagoga non ejicerentur, dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei.*

4 Circa timorem ſervilem eſt tota controverſia: ſit né peccaminoſus, an honeſtus? Semper eſſe peccaminoſum, & malum docent damnatarum harum propoſitionum Authores, quibus favent ipſorum peſſimi Magiſtri Kemnitius, Calvinus, & Lutherus; contrarium docent Authores Catholici, nullo dempto; dicunt enim timorem pœnarum infligendarum à Deo, maximé gehennæ, non eſſe peccatum, ſed utilem ad vitam honeſté traducendam. Eſt tamen præſciendum timorem ſervilem vel eſſe cum ſervilitate ſumptum, vel ſumptum abſque ſervilitate. Ille eſt timor ſervilis abſque ſervilitate, qui abominatur peccatum ideo, quòd per illud reddatur homo pœnâ æterna dignus, & ſpoliatus eo jure, quod habebat ad æternam Beatitudinem; quod etiam timori ſervili cum ſervilitate commune eſt: cum hac tantùm differentiá, quòd timor abſque ſervilitate dicit expreſſé: *Nolo peccatum committere propter pœnas infligendas*; unde nullo modo, neque implicite includit actum, & affectum peccandi, ſi peccato æterna pœna non fuiſſet impoſita. Timor autem cum ſervilitate fundatur in hoc actu: *Si non eſſet pœna, peccarem*; unde magis excludit pænam, quàm, peccatum utrunque tamen excludit, ſed non æque; nam pœnam excludit formaliter, & virtualiter: peccatum verò licét excludat formaliter, virtualiter non excludit illud. Actus enim timoris cum ſervilitate, includit iſtam conditionalem: *Si peccatis non eſſet impoſita pœna, non illa deteſtarer.* In qua conditionali contineri, & conſervari videtur aliquis ad peccandum affectus.

Timor ſervilis eſt honeſtus, quidquid in oppoſitum dicant Hæretici.

Qualis ſit timor ſervilis cū ſervilitate, & ſine illa?

PRIMA ASSERTIO.

Timor pœnarum Sanctus, honeſtus, & virtuoſus eſt.

5 LOquor quidem de timore ſervili, ſed abſque ſervilitate. Si enim cum ſervilitate ſumatur, aliter eſſet ſentiendum *cum Gregor. Alma, & Adriano*, qui de timore ſervili agentes, illum eſſe honeſtum negant apud *Suar. Granat. de Pœnit. d.5. ſect.* 2. loquuntur autem de hoc timore non abſque ſervilitate, ſed cum illa: ſub eadem diſtinctione procedit *Rhodes diſput.* 1. *de Pœnit. quæſt.*2. *ſect.*5. §. 2. Et primò dico hanc primam aſſertionem noſtram eſſe de Fide, definitam contra relatos Hæreticos n. præcedente, tum in Bulla Leonis X, tum etiam in *Tridentino ſeſſ.6. cap.6.*

Noſtra aſſertio de Fide eſt.

6 Probatur primò ex Sacro Textu, qui innumeris pene locis hunc timorem non laudat tantùm, ſed præcipit. Dicitur enim *Exod.* 20. *Ut probaret vos venit Deus, & ut timor illius eſſet in vobis, & non peccaretis. Pſalm.*118. *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui. Eccleſiaſtic.* 7. 40. *Memorare Noviſſima tua, & in æternum non peccabis.* Unum autem ex Noviſſimis eſt infernus; cujus timor inſerviens ad non peccandum, implicatoriè dicitur peccaminoſus, & malus ipſo facto. *Matth.* 10. *Timete illum, qui poteſt Animam, & Corpus mittere in gehennam. Ita dico vobis: Hunc timete. Apocal.*14. 7. *Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora judicij ejus.* Quòd autem Scriptura intelligenda ſit, de timore ſervili, hoc eſt, de timore, qui pænam deteſtatur, & peccatum propter ipſam; præterquam quod ex locis adductis clarè conſtet, eſt inſuper inter Patres, atque Doctores ſatis clarum. Vide *Valentiam apud Suar.tom.*4. *in* 3.*part. Diſput.*5.*ſect.*2. *Bellarm.tom.*2.*lib.*1. *de Pœnitent. c.6. & tom.* 3. *tract. de Juſtificat.* Prob. 2. ex Concil. Tridentino *ſeſſ.6. Can.8.* dicente: *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, & à peccato abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores peiores facere, anathema ſit.* Confirmatur: quia dolor, atque deteſtatio peccatorum ex amiſſione æternæ Beatitudinis, & incurſu æternæ damnationis, eſt utilis ad vitam æternam, & præparat peccatorem ad

Cùm juxta Scripturam timor ſervilis ſit utilis ad non peccandũ, implicat talem timorem eſſe peccaminoſum.

ad gratiam; atqui ſolus actus virtuoſus, & honeſtus talem effectum habere poteſt: ergo timor ſervilis eſt honeſtus,& virtuoſus. Minor patet, quia, ſi actus virtuoſus non fuerit, ſed vitioſus, potiùs reddet impium peiorem, & magis peccatorem, quàm ad gratiam præparatum, neque erit utilis ad bonum ſupernaturale. Conſequentia apertè colliget, maiori ſemel probata; quam tamen indubitatam ſtatuit Tridentinum *Seſſ.* 14. *de Pœnitent. Can.* 5. his verbis: *Si quis dixerit eam contritionem, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine Animæ ſuæ, ponderando peccatorum ſuorum graVitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ Beatitudinis, & æternæ damnationis in curſum, cum propoſito melioris Vitæ, non eſſe Verum, & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, ſed facere hominem hypocrytam, & magis peccatorem; anathema ſit.*

Quàm utilis ſit dolor de peccatis propter æternam damnationem, & Beatitudinis amiſſionem.

7 Tertiò probatur variis rationibus: & *prima* eſt. Quia ex timore ſervili, abſque ſervilitate; quatenus odio habetur peccatum ex metu pœnarum, oritur verum aliquod donum Dei, ab Spiritu Sancto motum, & impulſum: ergo ille timor nequit eſſe malus. Conſequentia patet ex eo, quòd nil malum poteſt eſſe donum Spiritùs Sancti, ſive ab eo motum. Probatur antecedens; ex hoc timore oritur contritio imperfecta, aliàs attritio, quæ eſt donum Spiritùs Sancti. Unde Cōcilium *Trident. ſeſſ.* 14. *cap.* 4. docet *Contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam Vel ex turpitudinis peccati conſideratione, Vel ex gehennæ, & pœnarum metu cōmuniter concipitur, ſi Voluntatem peccandi excludat, cum Spe Veniæ, non ſolùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, Verùm etiam donum Dei eſſe, & Spiritùs Sancti impulſum. Secunda.* Quia actus, cujus finis, & cujus media bona ſunt, & honeſta, bonus etiam, & honeſtus eſt; atqui finis, & media timoris ſervilis ſunt honeſta, & bona: ergo ipſe timor ſanctus, & honeſtus eſt. Minor probatur: quia finis, & intentio timoris ſervilis eſt fugere iram,& odium Dei, quod quidem honeſtum eſt. Deinde media ſunt fugere culpam, & Noviſſima memorari; utrumque autem honeſtum eſt; aliàs nō diceretur àChriſto Dòmino *Lucæ* 12. *Timete eū qui poteſt, & Animam, & Corpus perdere in gehennam.* Neque etiam *Eccleſiaſtici* 7. 40. diceretur: *Memorare NoViſſima tua, &c. Tertia.*

Ex timore ſervili oritur attritio.

In timore ſervili finis,& media ſunt honeſta,

Timor ſervilis ſine ſervilitate peccatum omnino deteſtatur

tia. Quia peccatum penitus deteſtari juſtum, & honeſtum eſt; atqui timor ſervilis ſine ſervilitate, peccatum omnimodè deteſtatur: ergo. Minor probatur, quia timor ſervilis ſine ſervilitate, neque formaliter, neque virtualiter retinet affectum aliquem ad ipſum peccatum, ſiquidem in hoc tantùm differt hic timor ſervilis ab eo, qui eſt cum ſervilitate; quia hic, non ille, pravum peccandi affectum virtualiter, & ſub ſe continet. Quòd ſi dicas non poſſe intelligi quòd quis peccatum fugiat propter gehennam, quam timet, quin eo ipſo ſub aliqua ſaltem conditione, peccatum ametur; reſpondebimus 1. parum referre quòd hæreticus pertinax ſe hoc non capere ſimulet, cùm id capiant etiam ruſtici; cùm id capiant Doctores communiter cum *Divo Thom. 2.2. q. 19. a. 4. & 3. p. q. 85. a. 5. Divo Bonaventura in opuſc. de Grat. ſanctific. ſ. 5. c. 4. Dominico Soto in 4. diſt. 14. q. 2. a. 5. Petro Ledeſm. in Theol. Mor. de Pœnit. cap. 7. & aliis* omnibus, Sanctos Patres ſequentibus; *Tertull. lib. de Pœnit. Cyprian. lib. 3. ad Quirin. cap.* 20. *Baſil. in Pſal. 33. Hieron. in cap. 1. Malacho Ambroſ. lib. 2. de Vocat. Gentium, cap. 9. Auguſt. tom. 10. ſerm. 214. de tempore, Gregor. Homil. 34. in Evang. & lib. 28. Moral. cap.* 8. Reſpondebimus 2. quòd ex argumentorum ſolutionibus veritas noſtræ doctrinæ clariùs conſtabit. *Quarta.*

Quarta ratio noſtræ doctrinæ, deſumpta ex eo quód timor ſervilis, juxta aliquos PP. numeretur inter dona Spiritús Sancti.

Quia inter cætera Spiritûs Sancti dona numeratur Timor: ſi autem quæras, quiſnam ſit iſte timor? Reſpondet Divus Hieronymus eſſe timorem Dei ſervilem, rectum, & moderatum, ideſt, timorem Dei abſque ſervilitate, prout juſtas pœnas minatur. Et inde, docet hunc timorem non fuiſſe per Iſaiã prædictum de Chriſto propter ſe ipſum, & in propria perſona, ſed propter ejus membra. Idem ſentit Magnus meus Gregorius *Homil. 19. in Ezechielem*, dicens hunc timorem de quo loquitur Iſaias, eum eſſe, quem perfecta Charitas expellit. Idem intelligi videtur ab Auguſtino *lib. 2. de Doctrina Chriſtian. c. 7.* Non autem eſſet timor prædictus donum Spiritûs Sancti, ſi juſtus, & honeſtus non eſſet. Verum quidem eſt non deeſſe Authores, qui cum Divo Thom. judicent donum timoris eſſe timorem filialem, de quo vide *Suar. de Pœnitent. & de Incarnat.* ſic etiam, & communiter hunc timorem, donum ſpeciale Spiritûs Sancti, ab aliis intelligi de timore reverentiali, quibus ſubſcripſimus n. 1. præcedente. Cùm tamen à Docto-

re

re Magno, & Maximo id intelligitur de timore ſervili, dicendum non eſt abſque temeritatis nota eos miſeré erraviſſe, judicando timorem aliàs peccaminoſum, eſſe donum ſpeciale Spiritûs Sancti.

SECUNDA ASSERTIO.

Pœnitentia, ex metu pœnarum orta in deſperationem neque inclinat, neque inducit.

8 HÆc aſſertio rectè infertur ex præcedente. Et probatur *primò*. Quia Spiritus Sanctus non movet aliquem, neque inducit in deſperationis peccatum: ſed Spiritus Sanctus corda movet ad pœnitentiam ex metu pænarum, ſive ex timore ſervili: ergo pænitentia ex timore ſervili, & pænarum metu non inclinat indeſperationem. Confirmatur, quia ſi ex pænitentia, quæ a timore ſervili procedit, ortum duceret deſperatio, ſaltem ſecundariò addeſperandum incitaret, qui ad eam pænitentiam induceret. Minor præjacti fundamenti conſtat ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. ubi ſic: *Contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat cum Spe veniæ, declarat non ſolùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem*, (nota) *verùm etiam donum Dei eſſe, & Spiritùs Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis.* Probatur *ſecundò*. Quia hæc pænitentia, orta ex præfato timore, eſt impulſus gratiæ moventis ad ſanctificationem, *& quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat*, ut loquitur Concilium citato loco: ergo falsò dicitur ad deſperationem movere: cùm enim juſtitia, & deſperationis peccatum pluſquam contrariè opponantur, ut docet communis doctrina cum P. Vaſqueſio, non poteſt ad deſperandum inducere id ipſum, quod ad juſtitiam viam parat. Totum confirmatur expreſſé à *Tridentino* ibidem de hoc ſervili timore dicente: *Hoc enim timore utiliter concuſſi Ninitivæ ad Jonæ prædicationem, plenam terroribus; pænitentiam egerunt, & miſericordiam à Dòmino impetrarunt.* Nunc docere velim ab adverſariis quomodo cum ipſorum doctrina ſtare

Spiritus Sanctus nom movet in deſperationē, inducit tamen ad timorē pœnarum; & pœnitentiam ex metu illarum.

Peccatum, & gratia pluſquā contrariè opponuntur.

ſtare poſſit illa à Concilio Tridentino data, imò & ipſa Sacri Textûs veritas indeficiens? Certum eſt Jonæ ad Ninivitas prædicationem fuiſſe plenam terroribus, ut patet ex *Jonæ* 3. Certum eſt etiam eoſdem perteritos ex ſervili timore, utpote ex pœnarum metu, non deſperaſſe; ſed pœnitentiam egiſſe; unde miſericordiam à Deo conſecutos eſſe, conſtat ex *Matth.* 12. & *Luc.* 11. Quonam ergo fundamento adverſùs Sacri Textus teſtimonia ſanctum eſt, quòd, ſi *ſi ſolus timor ſupplicis animat pœni.entiam, quo hæc eſt magis violenta, eò magis ducit ad deſperationem*?

Propoſitio 60. & reliquæ ſacro Textui adverſantes.

9 Præterea probatur *tertiò* noſtræ aſſertionis veritas. Quia juxta communem Doctorum omnium ſenſum actus timoris ſupplicii, hoc eſt, timoris ſervilis, pertinet ad virtutem Spei, & ab ipſa oritur, atque producitur: ergo timor ſervilis nunquam nos poteſt per effectum pœnitentiæ, quam elicit, ad deſperandum inducere, & inclinare. Antecedens fundatur in eo quòd ad eundem met habitum pertineat & proſequi bonum, & malum oppoſitum averſari, ſiquidem non averſamur malum, niſi ex amore boni: cùm igitur ipſe timor amittendæ Beatitudinis, & æternæ damnationis incurrendæ ſit actus averſans malum oppoſitum virtuti Spei, ab eadem Spe debet procedere. Probrtur conſequentia noſtræ probationis tertiæ. Quia potentia, ſub habitus, & actus illius ſemper tendunt in idem; actus enim eſt formalis tendentia alicujus potentiæ in objectum, ſed Spes nunquam inducit in deſperationem: ergo neque timor ſervilis, quia ab ea procedere, & eſſe illius actus dicitur à Theologis. Imò indiſtingui videtur actus, quo quis ſperat ſe Beatitudine perfrui, Deumque intueri, & actus, quo in inferno timet perpetuò carere Dei viſione intuitiva: ſicut enim idem formaliter eſt; nolle mortem, & vitam velle; ita idem formaliter videtur eſſe Beatitudinem ſperare, & timere ejuſdem privationem. Ratio id ſuadet: quia objectum Spei duo contradictoria proponit, videlicet: aſſecutio Beatitudinis, & non aſſecutio illius: Spes enim dicit eſſentialiter probabile judicium de futuritione, & non futuritione Beatitudinis; quod contradictorium non involvit, aut implicantiam; non enim dicit utrumque ſimul exciturum, ſed diviſim unum, aut aliud. Unde ſicut ex futuritione propoſi-

Timor ſervilis eſt actus pertinens ad virtutē Spei.

Objectum Spei gaudium, & timorem involvit.

ta

ta oritur gaudium in ipſa Spe, juxta illud ad *Rom.* 12. *Spe gaudentes*; quapropter *Div. Thom.* 1.2. *q.* 18. *a.* 1. *ad* 3. inquit quòd illud gaudium *oritur ex certitudine illa ſpei, per quam expectamus Divini boni fruitionem*: ita ex non futuritione oritur timor, qui cùm ſit incluſus in habitu Spei, & veluti ipſius pars, nequit indeſperationem influere per ſe, aut per pænitentiam, quam cauſat. Maneat igitur adverſùs doctrinam damnatæ illius 60. propoſitionis pænitentiam ex metu pænarum ortam in deſperationem neque inclinare, neque inducere.

TERTIA ASSERTIO.

Timor, & manum à peccato cohibet, & cor ab ejus affectu avertit.

10 PRæſens aſſertio inter dogmata Catholicæ Fidei locum tenet, non enim obſcurè habetur ex Cõcilio Tridentino quòd eam aut ſupponit, aut definit, ut ex dicendis conſtabit. Eam ſic probo *primò*. Impius, quandiu retinet affectum ad peccatum, nec deteſtatur illud; non eſt diſpoſitus ad gratiam, & peccatorum remiſſionem obtinendam; atqui timor ſupplicij ad contritionem, & remiſſionem peccatorum per infuſionem gratiæ diſponit, ac præparat: ergo timor non ſolùm manum à peccato cohibet, ſed etiam cor ab ejus affectu avertit. Probatur maior. Quia, affectus ad peccatum, & inclinatio ad illud eſt in illo perſeverantia, itemque eſt obex ad gratiam, ut eſt communis doctrina: ergo qui retinet affectum ad peccatum, potiùs eſt indiſpoſitus ad gratiam recipiendam, quàm diſpoſitus ad illam. Minor conſtat ex Concilio Tridentino ſub anathemate feriente eos, qui oppoſitum docuerint, his verbis in hac ſectione ſæpe relatis ex *ſeſſ.* 14. *de pænitent. Can.* 5. *Si quis dixerit eam contritionem, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, quà quis recogitat annos ſuos in amaritudine Animæ ſuæ, ponderando peccatorum ſuorum multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ Beatitudinis, & æternæ damnationis incurſum cum propoſito melioris vitæ, non eſſe verum, & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, &c. anathema ſit.* Probo *ſecundò*. Ex timore gehennæ oritur aliquando

Timor ſervilis eſt etiá ad gratiam diſpoſitio

do totalis, & omnimoda deteſtatio peccatorum: ergo timor non ſolùm avertit manum ab opere peccaminoſo; ſed etiam cor ab ejus affectu. Probatur antecedens. Iſte actus: *Nolo peccatum committere*, ex timore ſupplicij deductus, eſt omnimodè contradiſtinctus, & diverſus ab hoc alio: *Peccatum vellem committere, niſi extaret ſupplicium*: ergo perperam aſſeritur ſecundum actum eſſe in primo incluſum. Confirmatur, & oſtenditur hoc ultimum antecedens. Objecta unius, & alterius actùs ſunt veré diſparata, & contraria inter ſe, quia objectum primi actùs eſt deteſtatio, & nolitio peccati: objectum ſecundi actus eſt volitio, & proſecutio peccati: ergo illi actus ſunt inter ſe diſtincti, & in ſpecie diverſi. Igitur primus actus abſolutè eſſe poteſt ſine ſecundo. Quapropter qui motus ex gehennæ metu diceret: Nolo peccatum, & in hoc ſiſteret; non haberet unde diceretur in corde non eſſe averſum à peccandi affectu.

In actu timoris ſervilis abſque ſervilitate nullus eſt affectus ad peccatum.

11 Confirmatur hæc doctrina à Sacro Concilio Tridentino *ſeſſ.*14. *cap.*4. ibi enim vel docetur, vel ſupponitur actum deteſtantem peccata, qui oritur ex timore ſupplicij, eſſe adæquaté diſtinctum, & penitus ſeparabilem ab omni actu, peccatum ipſum approbante, & conſentiente: ait enim *Contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnaoum metu communiter concipitur; ſi voluntatem peccandi excludat cum Spe veniæ;;; donum Dei eſſe, & Spiritùs Sancti impulſum.* In quibus verbis Concilium (Spiritu Sancto duce, ac Luce) agnoſcit aliquod donum Dei, & Spiritùs Sancti impulſum. Quæro igitur quale nam ſit hoc donum Dei, & impulſus Spiritûs Sancti? Conſtat ex Concilio nil aliud eſſe, niſi deteſtationem peccati, ex gehennæ, & pænarum metu; non autem diceretur actum illum peccata ita deteſtantem eſſe donum Dei, & Spiritùs Sancti impulſum, ſi adhuc illo poſito, coexiſteret, ſimulque permaneret affectus peccandi. Probo tertiò. Siquis feliciter doleat de peccato eo quòd ſit offenſa JESU Chriſti, quem ſumma ingratitudine offendit, ipſius venerandæ Paſſionis miſeré oblitus; non perinde dicetur conſervare affectum, & voluntatem peccandi contra Deum, Creatorem, Conſervatorem, & infinité amabilem, ſi Chriſti Paſſio non interveniret: ergo neque

Gehennæ metus juxta Concilium Tridentinum ad attritionem movẽs, eſt Spiritûs Sãcti donum.

Satis eſt peccatum deteſtari ex quolibet motivo honeſto.

que ille, qui peccata deteſtatur ex metu pœnarum, dicetur peccatum velle, ſi non eſſent pœnæ. Et utriùſque ratio eſt: quia ſufficit peccatum deteſtari, & ipſum nolle, quocunque motivo honeſto, & juſto; neque requiritur deteſtari illud ex omnibus motivis; atqui metus ex gehenna imminente, & timor ex eo principio conceptus juſtus, & honeſtus eſt, ut patet ex *num.* 5. & aliis ſequentibus: ergo: *Quartò* tandem, & ultimò probatur ex Scriptura, & ipſo facto oſtenditur Catholica veritas. Viri Ninitivæ de facto converſi ſunt ad Deum, & dereliquerunt affectum omnem ad peccata; ut conſtat ex *Jon.* 3. *verſiculo* 10. *Vidit Deus opera eorum, quia converſi ſunt de via ſua mala.* Certum eſt etiam motivum converſionis eorum, & deteſtationis tot peccatorum fuiſſe timorem ſupplicij non ſolùm æterni, ſed temporalis ſimul, ut patet ex eodem *cap. verſ.* 4. *Ad huc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur*: unde ſequitur *verſ.* 5. 6. *Prædicaverunt jejunium, & veſtiti ſunt ſaccis à maiore uſque ad minorem. Et pervenit verbum ad Regem Ninive, & ſurrexit de ſolio ſuo, & abjecit veſtimentum ſuum à ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere.* Quod factum memoratur à Concilio Trident. *Seſſ.* 14. *de Pœnitent. c.* 4. prope finem dicente: *Hoc enim timore utiliter concuſſi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem, plenam terroribus, pænitentiam, egerunt, & miſericordiam à Dòmino impetrarunt.* Falſò ergo, contra veritatem re probatam, & ſacro Textu confirmatam dicitur per timorem manum cohiberi à peccato; affectum verò peccandi non tolli. Ex his rectè colliges illum, qui à peccato abſtinet ex timore ſupplicij, dicendum non eſſe rerum coram Dòmino. Ninivitarũ cõverſio.

QUARTA ASSERTIO.

Baptizatus, legem ex timore ad implens; ad vetus Fœdus non dicendus eſt pertinere.

12 ABſurdum illud huic aſſertioni oppoſitũ, prout in propoſitione 63. continetur, duplici propoſitione, ſive ſuppoſitione, utraque æqué falſa fundatur. Videlicet: *nos non pertinere ad novum Fœdus, niſi quandiu in ſtatu gratiæ perſeveramus*; ut dicitur propoſitione 8. Hæc eſt, ſuppoſitio Fundamenta erroris noſtræ aſſertioni oppoſiti.

tio prima peccatum eſſe *legem implere ex ſolo timore ſupplicij*; ut dicitur propoſitione 64. Hæc eſt ſuppoſitio ſecunda; quibus ſemel admiſſis, recté inferebatur baptizatum adhuc ad legem veterem pertinere, etiamſi novũ Fœdus ex ſolo timore ductus adimpleat. Recté, inquã ex illis præmiſſis inferebatur iſtud abſurdum; quia præſens diſcurſus eſt rectus, ac perfectus, ni obſtaret falſitas. Quicunque peccato infectus eſt, & gratiam non participat, pertinet ad vetus Fœdus, ſicut Judæus: qui legem adimplet ex timore, eo ipſo peccat: ergo pertinet ad vetus Fœdus. Hanc tamen doctrinam corruere, noſtrámque ſuprà fixam aſſertionem ſtare, neceſſe eſt: ſiquidem utraque præjacti diſcurſùs præmiſſa eſt aperté falſa; ut laté expenſum eſt in præcedentibus. Falſitas maioris præmiſſæ conſtat ex *cap. 6. ſect.* 4. in qua oſtendimus peccatorem, ſeu impium ad novum Fœdus etiam pertinere. Falſitas minoris conſtat ex prima aſſertione in hac ſectione affixa à *num.* 5. in qua oſtendimus timorem ſupplicij non eſſe peccaminoſum, ſed eſſe honeſtum, ſanctum, & virtuoſum. Neque eſt cur in hoc amplius demoremur; cùm enim ex his ſatis corruat adverſa doctrina, ſatis etiam ſtabilitur aſſertio ſuprapoſita.

SECTIO II.

Infringuntur argumenta adverſariorum.

Perfecta Charitas expellet timorem ſervilem, non ut malum; ſed ut minus perfectum; quoniam perfectior eſt timor filialis.

1 Argumentum primum. Perfecta Charitas expellit timorem, unde Joan. *primæ cap.* 4. *Perfecta Charitas foras mittit timorem*; ſed Charitas nullam virtutem rejicit: ergo timor ſervilis non eſt virtuoſus, & honeſtus. Confirmatur; quia timor, quem Charitas foras mittere dicitur, non eſt alter, niſi timor ſupplicij, ſeu gehennæ, & quem ſervilem appellamus; quod patet ex Divo Auguſtino *ſerm.* 25. *in Pſal.* 118. dicente: *Hunc timorem, quo pœna metuitur, perfecta Charitas foras mittit, quæ non timore pœnæ, ſed amore juſtitiæ liberos reddit, timor enim iſte, quo non amatur juſtitia, ſed timetur pœna, ſervilis iſte carnalis eſt, & ideo non crucifigit carnem.* Reſpondetur *primò* diſtinguendo maiorem; perfecta Charitas expellit timorem (ſervilem) tanquam malum, nego; tanquam imperfectum,

perfectum, concedo: Unde Caſſianus *collat.* 11. *cap.* 13. inquit: *Perfecta Charitas foras mittit timorem gehennæ, non ut malum, ſed ut imperfectum.* Sic viſio Beata Fidem excludit, non ut malam, ſed quia Fides aliquid quaſi imperfectum continet, videlicet obſcuritatem, quæ ex genere ſuo, & ex proprio conceptu eſt quædam imperfectio, unde ſtatum illum perfectiſſimum Beatitudinis non decet. Vide *Suar. de Fide Diſp.6. ſect.9. n. 7. Hurt. diſp.59. ſect.* 4. §. 15. Conſonat Divus Paulus 1. *ad Corint.* 13. *verſ.* 9. *Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus, cùm autem venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt.* Reſpondetur *ſecundò* cum *Divo Juſtino quæſt.* 98. Divum Joannem eſſe intelligendum de Charitate Patriæ, ubi nullus eſt timor gehennæ; quam ideo appellat Charitatem perfectam. Reſpondetur *tertiò* cum *Magno Tertulliano in Scorpiaco, c.* 12. locum adductum eſſe explicandum de timore mundano, cui Charitas opponitur; quem alij interpretantur de timore ſervili cum ſervilitate; nullus autem Catholicus exponendum ſentit de timore ſervili, hoc eſt ſupplicij, dempta ſervilitate. Neque Auguſtini teſtimonium pluris refert, quàm ſi imbrem in cribrum geras: ſolùm enim loquitur de timore ſervili, quà ſervili, hoc eſt, cum ſervilitate, unde loquendo termino reduplicativo inquit: *ſervilis iſte carnalis eſt*; & Sancti Doctoris mens manifeſtior conſtabit ex dicendis, & adducendis ex eodem Sacto Doctore *num.6. & 7.* pro explicandis aliis ipſius locis, oppoſitum inſinuare viſis.

Multiplex interpretatio ad locum illũ ex 1. Joan. in argumento præjactum.

2 Argumentum ſecundum. Timor ſervilis, quo quis ex pœnarum metu ab opere peccaminoſo abſtinet, neceſſariò includit hanc conditionalem; *ſi nulla pœna impoſita eſſet peccatis, non illa deteſtarer*; ſed præſens conditionalis non eſt honeſta: ergo timor ſervilis non eſt honeſtus; unde corruit aſſertio prima. Vel ſubſume aliter ex eadem maiori: ſed iſta conditionalis non excludit omnem affectum peccandi: ergo ipſe timor non niſi manum cohibet; cor autem adhuc peccato addicitur, quandiu ab amore juſtitiæ non ducitur: unde ſtare nequit aſſertio tertia. Vel denique conclude: ergo peccatur exequendo legem propter timorem hunc; adverſùs quartam aſſertionem. Confirmatur, quia ordinatiſſimum eſt pœnam præferre culpæ: nam culpa eſt malum longè gravius, quàm pœna;

 aſt

aſt qui timet peccatum propter pænam, præfert in eo actu pænam culpæ: ergo ille timor eſt inordinatus, & peccaminoſus; unde rectè dicitur peccare illum, qui legem implet ex timore ſupplicij, æquè, ac ſi legem non impleret. Probatur minor hujus confirmationis. Quia, cùm motivum, & cauſa deteſtandi culpam ſit pæna, is magis timet pænam, quàm culpam; ſiquidem propter quod unumquodque tale, & illud magis.

3. Reſpondeo negando majorem; *primò*, quia eſt omnino, & abſolutè falſa; nam, ut diximus ſectione præcedente *num.* 10. *in probatione ſecunda*, invenitur actus timoris, qui peccatum deteſtatur, quin includatur in ipſo aliqua conditionalis voluntas, aut affectus peccandi; quod puto ibi fuiſſe evidenter demonſtratum. Deinde, quod ad plurimum inferri poteſt, ex deteſtatione peccati propter timorem ſupplicij, eſt, quòd in ipſo actu deteſtante hic alter conditionalis includatur, *ſi peccatum non eſſet dignum ira Dei, illud ex timore non utique deteſtaret.* Hæc autem conditionalis nihil inhoneſtum involvit; nam &ſi non includat deteſtationem peccati ex amore, eam nullatenus excludit; tantùm ab eadem abſtrahit. Hinc facilis aperitur via ad ſolutionem confirmationis præjacti argumenti. Nam licèt inordinatum ſit pænam præferre culpæ, maius ſcilicet malum minori malo; hoc eſt intelligendum ſit præferatur abſolutè, & in actu ſignato ita, quòd ex timore culpæ propter pænam omnimodè excludatur etiam ſignatè omnis actus, per quem, & in quo culpa præferatur pænæ. Non eſt tamen intelligendum, neque dicendum, inordinatum eſſe, pænam præferre culpæ, ſi præferatur tantùm in actu exercito, & præciſivà: ita quod non inde excluſus maneat aliquis alius actus, quo culpa præferatur pænæ: eo modo quo diximus pro argumenti hujus ſolutione. Unde, &ſi quotieſcunque deteſtatur quis culpam propter pænam, magis deteſtetur pænam, quam culpam in actu exercito, & præciſè ex vi hujus actus; non tamen excludit alios actus, quibus præferat culpam pænæ. Quapropter non eſt præfata deteſtatio inordinata. Eſſet tamen, ſiquis abſolutè, & in actu ſignato excluderet per illam deteſtationem, omnes alios actus, præferens culpam pænæ.

Actus timoris ſervilis, & quo modo ipſe culpam deteſtetur, diligenter examinatur.

Ar-

4 Argumentum tertium. In timore culpæ propter pænam includitur iſta conditionalis reſolutio : *Potiùs vellem in culpam incidere, quàm pati pænam illius*; ſed conditionalis iſta peccaminoſa eſt : ergo timor ſupplicij vitioſus eſt. Maior conſtat ex eo quòd timor ſervilis, cùm magis deteſtetur pænam, quàm culpam (hanc enim non niſi propter illam deteſtatur) ſi daretur electio, potiùs vellet culpam, quàm pænam. Minor oſtenditur : quia in nullo caſu, in nulla conditione licet culpam eligere, ut pæna fugiatur : pæna ſiquidem noſtrum in commodum eſt; peccatum offenſa eſt, & injuria contra Deum; aſt Divinus cultus, & honor anteponendus eſt omnium creaturarum commodis. Reſpondetur negando maiorem : licèt enim timor ſupplicij magis deteſtetur pænam, quàm culpam, non inde ſequitur conditionalis illa : *Potiùs vellem in culpam incidere, quàm pati pœnam illius* (caſu quo mihi altera eſſet incurrenda. Sed ſolùm ſequitur quòd in timore ſupplicij, & pæna, & culpa, utraque excludatur, & nullo modo alteri aſſentiatur, cum hac tantùm differentia, quòd pæna excludatur propter ſe, culpa verò propter pænam. Igitur dum dicimus timorem ſupplicij, magis excludere pænam, quàm culpam, nullum ſupponimus affectum, & propenſionem ad culpam potiùs, quàm ad pænam; ſed culpam eſſe objectum materiale deteſtationis in timore ſervili, pænam objectum formale, & rectè : nam timor ſervilis deteſtatur pænam propter ſe, culpam propter pænam, utramque autem, unum tantùm objectum conſtituentem, deteſtatur. Patet exemplo : nam qui fugit venenum propter mortem, quam timet, utrumque deteſtatur, licèt unum propter ſe, ſcilicet mortem; aliud non propter ſe, ſcilicet venenum, quod propter mortem fugit : unum tanquam objectum materiale, aliud tanquam objectum formale. Sic in caſu præſenti pro noſtro intentu.

Timor ſervilis culpā, & pænā deteſtatur : ſed hanc de formali, illam de materiali.

5 Argumentum quartum ex Auguſtini teſtimonijs. *Quòd fit timore pænæ, non dum fit quemadmodum fieri opportet.* Hoc ex Auguſtino ſumitur *Enchirid. cap.* 121. *tom.* 3. Lex autem non impletur niſi per opus, quod fit ſicut oportet; neque enim aliter poteſt vitari peccatum : quapropter idem Auguſtinus *tom.* 2. *Epiſt.* 144. *Inaniter putat victorem ſe eſſe peccati, qui pænæ timore non peccat.* Et ibidem : *Inimicus juſtitiæ eſt, qui pænæ timore*

Videtur Auguſtinum aſſertione noſtram prædamnaſſe.

non peccat. Neque negari poteſt Divum Auguſtinum citatis locis timorem ſervilem condemnaſſe.

Mens Auguſtini in præſenti oſtenditur.

6. Sed contra; quia Divus Auguſtinus innumeris ferè locis ſervilem timorem, ſervilitate avulſa, commendat, ac plurimum allaudat, tanquam medium ad ſalutem aut neceſſarium, aut perutile; unde *tom.* 3. *lib.* 2. *de doctrina Chriſt. cap.* 7. inquit. *Ante omnia opus eſt, Dei timore converti ad cognoſcendam ejus voluntatem, quid nobis appetendum, fugiendumque præcipiat. Timor autem iſte cogitationem de noſtra mortalitate, & de futura morte, neceſſe eſt incutiat, & quaſi clevatis carnibus omnes ſuperbiæ motus, ligno Crucis affigat.* Et *tom.9. tract.9. in Epiſt. Joann.* ita inquit: *Timor quaſi locum præparat Charitati.* Similia docet *in Pſalm.*32. his verbis: *Non facio male, quare? quia timeo: non dum amas juſtitiam, adhuc ſervus es, eſto filius, ſed ex bono ſervo fit bonus filius.* Et *in Pſal.*127. *Caſtus timor hoc habet, quia venit de amore; ille autem timor non dum caſtus præſentiam Domini, & pœnas timet.* Et paulò poſt: *Bonus eſt iſte timor, utilis eſt.* Quid clarius inveniri, aut deſiderari poteſt; ut conſtet Divum Auguſtinum à nobis eſſe?

7. Sed quia non ſatis eſt oſtendiſſe noſtram veritatem, ex Auguſtino conſtare, niſi etiam argumenta ſolvamus, quæ nobis ex Auguſtino objiciunt; reſpondeo primum locum ex citatis *num.* 5. nihil contra noſtram doctrinam continere; dum enim dicit Sanctus Doctor: *Quod fit timore pœnæ, non fit quemadmodum fieri oportet*; non excludit honeſtatem actûs exequentis legem ex timore; ſed negat eum actum eſſe ultimò perfectum; ea ratione ductus, quòd, cùm ultimus ſcopus legis ſit Charitas, actus ille, qui legem exequitur, præterquam ex motivo Charitatis, ultimum perfectionis gradum non eſt dicendus attingere. Conſidera Sancti Doctoris loco præjacto doctrinam: *Omnia igitur præcepta Divina referuntur ad Charitatem, de qua dicit Apoſtolus: Finis autem præcepti eſt Charitas de corde puro, & conſcientia munda, & fide non ficta; omnis itaque præcepti finis eſt Charitas, ideſt, ad Charitatem refertur omne præceptum. Quod verò ita fit vel timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, ut non referatur ad illam Charitatem, quam diffundit Spiritus Sanctus in cordibus noſtris, non dum fit, quemadmodum fieri oportet, quanvis fieri videatur; Charitas quippe iſta Dei, & proximi, & utique in his duobus*

Reſpōdetur ad omnia Auguſtini teſtimonia præjacta.

bus præceptis tota lex pendet , & Prophetæ.

8 Ad illa alia ex eodem Sancto Doctore teſtimonia reſpondetur Divum Auguſtinum nuſquam condemnare timorem ſupplicij, ſi timor prædictus denudatus ſit ab omni affectu peccandi, ut ſupponitur in 4. aſſertione; ſed reprobare tantùm illum timorem, quem ſervilem dicimus cum ſervilitate, qui conſervat peccandi affectum, ſaltem conditionaliter; ut exprimitur hoc conceptu: *Vellem peccare, niſi ſubirem exinde pœnas.* Quòd autem hæc ſit Sancti Auguſtini mens, ſatis conſtat ex eodem *lib. 3. ad Bonifac. contra duas Epiſtolas Pelagianor. cap.* 4. his verbis: *Illi etiam, quicunque ibi erant, ſola quæ ibi Deus pollicetur terrena promiſſa ſectantes, & quid pro novo Teſtamento, ea ipſa ſignificent ignorantes, eorum adipiſcendorum amore, & amittendorum timore Dei præcepta ſervabant, imò non ſervabant, ſed ſibi ſervare videbantur. Neque enim fides in eis per dilectionem operabatur, ſed terrena cupiditas, metuſque carnalis. Sic autem præcepta qui facit, procul dubio invitus facit, ac per hoc in animo non facit; mavult enim omnino non facere, ſi ſecundùm ea, quæ cupit, & metuit, permittatur impune. Ac per hoc in ipſa voluntate intus eſt reus, ubi ipſe, qui præcipit inſpicit Deus.* En habes luce meridiana clarius Divum Auguſtinum præfatis locis intelligendum eſſe de timore ſervili cum ſervilitate, hoc eſt, cum affectu permanente peccandi. Vel etiam de timore mundano, & carnali, ut conſtat ex illis verbis: *Neque enim Fides in eis per dilectionem operabatur, ſed terrena cupiditas, metuſque carnalis.* Et ita interpretanda ſunt alia Divi Auguſtini teſtimonia, nam juxta prædicta intelligitur locus ille *libri 3. ad Bonif. c.4. In ipſa intus voluntate peccat qui non voluntate, ſed timore non peccat.* Itemque alter ille locus *lib.14. de Civit. Dei cap.* 10. *Ea, quæ lex Dei prohibet concupiſcere, peccatum eſt, atque ab his abſtinere timore pœnæ.*

9 Pro quinto abſurdo deducto ex ſequenti propoſitione 63. *Baptizatus adhuc eſt ſub lege ſicut Judæus, ſi legem adimpleat ex ſolo timore*, & adverſùs noſtram quartam aſſertionem ſit: Argumentum quintum. Ex *Divo Auguſt. lib. 3. ad Bonif. cap.*4. Hæc duo valde aperta ſunt. Primum eſt: Timorem non ſufficere ad legis implementum. Secundum eſt, eos, qui legem ex timore tanquam ſervi implent, pertinere ad vetus Teſtamentum; ad Novum enim ſolùm pertinere dicit, qui

An propoſitio 63. patronum habeat Divum Auguſtinum?

ſub gratia poſiti vivificantur à Divino Spiritu: Ergo Auguſtinus nobis adverſari videtur. Antecedens non aliter oſtenditur, niſi ex ipſis Sancti Doctoris verbis citato loco: *Verùm hæc plané magna diſtantia eſt, quòd faciunt iſta ſub lege poſiti, quos litera occidit, terrenam felicitatem, vel cupiditate adipiſcendi, vel timore amittendi, & ideo non verè faciunt; quoniam carnalis cupiditas, qua peccatum augetur, cupiditate alia non ſanatur. Hi ad vetus pertinent Teſtamentum, quod in ſervitutem generat, quia facit eos carnalis timor, & cupiditas ſervos, non Evangelica Fides, Spes, & Charitas liberos; ſub gratia verò poſiti, quos vivificat Spiritus, & Fide iſta faciunt, quæ per dilectionem operatur in Spe bonorum, non carnalium, ſed ſpiritualium; non terrenorum, ſed Cæleſtium; non temporalium, ſed æternorum: præcipuè credentes in Mediatorem, per quem ſibi non dubitant, & ſpiritum gratiæ ſubminiſtrari, ut bene iſta faciant, & ignoſci poſſe cùm peccant. Hi pertinent ad Teſtamontum novum; filij promiſſionis, & regenerati à Deo, patre, & matre libera.* Ex quibus conſtare videtur id, quod ſupra in argumentum deducebatur.

10. Reſpondetur negando aſſumptum. Neque enim *primò* mens eſt Auguſtini, timorem ſervilem abſque ſervilitate non poſſe juſtum eſſe motivum ad legis obſervantiam; hoc enim tantùm docet de timore carnali, & mundano, ſeu ſervili cum ſervilitate, ut conſtat ex illis verbis: *Et ideo non verè faciunt; quoniam carnalis cupiditas; qua peccatum augetur, cupiditate alia non ſanatur.* Ubi *carnalis cupiditas*, quam Sanctus Doctor agnoſcebat in timore, de quo agebat, explicat talem timorem eſſe ſervilem cum ſervilitate; in iſto enim timore ſemper imbibitur cupiditas ad ipſum peccatum. Nec minus patet Divum Auguſtinum ibi fuiſſe locutum de timore mundano, quod ſatis conſtat ex illis verbis; *terrenam felicitatem, vel cupiditate adipiſcendi, vel timore amittendi.* Neque item *ſecundò* dici poteſt docuiſſe Auguſtinum eos, qui legem ex timore implent, pertinere ad vetus Teſtamentum: licèt enim dixerit, *hi ad vetus pertinent Teſtamentum, quod in ſervitutem generat, quia facit eos carnalis timor, &c.* hoc eſt intelligendum, non in rigore literæ, (quæ occidit) ſed per quandam veluti allegoriã; pro cujus propria interpretatione, eſt notandum quòd timor carnalis, alio nomine ſervilis cum ſervilitate, movet homines more ſervorum,

Mens Divi Auguſtini in teſtimonio relato, aperitur.

vorum; ad legis implementum; præterea vetus Teſtamentum figurabatur in Agar, quæ ſervilis erat, & ancilla: unde Divus Paulus ad *Galat.* 4. *v.* 24. inquit: *Duo teſtamenta; unum quidem in monte ſina, in ſervitutem generans, quæ eſt Agar.* Igitur ex convenientia ſervilitatis tum ex parte timoris, tum ex parte Agar, in qua vetus Teſtamentum figurabatur, dicuntur pertinere ad vetus Teſtamentum, quotquot timore ſervili; hoc eſt, more ſervorum legem obſervant; cùm propriùs dicendum eſſet eoſdem repræſentari in Agar. ad inſtar veteris Teſtamenti, quod in Agar fuit adumbratum; ex eo, quia Agar erat ancilla, vetus autem Teſtamentum homines more ſervorum inducebat ad ſui obſervantiam, illud enim colentibus promittebat bona temporalia, & illud non ſervantibus pænas temporales minabatur. Igitur; eatenus pertinere ad vetus Teſtamentum dicuntur, qui legem adimplent ex timore ſervili, quatenus & ipſi, & vetus etiam Teſtamentum adumbrantur in Agar, quæ in ſervitutem generat. Hinc eſt quòd etiam Auguſtinus filios liberæ nominat, qui gratiam participant; reliquos autem, qui peccati captivitate laborant, filios dicit Agar: quia propter ſervitutem peccati non liberæ, ſed ancillæ filij nominari debent; juxta quem ſenſum interpretandus eſt ipſe *Divus Auguſt. lib.* 3. *ad Boniſac. cap.*2.

Ab Auguſtino dicuntur pertinere ad vetus Teſtamentũ ii, qui timore ſervili ducuntur: quia vetus Teſtamentum fuit figuratum in Agar, quæ fuit ancilla.

Juſti ſunt filij liberæ; peccatores fidij ancillæ; quatenus ſerviunt peccatis.

11 Tandem eſt maximè ſciendum, ut Auguſtini doctrina circa hanc materiam perfectè ut oportet percipiatur, quòd in Auguſtini libris legendis ſenſum magis, quàm literam ſcrutari convenit. Hinc eſt quòd Hæretici cujuſcunque temporis, literam ſolummodo ſectantes, errores ſuos, uno vel altero excepto, ex Auguſtino colligi, & prædoceri contendunt. Senſu verò, & Scopo Auguſtinianæ doctrinæ detecto, nulla hæreſis poteſt ſubſiſtere.

12 Hoc patet multis exemplis, ad noſtrum inſtitutum ſervientibus. Quis enim ad primum intuitum negare poterit differentiam illam inter utrumque Teſtamentum, excogitatam ab Hæreticis hujus temporis, ab Auguſtino eſſe deſumptam? Ipſe enim inquit *lib. de Nat. & Grat. cap.* 57. *Quòd ſi ſpiritu ducimini, non adhuc eſtis ſub lege. Sub lege enim eſt qui timore ſupplicij, quod lex minatur, non amore juſtitiæ, ſe ſentit abſtinere ab opere peccati; nondum liber, nec alienus á voluntate peccandi: in ipſá enim vo-*

Fortaſſe videbitur Auguſtinum adverſariis noſtris ſaviſſe.

voluntate reus eſt, qua mallet; ſi fieri poſſet, non eſſe quod timeat, ut liberè faciat quod occultè deſiderat: ergo ſi Spiritu, inquit ducimini, non adhuc eſtis ſub lege, quæ timorem incutit, non tribuit Charitatem.

13 Aſt, ſi ſenſum percalleamus, duo in comperto erunt. *Primum*; Auguſtinum fuiſſe locutum hic, de timore mundano, hoc eſt, de timore pænarum temporalium, quas lex vetus comminabatur. *Secundùm*; quòd lex vetus, cùm impoſita fuerit pro ſervis, & filij ancillæ, ut diximus *cap. 6. num.* 4. lex autem nova pro liberis: rectè dicuntur allegoricé, & per ſimilitudinem, eſſe ſub lege veteri, quotquot non liberi à peccato, legem obſervant, timore mundano ducti. Neque ſibi diſſimilis Auguſtinus, dum *lib.* 3. *ad Bonifac. cap.*4. inquit Abraham, & alios veteris legis juſtos pertinere ad novum Teſtamentum, & Cæleſtem Hieruſalem liberam; reliquos autem impios, & peccatores ad vetus Teſtamentum, & Hieruſalem terrenam; ſervientem cum Agar. Iſtius enim aſſertionis fundamentum, & ſenſus eſt; quia ſancti illi, & juſtificati viri, cùm facti eſſent participes promiſſionis, quæ in lege veteri ſignificata, in nova completa eſt, ad novum Teſtamentum dicuntur pertinere. Impij verò ideo dicuntur pertinere ad Teſtamentum vetus, ut per id ſignificetur eos ſub impietate non eſſe participes illarum promiſſionum, quæ in veteri Teſtamento continentur, & in novo complentur. Unde in ſervitute peccati permanentes, cum veteri Teſtamento adumbrantur in Agar, & ad idem Teſtamentum pertinere dicuntur.

Mens Divi Auguſtini aperitur.

14 Qua præmiſſa intelligendi via, Auguſtinum audiamus citato loco. *Sive igitur Abraham, ſive ante illum juſti, ſive poſt eum uſque ad Moyſen, per quem datum eſt Teſtamentum à Monte Sinà, in ſervitutem generans, ſive cæteri Prophetæ poſt eum, & ſancti homines Dei uſque ad Joannem Baptiſtam, filij ſunt promiſſionis, & gratiæ, ſecundùm Iſaac filium liberæ, non ex lege, ſed ex promiſſione hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti. Abſit enim ut Noè juſtum, & prioris temporis juſtos, & quicunque ab illo uſque ad Abraham juſti eſſe potuerunt, vel conſpicui, vel occulti, negemus ad ſupernam Hieruſalem, quæ mater noſtra eſt, pertinere, quanvis anteriore tempore inveniantur eſſe, quàm Sara, quæ ipſius liberæ matris prophetiam, figuramque geſtabat. Quantò evidentiùs ergo poſt Abraham,* cui

Divus Auguſtinus figuratè, & umbratiè hic loquitur.

cui ſic declarata eſt iſta promiſſio, ut Pater multarum gentium diceretur, quicunque Deo placuerunt, filij promiſſionis habendi ſunt? Non enim ex Abraham, & deinceps juſtorum generatio verior, ſed prophetia manifeſtior reperitur. Ad Teſtamentum autem vetus, quod eſt à monte Sina, in ſervitutem generans, quod eſt Agar, illi pertinent qui cùm acceperint legem Sanctam, & juſtam, & bonam, putant ſibi ad vitam literam non poſſe ſufficere. Et ideo, quia factores legis Divinam miſericordiam non quærunt, ſed ignorantes Dei juſtitiam, & ſuam juſtitiam volentes conſtituere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti. Ex hoc genere fuit illa multitudo, quæ adverſùs Deum in eremo murmuravit, & idolum fecit, & illa, quæ in ipſa terra promiſſionis fornicata eſt poſt Deos alienos. Sed hæc quoque in ſuo vetere Teſtamento valde reprobata eſt multitudo. Illi etiam quicunque ibi erant, ſola quæ ibi Deus pollicetur terrena promiſſa ſectantes, & quid pro novo Teſtamento, ea ipſa ſignificent ignorantes, eorum adipiſcendorum amore, & amittendorum timore, Dei præcepta ſervabant, imò non ſervabant, ſed ſibi ſervare videbantur. Neque enim fides in eis per dilectionem operabatur, ſed terrena cupiditas, metuſque carnalis. Sic autem præcepta qui facit, proculdubio invitus facit, ac per hoc in animo non facit; mavult enim omnino non facere, ſi ſecundùm ea, quæ cupit, & metuit, permittatur impune. Ac per hoc in ipſa voluntate intus eſt reus, ubi ipſe, qui præcipit inſpicit Deus. Tales erant filij terrenæ Hieruſalem, de qua dicit Apoſtolus: Servit cum filiis ſuis, pertinens ad Teſtamentum vetus, à monte Sina, in ſervitutem generans, quod eſt Agar. Et alia his ſimilia in eodem capite reperiuntur, quæ omnia modo ſupra expoſito ſunt intelligenda. Nunc ad ſequentia gradum faciamus, ubi præfatis propoſitionibus cenſuras adaptabimus.

Loquitur Divus Auguſtinus de timore carnali, & mundano.

CA-

CAPUT XXII.

Rejicitur falſa doctrina Propoſitionis LXV. ſtatuentis.

§.

Moyſes, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis mortui ſunt abſque eo quòd nullum Deo dederint filium, cùm non effecerint, niſi mancipia per timorem.

1 DIXIMUS capite præcedenti, ſectione prima, *num.* 1. timorem alium eſſe *filialem*, alium *ſervilem* eſſe. Diximus ibidem illum eſſe timorem ſervilem, quo quis à peccando retrahitur, more ſervorum, ex pænarum, atque ſupplicij metu; illum autem eſſe timorem filialem, quo aliquis ex affectu Charitatis erga Deum timet ipſum offendere; ſic enim cordati filij parentes, quos diligunt, timent offendere. Igitur in hac propoſitione 65. per *ſervum*, ſive *mancipium* intelligitur is, qui ad Deum ex timore accedit, ut ex præcedentibus colligitur; per filium autem is: qui per Charitatem, & amorem Deo conjungitur: unde propoſitione 66. dicitur accedendum eſſe ad Deum *per amorem ſicuti filij*. Aſſerit igitur hæc propoſitio ſexageſima quinta Moyſen, Prophetas, Sacerdotes, & Doctores Legis nullum Deo filium dediſſe, operantem, & agentem ex amore propter Deum; ſed tantùm effeciſſe mancipia, Legem cuſtodentia ex timore ſupplicij. Et tota ratio præſentis aſſertionis (ſuppoſita nequiſſima illa doctriná de timore Dei, tradita in his propoſitionibus) in eo fundata eſt: quòd Moyſes, & Prophetæ, Patriarchæ, ac Doctores per comminationis, ac timoris ſemitam populum ſub lege viventem

Quid in hac propoſitione 65. intelligatur per *filium*, & quid per *mancipium*?

Senſus, & fundamentum relatæ propoſitionis.

tem ad ipſius legis obſervationem ducebant, non autem per amoris, & Charitatis viam: ergò non filios per amorem, ſed mancipia per timorem reliquerunt.

2 Antecedens conſtare videtur ex Sacro Textu; de Moyſe enim (aliis prætermiſſis) habemus quòd, cùm non terram ſolummodo, ſed Cælos etiam, ſe ipſum audituros invitaret, dum populum de peccatis argueret, nihil, quod timorem poſſet injicere, omiſit: nam Deuteronomij *cap.* 32. *verſ.* 18. & ſequentibus inquiebat: *Deum, qui te genuit, dereliquiſti, & oblitus es Domini creatoris tui? Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus eſt, quia provocaverunt eum filij ſui, & filiæ.* Et ait: *Abſcondam faciem meam ab eis, & conſiderabo noviſſima eorum; generatio enim perverſa eſt, & infideles filij. Ipſi me provocaverunt in eo, quod non erat Deus, & irritaverunt in vanitatibus ſuis; & ego provocabo eos, in eo quod non eſt populus, & in gente ſtulta irritabo illos. Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ad inferni noviſſima: devorabitque terram, cum germine ſuo, & montium fundamenta comburet. Congregabo ſuper eos mala, & ſagittas meas complebo in eis. Conſumentur fame, & devorabunt eos aves morſu amariſſimo. Dentes beſtiarum immittam in eos, cum furore trahentium ſuper terram, atque ſerpentium. Foris vaſtabit eos gladius, & intus pavor: juvenem ſimul, ac virginem, lactentem cum homine ſene.*

Moyſis ad populum ſermo terrore plenus.

3 Idem in Prophetis paſſim invenitur. Imò fatetur Concilium Tridentinum *Seſſ.* 14. *de Pœnitent. cap.* 4. prædicationem Jonæ ad Ninivitas plenam fuiſſe terroribus. Confirmari poteſt ex Jeremiæ *cap.* 15. *à v.* 12. his verbis: *Nunquid fœderabitur ferrum ferro ab Aquilone, & æs? Divitias & theſauros tuos in direptionem dabo gratis in omnibus peccatis tuis, & in omnibus terminis tuis. Et adducam inimicos tuos de terra, quam neſcis, quia ignis ſuccenſus eſt in furore meo, ſuper vos ardebit.* Sèd quàm infirmum principium ex præjactis aſſumatur ad præſens aſſertum hujus propoſitionis 65. videbitur ex ſequentibus.

CON-

CONCLUSIO.

Diſſonat Scripturæ Sacræ, Moyſen, Patriarchas, Prophetas atque Doctores, nullum filium, ſed tantum mancipia dediſſe per timorem.

4 Noſtra concluſio eſt de mente Sanctorum Patrum, qui præter Prophetas, Patriarchas atque Doctores, abſque reſtrictione ad aliquod perſonarum genus, alios Dei filios agnoverunt in Veteri Teſtamento. Unde Auguſtinus *lib.3. ad Bonifac. cap.4.* ſic inquit: *Sive Abraham ſive ante illum juſti, ſive poſt illum, uſque ad ipſum Moyſen, ſive cæteri Prophetæ poſt eum, & ſancti homines Dei, uſque ad Joannem Baptiſtam, filij ſunt promiſſionis, & gratiæ.* Div. Thomas *2.p. q. 107. a. 1. ad 2.* ſic habet ſecluſa omni reſtrictione: *Fuerunt aliqui in ſtatu veteris teſtamenti, habentes Charitatem, & gratiam Spiritus Sancti;* aſt ut inquit Div. Paulus ad *Rom.8. Quicunque Spiritu Dei aguntur, ii ſunt filij Dei.*

Multi Dei filij adoptivi per gratiam, in veteri Teſtaméto.

5 Probatur primo, ſupra data reſolutio. Sequeretur enim ex oppoſito, præter Moyſen Patriarchas, & Prophetas atque Doctores, nullos fuiſſe ſub veteri Teſtamento, juſtos ac filios Dei per gratiam; cùm tamen id ſit apertè falſum. Conſtat enim ex *Geneſ.4.* Abel, & Enos fuiſſe juſtos. Item Henoch juſtum extitiſſe coram Deo, ut patet ex Eccleſiaſtici *cap.44.v.16.* & ex Pauli ad *Hebræos 11. v.5.* & ex Geneſ.5. *v.22.* 24. de quo ibi dicitur: *Ambulavitque cùm Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.* Calèb fuit juſtus, Deo gratus, ut conſtat ex *lib.Num. cap.14.* & *Eccleſiaſti.46.* ubi ſic habetur *ipſum ſtare contra hoſtem, & prohibere gentem à peccatis.* De Ezechia Rege legimus *Eccleſiaſt. 48. v. 25. Fecit Ezechias quod placuit Deo, & fortiter ivit in via David patris ſui, quam mandavit illi Iſaias Propheta magnus, & fidelis in conſpectu Dei.* Joſias ſanctus fuit, & juſtus, ut conſtat ex *lib.4. Reg. cap.22.* Ejus laudes magnificat Scriptura *Eccleſiaſtic. 49.* Eleazarus ille invictiſſimus Machabæus, & alij ſeptem ejus fratres pueri generoſi, una cum matre, proliſuæ nobilitate pari, omnes iſti pro legis patriæ obſervatione martyrium crudeliſſimum paſſi ſunt, ut conſtat ex *lib. 2. Machab.*

cap.6.

cap. 6. Et præter Eleazarum, qui Sacerdos erat (ut memorat Divus Gregorius Nazianzenus *orat.20. de Machab.*) ſeptem alij fratres, una & mater, juſti, Sancti, & Martyres coluntur ab Eccleſia; neque tamen iſti erant Sacerdotes, Patriarchæ, Prophetæ, ſive Doctores. Ergo tot exemplis quis neget corruere damnatam illam propoſitionem, ex qua ſemel admiſſa oppoſitum neceſſariò ſequeretur? Neque erit abs ré, ſi hos filios, & matrem, premitias eorum, qui ante Chriſtum ſunt paſſi cum Eleazaro, filios appellem, quos prædicatione, & exemplo peperit, ac Deo dedit Sacerdos, & victima Eleazarus.

Eleazarus Sacerdos fuit; filios per amoré Deo dedit.

6 Conſidera ſacram hiſtoriam, ita mirabiliter ad inſtitutum noſtrum in præſenti contextam, ut candidè appareat præfatos Martyres ab Eleazaro didiciſſe pro honore Dei pati, & mori tanquam filios, qui potiús obire vellent, quàm Deum, quem ut Patrem diligebant, offendere. Habetur enim 2. *Machab. cap. 6. à num.27.* uſque ad finem, & *cap. 7. à num.1.* *Quamobrem* (verba ſunt Eleazari) *fortiter vitâ excedendo, ſenectute quidem dignus apparebo. Adoleſcentibus autem* (nota) *exemplum forte relinquam, ſi pro animo ac fortiter pro graviſſimis, ac ſanctiſſimis legibus honeſta morte perfungar. His dictis confeſtim ad ſupplicium trahebatur. Hi autem, qui eum ducebant, & paulò ante fuerant mitiores, in iram converſi ſunt propter ſermones ab eo dictos, quos illi per arrogantiam prolatos arbitrabantur. Sed cùm plagis perimeretur, ingemuit, & dixit: Domine, qui habes ſanctam ſcientiam; manifeſtè tu ſcis, quia cùm à morte poſſem liberari, duros corporis ſuſtineo dolores, ſecundùm animam verò propter timorem tuum libenter hæc patior. Et iſte quidem hoc modo vitâ deceſſit* (addit Scriptura Sacra) *non ſolùm juvenibus, ſed & univerſæ genti memoriam mortis ſuæ ad exemplum virtutis, & fortitudinis derelinquens. Contigit autem & ſeptem fratres, una cum matre ſua apprehenſos compelli à Rege edere contra fas carnes porcinas, flagris, & taureis cruciatos. Unus autem ex illis, qui erat primus, ſic ait: Quid quæris, & quid vis diſcere à nobis? Parati ſumus mori magis, quàm patrias Dei leges prævaricari. Iratus itaque Rex juſſit ſartagines, & ollas æneas ſuccendi; quibus ſtatim ſuccenſis, juſſit ei, qui prior fuerat locutus, amputari linguam, & cute capitis abſtracta, ſummas quoque manus, & pedes ei præſcindi, cæteris ejus fratribus, & matre inſpicientibus, &c.* Hi autem omnes ſunt martyrio coronati exemplo Eleazari Sacerdotis,

Machabæi fortiſſimi illuſtris fortitudo.

atque Doctoris legis antiquæ, ut plus quam apertè conſtet Sacerdotes Legis dediſſe filios Deo per gratiam dilectiſſimos.

Corruit fundamentum hujus propoſitionis 65. & noſtra concluſio corroboratur.

7 Probatur ſecundò noſtra concluſio, deſtruendo fundamentum, quo damnata illa propoſitio 65. fallò nititur. Ratio potiſſima aſſerendi Moyſen, Prophetas, Patriarchas, Sacerdotes, atque Doctores legis nullum filium reliquiſſe, eſt: quia per timorem non poſſent efficere, niſi mancipia. Atqui hoc eſt manifeſtè falſum. Probo hanc minorem tripliciter. *Primò*; quia adoptio Divina, quá inter Dei filios per gratiam numeramur, non ſemel à timore ſervili, hoc eſt, pœnarum, ſumit inchoamentum. Patet ex illo *Pſal.* 33. *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos*; quod de timore ſervili exponit Divus Baſilius. Item ex illo *Pſal.* 110. *Initium Sapientiæ timor Domini*; quod etiam intelligitur de timore pænæ apud Divum Cyprian. *lib.* 3. *ad Quirin. cap.* 20. Ex quibus congruè probatur ſanctitatem, quæ apud Pſalmiſtam dicitur Sapientia, incipere à timore: & filios debere incipere ex timoris doctrina. Idem colligitur ex illo *Iſaiæ* 26. *A facie tua Domine concepimus, &c. Domine, in anguſtia requiſivimus te.* Ubi LXX. *Domine propter timorem tuum.* Et ibi Divus Hieronymus, *ut ex timore, & recordatione Domini ſermonem concipiamus Dei, & illuminetur cor noſtrum.* Accedit illud Eccleſiaſtici 25. v. 16. *Timor Dei initium dilectionis ejus.* Et illud Proverb. 14. 27. *Timor Dei fons vitæ.* Unde Auguſtinus *ſerm.* 13. *de verbis Apoſt. Timor ſervus eſt Charitatis*; quia antecedit, diſponens, & quaſi viam præparans Charitati. Et *Epiſt.* 50. *Quem maior timor compulit ad Charitatem, ejus perfecta Charitas foras miſit timorem.* Timor ergo compellit ad Charitatem ſed qualis timor? Utique ſervilis, non filiàlis, quia Charitas non expellit iſtum, ſed illum. Tandem ipſe Auguſtinus *lib. de Catechiz. rudib.* inquit: *Ipſa etiam ſeveritate, qua corda fidelium ſaluberrimo terrore quatiuntur, Charitas ædificanda eſt.*

Timor ſervilis valde inſervit ad amorē Dei conſequendū.

8 Igitur hæc omnia vel docent, vel ſupponunt timorem eſſe principium, ſeu potiùs diſpoſitionem ad juſtificationem per gratiam, Deo ita ordinante; licèt non ſit abſolutè dicendum timorem eſſe juſtificationis initium. Aliud enim eſt, quòd timor ſervilis ſit ad juſtificationem principium; aliud, quòd ſit principium juſtificationis. Illud primum ſignificat quòd timor ſit gradus, per quem ad juſtificationem, Deo dante, pervenitur

venitur

venitur diſpoſitivé. Hoc ultimũ deſignat timorem eſſe partem intrinſecam, & productivam juſtificationis. Et juxta ſenſum tenendũ, dicitur à Div. Thom. 3. *p.q.* 85. *art.* 5. *Poſſumus loqui de pœnitentia, quantũ ad actus, quibus Deo operanti in pœnitentia cooperamur. Quorum actuum primùm principium eſt Dei operatio convertentis cor, ſecundùm illud Threnor. cap. ultimo.* Converte nos Dòmine ad te, & convertemur. *Secundus actus eſt motus Fidei. Tertius eſt motus timoris ſervilis, quo quis timore ſuppliciorũ à peccatis retrahitur. Quartus eſt motus Spei, quo quis ſub Spe veniæ cõſequendæ aſſumit propoſitum emendandi. Quintus actus eſt motus Charitatis, quo alicui peccatũ diſplicet ſecundùm ſe ipſum, & non jam propter ſupplicia. Sextus actus eſt motus timoris filialis.* Et juxta hanc doctrinam ſervilis timor ſuppoditur prævius ad Charitatem, & timorem filialem.

Timor ad juſtificationé diſponit.

9 Probatur *ſecundò* illa minor præcipua. Quia timor Dei eſt via, & præparatio ad æternam Gloriam poſſidendam; dicitur enim Eccleſ. 2. *Qui timent Dòminum, cuſtodiunt mandata illius, & patientiam habebunt, uſque ad inſpectionem illius.* Et ejuſdem Eccleſ. 45. *Phinees filius Eleazari, tertius in gloria eſt, imitando eum in timore Dòmini.* Si autem per timorem non niſi mancipia fierent, nullus per illum adGloriam perveniret; qualis enim eſt mancipiorum gloria? Ducit autem ipſe timor ad Gloriam, quæ filiis præparata eſt, juxta illud Apoſtoli *ad Rom. cap.* 8. *Si autem filij, & hæredes*; quia per timorem à peccando retrahimur, ut inquit Div. Thomas ſupra relatus: item, quia, ut docet Div. Auguſtinus in *Pſal.* 32. qui per timorem ſunt ſervi, filij efficiuntur per gratiam; unde ſic ait: *Adhuc ſervus es; eſto filius. Sed ex bono ſervo fit bonus filius.*

Timor Deî via ad Beatitudinem ducens, & quomodo?

10 Probo *tertiò* eandẽ minorem. Quia Ninitivæ gratiam Divinam, Divinamque miſericordiam, converſi à viis ſuis malis, conſecuti ſunt; & tamen illorum converſio incepit à terrore, & timore, quo ad Jonæ prædicationem concuſſi ſunt. Ergo ex timore etiam poſſunt præparari, & oriri filij per amorem. Utraque præmiſſa conſtat ex ſacro Textu, *Jonæ cap.* 3. Et confirmatur ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 14. *c.* 4. dicente: *Hoc enim timore* (ſcilicet pænarum, & gehennæ) *concuſſi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & miſericordiam à Dòmino impetrarunt.* Ex quibus non amplius locus remanet aſſerendi Prophetas nullum Deo filios dediſſe, ſed tantùm mancipia per timorem; ſiquidem ex Jonæ Prophetæ

Ninivitarum converſio ad Deum à timora incepit.

prædicatione aperta fuit Ninivitis per timorem, & præparata ſemita ad gratiam, & amorem contritionis, unde ex ſervis filij redderentur. Hinc, locum habet ad noſtram doctrinam confirmandam, illud Eccleſiaſtici *cap.* 2. *Metuentes Dominum ſuſtinete miſericordiam ejus.* Et iterum: *Qui timetis Dominum ſperate in illum, & in oblectationem, veniet vobis miſericordia.* Itemque illud ejuſdem capitis: *Qui timent Dominum præparabunt corda ſua, & in conſpectu illius ſanctificabunt animas ſuas. Qui timent Dominum, cuſtodiunt mandata illius, & patientiam habebunt, uſque ad inſpectionem illius.* His autem omnibus Sacræ Scripturæ locis, contradicit damnata hæc propoſitio 65.

11 Noſtra ſuprapoſita concluſio, probatur *tertiò*, ex eo quod falſum ſit id quod ad ad aſſertionem oppoſitam eſt aſſumptum: Moyſen ſcilicet & Prophetas, Sacerdotes atque Doctores, ſolum per timorem, doctrinæ & prædicationi dediſſe operam; contrarium enim, ſæpe in ſacro Textu comperitur. Quis enim negare ſit auſus, Abraham, Iſaac, & Jacob, Chriſtum venturum, filiis prædicantes, Deum ſcilicet hominem, motivum potius amoris, quam timoris propoſuiſſe? Præterea; ſi attentè legatur, Deuteronomij caput 32. planum erit, Moyſen ad converſionem populi ingratiſſimi, innumera elegiſſe argumenta, æquè omnia amorem ſonantia, ad perfectam contritionem & dilectionem Dei, audientium corda ſummopere excitantia, timorem nullatenus inducentia. Inquiebat enim. *Hæccine reddis, popule ſtulte, & inſipiens? Nunquid non ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creavit te? Memento dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas; interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi. Quando dividebat Altiſſimus gentes, quando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum juxta numerum filiorum Iſrael. Pars autem Domini populus ejus; Jacob funiculus hæreditatis ejus. Invenit eum in terra deſerta, in loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis: circumduxit eum, & docuit, & cuſtodivit, quaſi pupillam oculi ſui. Sicut aquila provocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit manus ſuas, & aſſumpſit eos, atque portavit in humeris ſuis. Dominus ſolus, dux ejus fuit; & non erat cum eo Deus alienus. Conſtituit eum ſuper excelſam terram, ut comederet fructus agrorum, & arietum filiorum Baſan, & hircos cum medulla tritici, & ſanguinem*

Patriarchæ, & Moyſes, per amoris ſemitâ homines ad converſionem excitantes.

uvæ biberet meraciſſimum. Incraſſatus eſt & recalcitravit; incraſſatus impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo, ſalutari ſuo.

12 Hæc omnia contritionem reſpirant, contritio eſt enim, peccatorum deteſtatio propter Deum ſummè dilectum, & amabilem ſupra omnia. Scopus autem iſtius prædicationis Moyſaicæ totus erat, quòd populus agnoſcens propriam erga Devm ingratitudinem, reſipiſceret à peccatis, queis contra Deum optimum amabilem, Benefactorem, & Patrem ejus egerat. Atqui contritio neceſſariò involvit amorem Dei perfectiſſimum, & ſupernaturalem: ſive formaliter, ut docet Divus Thomas *in 4. diſt. 17. q. 2. art. 3. quæſtiunc. 1. ad 4.* Paludanus *quæſt. 1. art. 6. Divus Bonavent. diſt. 16. art. 2. q. 1.* Navar. *in ſum. c. 1. n. 4.* Alenſis, Caietanus, & alij; ſive tantùm virtualiter, ut inſinuaſſe videtur Divum Thomam, *in 4. diſt. 14. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 2.* Et Paludanus ibidem *quæſt. 3.* quòd etiam expreſſé tenent Gabriel *quæſt. 1. art. 2. concl. 5.* Sotus *quæſt. 2. art. 5. ad 4.* & expreſſius *lib. 2. de Nat. & Grat. cap. 16. & 17.* Vega *lib. 13. in Trident. cap. 21.* Ergo Moyſes non ſolùm per timoris, ſed etiam per amoris viam populum excitabat ad cõverſionem. Unde, quamvis per timorem, non filij, ſed tantum mancipia efficerentur (quod eſt falſum, ut hucuſque oſtendimus) adhuc Moyſes per amorem filios Deo redderet.

Contritio quid ſit?

Contritio involvit perfectã Charitatem, ſivé formaliter, ſive virtualiter.

13 Probatur quartò: quia ut conſtat ex *cap. 32. & 33. Exodi*; poſtquam populus ille à Moyſe perductus in idolatriam incidit: ipſo populo peccatum lugente, Moyſeque deprecante, Dei ira in populum ſedata eſt; & delicti venia conſecuta; atqui hoc non niſi per amorem fieri potuit; ergo. Minor conſtat; nam ex Auguſtino *lib. de vera & falſa pœnitentia cap. 9. & 17. Sine amore, nemo unquam gratiam invenit.* Et *lib. 2. contra Creſcon. cap. 12. Quæ* (Charitas) *ſi abſit, cætera fruſtra fiunt.* Tandem *ſerm. 7. de temp. Veram pœnitentiam non facit niſi odium peccati & amor Dei.* Juxta hunc ſenſum, dicitur *Luc. 7. Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Igitur, quia peccatum idolatriæ fuit remiſſum, infertur amorem Dei non defuiſſe prædicto populo.

Populus à Moyſe perductus, amorem Dei habuit.

14 Pro ſolutione fundamenti hujus erroris, initio hujus capitis relati; reſpondeo: Moyſen, Prophetas, Doctores, &

Solutio ad argumentum pro hoc errore poſitum.

Sacerdotes legis, aliquando terroribus plenas habuiſſe conciones; tenendum tamen eſt, ipſum timorem valdè inſervire, ad converſiouem & amorem, ut lucidè apparet ex dictis *num.* 7. & deinceps. Si autem alia occurrant argumenta, facilè reſolvi poſſunt ex doctrina capitis præcedentis.

Hujus propoſitionis cenſura.

15 Quæres: quanam cenſura digna ſit iſta propoſitio? In primis certum eſt, ex illius refutatione, eam eſſe falſam & erroneam; deinde eſſe temerariam: ex eo quòd in re graviſſima abſque fundamento procedat. Eſt etiam hæretica hæc propoſitio, quia Sacro Textui adverſatur; & quia deducitur ex quinque immediatè præcedentibus, quæ etiam hæreticæ ſunt, Calvini, & Lutheri dogmatibus faventes.

CA-

CAPUT XXIII.

Exponuntur fundamenta doctrinæ Sanctæ Matris Eccleſiæ damnantis ſequentes propoſitiones.

1 PRÆSENTIS temporis Hæretici eis abs dubio accedunt, de quibus *Pſal.* 35. & *ad Rom.* 3. dictum eſt: *Non eſt timor Dei ante oculos eorum.* Neque enim timorem Dei dicetur cognoſcere qui ſequentes profert propoſitiones.

PROPOSITIO LXVI.

Qui vult Deò appropinquare, nec debet ad ipſum venire cum brutalibus paſſionibus, neque adduci per inſtinctum naturalem, aut per timorem, ſicut beſtiæ, ſed per Fidem, & per amorem, ſicut filij.

PROPOSITIO LXVII.

Timor ſervilis non ſibi repræſentat Deum, niſi ut Dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem.

2 IN quarum propoſitione duplex eſt error; *primus* damnans eos, qui ad Deum accedunt, ducti per inſtinctum naturalem. *Secundus* illos exprobrans, qui Deo appropinquant per timorem ducti; more (ut inquiunt) beſtiarum, quæ ſolo inſtinctu naturali trahuntur, & non niſi flagellis retrahuntur. Uterque error merito damnatur in hac propoſitione 66. ut ex ſequentibus fiet planum. Errores propoſitionis 66.

SEC-

SECTIO I.

Impugnatur uterque error, in LXVI. propoſitione contentus.

1 IStius propoſitionis error duplicem partem includit. Prima pars errat circa naturalem inſtinctum. Errat ſecunda circa timorem. In prima parte hujus erroris dicitur non eſſe Deo appropinquandum per inſtinctum naturalem. Eſt autem inſtinctus inſtigatio, ſive admonitio, quæ aliquando ſumitur pro Divino afflatu, unde Cicero 1. *de Div. Oracula, quæ inſtinctu, Divinoque afflatu funduntur.* Aliquando (ut in præſenti) pro ſuaſu, & impulſione naturali; ſive ratione prævia, ut in hominibus: ſive nullo præeunte diſcurſu, ut in brutis. Quapropter Deum naturali inſtinctu quærere eſt ad ipſum accedere, ratione naturali ipſam voluntatem humanam movente, ac ducente. Igitur abominatur hæc propoſitio 66. quòd quis ad Deum accedat inſtinctu, & ratione naturali ductus.

Inſtinctus naturalis quid ſit.

2 Aſt immerito. Ratio eſt; quia Deus non ſolùm eſt amabilis amore ſupernaturali in entitate, ſed etiam amore in entitate naturali. Sed qui Deum quærit ex inſtinctu naturali, illum amat ſecundùm propriam rationem, per quam eſt amabilis: ergo illum laudabiliter amat. Conſequentia firmatur; quia omnis actus, qui eſſentialiter dirigitur ad objectum honeſtum, & laudabile, tanquam ratio propria reſpiciendi illud, eſt honeſtus; ſunt enim correlativa tranſcendentia objectum, & actus ad illud; ſicut enim foret impoſſibile objectum honeſtum, ſi eſſet impoſſibilis honeſtus actus ad illud, ita ſimiliter implicaret actus honeſtus ad honeſtum aliquod objectum, ipſo objecto honeſto implicante. Maior eſt omnium Theologorum, dividunt enim amorem benevolentiæ erga Deum in naturalem, & infuſum, ut videri eſt apud Divum Thom. *Quodlibet* 4. *art.* 8. & 1. *p. q.* 60. *art.* 5. *in corpore*, itemque apud *Alenſ.* 2. *p. q.* 90. *memb.* 1. *a.* 1. Non autem daretur amor naturalis erga Deum, ſi Deus non eſſet ipſo amore naturali amabilis. Minor eſt pluſquam evidens, nulla enim probatione caret: quia notiſſimum eſt omne, & qualecunque bonum ſub

Deus eſt amabilis amore naturali, & ſupernaturali.

ea

ea ratione, in qua bonum eſt, eſſe amabile, objectum nanque voluntatis eſt bonum; Deus autem ut optimum naturale bonum eſt objectum voluntatis: ergo & ſub ea ratione eſt amabilis.

3 Corroboratur hæc doctrina firmiſſimo fundamento omnem evaſionem præcludens. Qui Deum naturali inſtinctu quærit, ducitur ex hoc principio: *Auctor naturæ propter ſe ipſum eſt amabilis*; atqui objectum iſtius proſecutionis eſt bonum, & honeſtiſſimum; inſuperque dictamen movens ad illud etiam eſt rectum, ac bonum: ergo & ipſa proſecutio bona eſt. Maior conſtat; neque enim qui ad Deum accedit ex inſtinctu naturali, ad aliud objectum abs Deo tendit, neque impellitur ex alio principio. Minor oſtenditur quo ad utramque partem; quia, cùm Deus ſit ſummé bonus, etiam ut Author naturæ, qui illum ſub ea ratione quærit, in bonum tendit. Deinde illud memoratum dictamen bonum, & honeſtum eſt; aliàs hoc dictamen, illi contradictorié oppoſitum, *Author naturæ non eſt amabilis propter ſe*, bonum, & honeſtum eſſet; quod eſt abſurdum: nam ex eo quòd creatum, & limitatum aliquod bonum ſit propter ſe amabile, à fortiori, & multò magis erit propter ſe amabile bonum illud increatum, infinitum, illimitatum, & fons totius bonitatis. Conſequentia recté ſequitur: quoties enim objectum, quod amatur, eſt honeſtum, & motivum ad illud inducens etiam honeſtum eſt, actus neceſſariò evadit bonus, & honeſtus; niſi forté depravetur à fine: finis autem iſtiuſmodi proſecutionis actum depravare non poteſt, eſt enim ipſe Deus cauſa finalis ejuſdem proſecutionis, ut colligitur ex actu intellectûs illam dictante; in illo enim ſic dicitur; *Author naturæ eſt diligendus, eſt amabilis* (nota finem honeſtiſſimum) *propter ſe.*

4 Alia via oſtendendam aſſumo falſitatem iniquæ illius propoſitionis, deducto fundamento ex Sacro Textu. Dicitur enim ad *Rom.* 1. *v.* 18. & ſequentibus: *Revelatur ira Dei de Cælo ſuper omnem impietatem, & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in juſtitia detinent: quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt illis, Deus enim illis manifeſtavit: inviſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus, & Divinitas ita, ut ſint inexcuſabiles. Quia, cùm*

Increpantur ab Apoſtolo qui ſaltem naturali inſtinctu manuduci cõtépſerunt adDeum glorificandum.

cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Quibus verbis Apoſtolus eos arguit, qui Deum glorificare noluerunt, non ex eo quòd per Fidem, & amorem ſupernaturalem id agere noluiſſent; ſed quia, cùm naturalis ratio, & inſtinctus eoſdem perduceret ad glorificandum Deum, eodem inſtinctu manuduci ad Deum glorificandum noluerunt.

5 Quòd autem hæc ſit propria & literalis interpretatio relati teſtimonij Divi Pauli patet ex Suar. *de Grat. lib.* 1. *cap.* 29. *num.* 14. & ex ipſis verbis Apoſtoli aperté conſtat: loquitur enim de Gentilibus, in queis nec Fides, nec amor eſt; quos tamen inexcuſabiles judicat à peccato, quippe qui debebant ad agnitionem, & glorificationem Dei venire, eundem naturali lumine inquirentes, ex creaturarum ſcilicet cognitione, unde additur: *Quod notum eſt eis, manifeſtum eſt illis, Deus enim illis manifeſtavit, inviſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Sempiterna quoque ejus virtus, & Divinitas ita, ut ſint inexcuſabiles; quia, cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt.*

6 Idem habemus ex *Actor. cap.* 14. *v.* 15. & 16. Ubi Apoſtoli Barnabas, & Paulus, de Gentibus infidelitate laborantibus, loquentes eas arguebant, quòd, cùm habuerint teſtimonium naturale, quo ad Deum poſſent venire, eo arbitrij libertate malé uſi ſunt. Unde fit debuiſſe Gentiles naturali teſtimonio, naturæque inſtinctu ad Deum venire, aliàs fuiſſet in utile Apoſtolorum argumentum: neque Gentium illi Magiſtri ab Spiritu Sancto edocti, vanum illud argumentum ad prædicationes aſſumerent. Hæc in præſenti Sanctæ Matris Eccleſiæ doctrina jam dudum fuit à SS. Patribus tradita, non enim parum videtur inſinuata à Divo Gregor. *Hom.* 27. *in Evang.* Clariùs autem à Divo Baſilio in *Regulis* dicente: *Inſita homini naturalis etiam quædam rationis eſt via, quæ in ſe ipſa amandi neceſſitudinis initia continet.* Et infra: *In ipſo ortus noſtri initio vim quandam nanciſcimur, per quam noſtra ſponte ad ipſum diligendum impellimur.* Oppoſita doctrina proſcripta eſt à multis Summis Pontificibus inter errores Michaelis de Baij; cujus hæc fuit 36. propoſitio: *Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex ſola*

Oppoſita doctrina damnata eſt à Sede Apoſtolica.

ſola Philoſophia per elationẽ præſumptionis humanæ cum injuria Crucis Chriſti defenditur à nonnullis Doctoribus.

7 Altera pars erroris propoſitionis LXVI. docet non eſſe ad Deum accedendum per timorem; quod quidem abſurdum latis manet impugnatum toto capite 22. ubi timorem ſervilem fuſé commendavimus. Hic tamen ſpecialiùs damnatur præfatus error; nam paſſim à Conciliis, & Patribus laudantur qui ad Deum ex timore accedunt: idque expreſſé habetur in Tridentino *ſeſſ.* 6. *Can.* 8. dicente: *Gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei, de peccatis dolendo confugimus, bonum eſſe.* Nec video qualiter compati ſimul poſſint Concilij reſolutio, & hujus propoſitionis aſſertio, ſtatuens non eſſe accedendum ad Deum per timorem. Imò Divus Auguſtinus de *Catechiz. rud. cap.* 5. inquit rariſſimè accidere, ut quis ad Fidem veniat, niſi commotus prius ſit per timorem.

Impugnatur altera pars propoſitionis 66. docens non ad Deum accedendum per timorem.

8 Ratione etiam impugnatur idem error. Duobus enim modis poteſt quis ad Deum venire per timorem ductus. *Primò*: timore concurrente, & movente, tanquam occaſione excitante hominem, ut agnoſcat quid boni, quid vè mali ſit in opere peccaminoſo; quo pacto dicitur: *Afflictio dat intellectum. Secundò*; ipſo timore concurrente per modum finis; qui enim aliquod malum efficaciter timet, intendit vitare illud, ex qua intentione eligit media neceſſaria ad ipſum malum, qui eſt finis, vitandum. Qui ergò priori modo timore ductus ad Deum venit, non eſt dubitandum laudabiliter accedere. Ratio eſt: quia hic acceſſus ad Deum nihil, quod ſit malum, aut turpe, reſpicit; nam ille timor, quo ita quis accedit ad Deum, non ſe habet niſi ad inſtar occaſionis, ſeu cauſæ extrinſecæ: quapropter, etiamſi timor ſervilis peccaminoſus eſſet, nullum defectum, aut malitiam poſſet communicare præfato acceſſui ad Deum. Ita patet: quia ad operandum bonum, etiam ex pravo actu, bonum eſt occaſionem ſumere. Non quòd malus actus ea de cauſa committendus ſit; ſed quòd illo ſuppoſito, non ſit malum, ſed bonum, illo ut occaſione uti ad bene operandum. Atqui accedere ad Deum actus eſt bonus: ergo ex timore ſervili (etiamſi ſanctus, & honeſtus non eſſet) poteſt quis juſtè, & laudabiliter ad Deum accedere; ipſum timorem veluti occaſionem habendo, ut ad Deum accedat.

Ad bene operandum licét etiam ex pravo actu occaſionem ſumere.

Poſte-

9. Poſteriori autem modo, qui ad Deum accedit ex timore ſervili, tanquam ex fine proximo, non tamen excludendo debitum finem ultimum, etiam recté, juſté, & honeſté accedit. Probatur: Quia in eo accedendi modo intentio finis eſt bona ex objecto ſuo; eſt enim voluntas fugiendi pœnam, quæ quidem eſt odio digna. Medium etiam eſt bonum ex objecto; nam medium ad illum finem eſt fugere, ac deteſtari peccatum, quod, ut patet, eſt honeſtum. Proſtremo ordinare prædictum medium ad illum finem proportionatum eſt, ſicut enim pœna non debetur, niſi propter culpam, ita nullum medium eſt aptius ad vitandam pœnam, quàm vitare culpam. Ergo ex hoc etiam modo accedendi ad Deum per timorem nulla oritur indignitas. Tandem: qui per timorem ad Deum accedit, neque actum depravat ex termino *á quò* per actum fugæ; neque ex termino *ad quem* per actum proſecutionis: nam terminus *ad quem* eſt ipſe Deus, qui depravare nequit actum, quem terminat; terminus *á quo* eſt peccatum, quod eſt proprius terminus à quo, actui fugæ connaturalis.

Non eſt inordinatũ ad Deũ accedere ex animo vitandi, & fugiẽdi pœnam.

10 Neque eſt dicendum deformitatem iſtiuſmodi actûs in eo conſiſtere, quòd ita ſit unus actus ad alium ordinatus ex eo, quòd Deus propter ſe, & non ex timore inquirendus ſit. Non inquam hoc eſt dicendum; nam is, qui ad Deum per timorem accedit, non rejicit amorem; ſed viam præparat ad Charitatem, dum timore duce ad Deum accedit. Ex his facilè deducitur, hanc propoſitionem, quo ad eam partem, in qua ſtatuitur non eſſe accedendum ad Deum per naturalem inſtinctum; & quo ad alteram partem docentem per timorem etiam ad Deum accedendum non eſſe, ut hæreticam eſſe damnandam: præfata enim dogmata, partim ſacræ Scripturæ opponuntur, partim Conciliis ſunt oppoſita, ut conſtat ex ſuprà dictis.

Cenſura propoſitionis 66.

SEC-

SECTIO II.

Reſpondetur objectionibus adverſariorum.

1 PRima objectio. Poſſe hominem ad Deum accedere inſtinctu naturali Pelagianũ potiùs eſt quàm Catholicum: ergo ſuſtineri non poteſt licere homini ad Deum per inſtinctum naturalem accedere. Antecedens conſtat; quia Pelagiani media ad ſalutem (Fidem intellige, & merita) naturæ tribuebant; Catholici verò non naturæ, ſed gratiæ. Si autem quis poſſet ad Deum accedere per inſtinctum naturalem, poſſet utique & eodem inſtinctu credere. Poteſt in confirmationem doctrinæ oppoſitæ adduci primò illud *Joan.* 6. *v.* 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Secundò illud Divi Auguſtini *lib.* 4. *contra Julian. cap.* 3. *Amor Dei, quo pervenitur ad Deum, non eſt niſi à Deo.* Similiter *Serm.* 15. *de verbis Apoſtoli* ſic dicentis: *Deus non amatur, niſi de Deo.*

2 Reſpondetur negando antecedens; quod ut clariùs conſtet, notandum eſt duobus modis dici poſſe quòd homo valeat ad Deum naturali inſtinctu accedere. Primo: quia poteſt homo inſtinctu naturali ductus Deum cognoſcere, primam ſui cauſam, Creatorem, Conſervatorem, &c. quam de Deo cognitionem nulli Deus hominum denegat in illo inſtanti morali, quo intellectus humanus primò aperitur, quo ſenſu intelligitur illud *Joan.* 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; ut placet Divo Cyrillo apud Gonet. *tom.* 3. *diſp.* 9. *de Peccato mortali, & veniali, art.* 7. Illud etiam *Matth.* 20. *Exiit primo manè conducere operarios in vineam ſuam.* Ubi *primo manè* idem eſt, ac in prima luce libertatis creatæ, uſûſque rationis; ut ait Chryſoſtomus *Hom.* 60. *in Matth.* Ex hac de Deo cognitione debet ſe homo ſtatim ad Deum convertere, vel implicitè, per quoddam propoſitum fugiendi omne malum, & obſervandi bonum morale, vel explicitè per actum amoris erga Deum, ut talem, cognitum per lumen naturale: quod quidem eſt Thomiſtarum apud Gonet. citatum. Et quanvis illa cognitio neque ad Fidem ſupernaturalem, neque ad ſalutem, neque

Duplex modus accedendi ad Deum per inſtinctum naturalem.

Primus ex cognitione primæ cauſæ.

neque ad ejuſdem initium ſufficiat, (hoc enim foret Pelagianum) ſatis eſt ille naturalis inſtinctus; ut homo per aliquem naturalem affectum, ſaltem imperfectum, ad Deum poſſit venire, & aſſurgere ad aliquam glorificationem Dei, & gratiarum actionem pro receptis beneficiis, ut docet Suarius de *Grat. lib.* 1. *cap.* 29. *n.* 14.

Secundus ex cognitione offenſæ Dei.

3 Adhuc eſt alter naturalis modus, quo poteſt homo ratione naturali, & inſtinctu duci, ut ad Deum accedat: ſi enim loquamur (ut eſt iſtius loci proprium) de homine jam Fidem habente, cùm agnoſcat naturaliter peccatum eſſe offenſam Dei, poteſt naturæ viribus de peccato prout offenſa Dei dolere, conſequenterque aliquo modo, ſaltem diſpoſitivé ad Deũ venire, qui enim ab uno contrario recedit, ad alterum terminum aliquo modo accedit.

Poteſt quis naturaliter cognoſcere Deum propriis peccatis offendi.

4 Hic dicendi modus, plura includit, quæ tamen omnia ſunt oſtendenda. Primò igitur ſuppono poſſe ab homine naturali ratione, & inſtinctu cognoſci propriis peccatis Deum offendi; quod licét Scoto non placeat *in* 4. *diſt.* 14. *q.* 3. neque Durando *q.* 1. traditur à Suario, & à Vega *lib.* 13. *in Trident. Can.* 25. doceturque à Tertulliano *lib. de Pœnitent. cap.* 5. ibi: *Ignorantes Dominum nulla exceptio tueatur à pœna; quia Deus in aperto conſtitutus eſt, & vel ex ipſis rebus comprehenſibilem ignorare non licet.* Ubi, ut notat Suarius, non loquitur Tertullianus tantummodo de cognitione Dei abſoluté, ſed quatenus peccatis noſtris offenditur: hæc enim eſt cognitio, quæ non excuſat à propria pœna peccato debita. Et ratio iſtiuſmodi aſſertionis eſt; quia Divina Providentia cognoſcitur lumine naturali, & conſequenter Deum eſſe univerſalem gubernatorem, & Legislatorem, item cognoſcitur Deum eſſe finem ultimum naturalem hominis, in cujus conſecutione naturalis beatitudo conſiſtit; quapropter ipſe eſt à nobis ſummè diligendus. Suppoſitis autem his principiis, non obſcurè colligitur Deum offendi peccatis hominum; vel quia ſupremi Gubernatoris, & Legislatoris præceptum, & obedientia contemnitur, vel quia in ratione finis ultimi aliquid præfertur. Vide Suar. *in tertiam part. Divi Thom. in Comment. art.* 7. *quæſtionis* 84. *num.* 4.

5 Supponebatur amplius in noſtra ſupradata reſponſione peccatum commiſſum poſſe naturaliter homini diſplicere

ex

ex peculiari ratione, quòd cedat in offenſam Dei: priùs tamen ſuppoſita notitia de tali peccato quatenus offenſa Dei. Hæc naturalis diſplicentia modo dicto probatur. Illa ratio mali, quæ in peccato cognoſcitur, eſt propter ſe deteſtabilis; præterea eſt repugnans naturali dictamini, docenti non operari contra rectam rationem, aut contra Deum: ergo poteſt homo per ſe loquendo illam deteſtari actu naturali. Confirmatur, ac declaratur: quia poteſt homo viribus naturæ diligere Deum, ut finem ultimum naturalem: ergo poteſt etiam odiſſe, quidquid contrarium eſt huic dilectioni; ſed peccatum, ut tale, eſt contrarium Divinæ dilectioni: ergo poterit quis, etiam naturæ viribus, dolere de peccato, quatenus offenſa Dei, qui enim amat aliquem, facilé dolet quòd eum offenderit: unde qui cognoſcit peccatũ eſſe contrarium Deo, qua virtute poteſt Deum diligere, poteſt etiam peccatum deteſtari. Hujus confirmationis pondus in antecedente eſt ſitum, cujus tamen veritas conſtat ex ſuperiori ſectione, *num.* 2. & ſequentibus: idem oſtenditur à Suar. diffuſé, ac doctiſſimé *lib.* 1. *de Grat. cap.* 29. & 30.

Offenſa Dei, ut talis cognita, poteſt homini naturaliter diſplicere.

6 Secunda objectio pro ſecunda parte erroris propoſitionis 66. Quæcunque fiunt ex timore, coactè, & neceſſariò fiunt, non autem liberè; neque enim fierent, ſi malum, quod timetur, ceſſaret; ergo qui ad Deum accedit ex timore ſupplicij, neceſſariò, coactè, non liberè, & involuntariè procedit; imò, ſi ceſſaret ſupplicium, ceſſaret acceſſus ad Deum. Sed talis modus accedendi ad Deum laudabilis non eſt: ergo. Confirmatur objectio ex Divo Thom. 1. 2. *q.* 6. *art.* 7. dicente: *In eo, qui per metum aliquid agit, manet repugnantia voluntatis ad id, quod agitur; ſecundùm quod in ſe conſideratur.* Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Quæcunque fiunt ex timore, coactè, & neceſſariò fiunt; ſi in ipſo actu, qui fit, includatur aliquis affectus ad oppoſitum, concedo: ſi non includatur, nego antecedens. Unde, ſi deteſtatio culpæ fiat cum inclinatione ad illam, illa deteſtatio non erit libera. Si verò quis deteſtetur peccatum, & nullum conſervet affectum ad illud, talis deteſtatio eſt libera; non enim eſt involuntaria, neque oppoſitum appetitur. Proindeque deteſtatio culpæ ex metu gehennæ, ſi fiat cum affectu ad peccatum mala eſt, & tunc eſt timor ſer-

 vilis

Quæ ex timore fiunt, attamen denudata ab omni affectu ad oppoſitũ, ſunt abſolutè libera, & ſolùm involuntaria ſecundùm quid.

vilis cum ſervilitate. At verò deteſtatio culpæ, denudata qa omni affectu efficaci, vel inefficaci ad eandem culpam, procedenſque ex metu gehennæ, virtuoſa, & honeſta eſt; dicitur timor ſervilis ſine ſervilitate. Vide quæ diximus *cap.* 21. *ſect.* 1. *num.* 4. *&* *ſect.* 2. *num.* 3. His poſitis, Divus Thomas citatus intelligitur de actu voluntatis, operantis unum ex metu, aſt cum inclinatione, & affectu ad oppoſitum; ut eſt ipſius Angelici Præceptoris doctrina 1. 2. *q.* 6. *a.* 6. ubi docet eſſe ſimpliciter libera ea, quæ fiunt ex timore, ſi exuantur ab efficaci affectu ad oppoſitum, & ſolùm ſecundùm quid eſſe involuntaria.

SECTIO III.

Falſitas propoſitionis LXVII. fit manifeſta.

1 PErſpectis terminis citatæ propoſitionis, ipſius falſitas fit manifeſta, nullo ad id negotio amplius requiſito: dicitur enim: *Timor ſervilis non ſibi repræſentat Deũ, niſi ut Dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem.* Hujus propoſitionis abſurdum, Eccleſiæ univerſæ diſſonum, quas aures non offendet? Ut autem non ex more procedamus, ſuppono cum Divo Thoma *q.* 1. *de Verit. art.* 12. *ad* 11. quem ſequuntur noſter Lorca, Banhes, Caietanus *ad* 2. 2. *ſup. quæſt.* 3. *art.* 5. *ad* 3. objectum directum, & immediatum timoris eſſe illud malum, quod timetur, ſive ſit malum culpæ, quod in timore filiali timetur, ſive ſit malum pœnæ, quod timetur in timore ſervili. Et ratio eſt: quia, ut inquit Divus Thomas, nihil præter malum timeri poteſt; ſiquidem, juxta Caiet. 3. *p. q.* 7. *a.* 6. timor eſt quædam fuga voluntatis; hæc autem non fugit niſi malum, cùm à bono potiùs alliciatur. Aſt timor ſervilis, qui propter pœnam æternam peccatum deteſtatur, Deum aliquo modo reſpicit, tanquam à quo timetur pœna infligenda, & cujus etiam Dei privatio timetur; ut eſt commune apud Doctores cum Divo Thoma 3. *p. q.* 7. *art.* 6. & aliis in locis. Dum autem timor ſervilis Deum ita reſpicit, non dubitant hujus temporis Novatores aſſerere timorem ſervilem Deum ſolùm repræſentare, ut Dominum

Senſus propoſitionis 67.

num

num durum, imperioſum, injuſtum, & intractabilem.

2 Hujus autem intolerandi aſſerti falſitas facilè demonſtratur. *Primò*: quia timor ſervilis gehennam timet, ut pœnam à Deo infligendam propter peccatum; atqui inſtitutio pœnæ pro delicto eſt actus juſtitiæ punitivæ: ergo timor ſervilis potiùs Deum repræſentat ut juſtum, quàm ut injuſtum Dòminum. *Secundò*: quia timor ſervilis ſpem ſæpe, aut ſemper cõmitatur. Cùm enim Spes dicat eſſentialiter probabile judicium de futuritione boni, in eo autem probabili judicio eo ipſo includatur etiam probabile de contrario, ſeu de non futuritione illius; neceſſum eſt, ut ſicut ex priori probabilitate reſultat aliquod gaudium, quod ſimul cum deſiderio ejus boni conſtituit Spem; ita é contrario ex probabilitate non futuritionis reſultet aliqua triſtitia, quæ ſimul cum deſiderio ejus boni conſtituat timorem, ut docet Arriaga *tract. de virtute Spei Theolog. diſp.* 29. *de Timore*, *ſect.* 4. Hic autem timor non eſt alius, niſi ſervilis, ortus ex metu gehennæ; timor enim, qui triſtitiam inducit de non futuritione boni ſperati, ac deſiderati, eſt timor æterni ſupplicij, & cujus objectum eſt per ſe oppoſitum objecto Spei Theologicæ: ergo hic timor ex affectione propria, & intrinſeca Spei potiùs ſibi repræſentat Deum, ut Dòminum benignum, atque tractabilem, quàm durum, imperioſum, & intractabilem.

Impugnatur relatu propoſitio.

Spei comes eſt timor.

3 Confirmatur id ipſum ex ſacris Literis, in quibus juſtus, atque piiſſimus Deus ſe exhibet miſericordem, dum in nobis excitat ſervilem timorem; nam P*ſalm.* 84. dicitur: *Juſtitia, & pax oſculatæ ſunt.* Item P*ſalm.* 88. *Si dereliquerint filij ejus legem meam, & in judiciis meis non ambulaverint; ſi juſtitias meas profanaverint, & mandata mea non cuſtodierint; viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum; miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo.* Unde Magnus, quanvis infelix, Origenes *Hom.* 2. *in Hierem.* ad illa verba: *Argue nos in judicio, & non in furore*, ſic inquit: *Invenies autem etiam ex repromiſſione Dei in quoſdam correptionem dari, in co cum peccantibus Chriſti filijs pœna promittitur, miſericordia non denegatur. ut ſcriptum eſt: ſi dereliquerint filij ejus legem meam, &c.*

In Deo nunquã juſtitia eſt ſine dulcedine miſericordiæ.

4 Præterea actus ille, quo Deus nos ad pœnitentiam, & contritionem vocat, cùm ſit proprius amoris, & miſericor-

 diæ

diæ Divinæ actus, Deum potiùs repræſentat benignum, & juſtum; quàm durum, imperioſum, injuſtum, & intractabilem; atqui per timorem ſervilem Deus non excitat ad pœnitentiam, & contritionem: ergo. Minor patet non ſolùm ex Concilio Tridentino *Seſſ. 6. c. 6.* ſed etiam ex Sacra Scriptura; conſtat enim quòd Deus ſæpe excitat ad pœnitentiam peccatores per afflictiones, & comminationes pœnarum: & non ad pænitentiam imperfectam ſolummodo, ſed etiam ad perfectiſſimam pænitentiam, hoc eſt, ad contritionem, ad quam timor ſervilis ſe habet per modum diſpoſitionis, ut patet in Ninivitis, utque colligitur ex illis Chriſti verbis *Luc.* 13. *Niſi pænitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis*; quæ verba, de contritione dicta, intelligit Suar. *de Pœnit. diſp.* 5. *ſect.* 2. Præterea timor ſervilis homines ad dilectionem Dei perducit: ergo Deum potiùs repræſentat amabilem, quàm durum, & intractabilem. Antecedens conſtat ex Divo Auguſtino *ſerm.* 18. *de Verb. Dom. cap.* 8. dicente: *Time tamen, ut iſta formido cuſtodiat te, & perducat ad dilectionem.*

Deus per timorem nos ducit ad amorem, & contritionem perfectam; dum per timoré diſponimur ad amorem.

5 Corroboratur noſtra doctrina; quia nullus actus ſupernaturalis à Deo, & ejus excitante gratiâ proveniens; poteſt eſſe impius, falſus, & hæreticus; timor autem ſervilis eſt donum Dei, ab eo, & ejus gratia procedens: ergo nequit hæreticé, impié, ac falſò repræſentare Deum, ut Dominum durum, injuſtum, imperioſum, & intractabilem. Minor, de qua ſolùm dubitarent adverſarij, probatur. Quia ille actus, qui ex metu gehennæ peccata deteſtatur, eſt attritio; quatenus eo ipſo involvit ex timore æternæ damnationis dolorem, ac deteſtationem de peccatis commiſſis contra Deum: ut tenent Doctores communiter apud Franciſcum Suar. Luſitanum de Pænitentia *tract.* 3. *diſp.* 1. *ſect.* 3. §. 3. *n.* 106. Hic autem actus eſt ſupernaturalis, ut inquiunt Valentia, *q.* 8. *punct.* 4. Vaſq. *q.* 92. *art.* 1. *dub.* 3. Henriq. *lib.* 4. *cap.* 21. *n.* 6. Bellarm. *lib.* 2. *cap.* 8. *& alij*. Deinde juxta Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. conſtat *attritionem eſſe donum Dei, & Spiritûs Sancti impulſum*; itemque eſſe diſpoſitionem ſufficientem ad juſtificationem in Sacramento; licét non extra illud, juxta Concilium citatum: ergo nequit eſſe deteſtabilis.

Timor ſervilis donũ Dei eſt.

6 Amplius rejicitur ejuſdem propoſitionis error ex Tridentino

dentino

dentino *ſeſſ. 6. Can. 8.* dicente: *Gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus.* Hic autem gehennæ metus eſt actus timoris ſervilis abſque ſervilitate. Et ſi accuraté, ac diligenter examinetur citatus hic locus Concilij, non obſcurè conſtabit hanc propoſitionem ſexageſimam ſeptimam illius menti, ac doctrinæ opponi ex diametro; cùm enim dicatur à Tridentino nos per metum gehennæ, qui eſt actus timoris ſervilis, confugere ad miſericordiam Dei, ſatis oſtenditur in metu gehennæ, & timore ſervili potiùs proponi, & repræſentari Deum, ut pium, & miſericordem, quàm ut Dominum durum, injuſtum, imperioſum, & intractabilem. Idem colligitur ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 4.* ſupponente, atque docente reperiri actum timoris ſupplicij, hoc eſt, ſervilis, ſimul cum actu Spei; inquit enim Concilium citato loco: *Illam contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum Spe veniæ :::: donum Dei eſſe, &c.* Igitur, ut à Concilio docetur, & ſupponitur, in actu timoris ſervilis includitur actus Spei; nam etiam Spes aliquid timoris importat, ut diximus num. 2. atqui Spes Deum ſibi proponit benignum, pium, ſanctum, miſericordem, &c. ergo timor, qui, cùm donum Dei ſit, ſemper eſt cum ſpe veniæ, Deum non aliter repræſentat.

Propoſitio 67. doctrinæ Sacri Concilij Tridentini eſt oppoſita.

Actus timoris, ſi eſt perfectus, ſemper connotat Spem, quâ ad Deum accedimus in ipſo actu timoris.

7 Opponent primò. In timore ſervili ſunt duo reſpectus inter ſe diſtincti; ſcilicet, acceſſus ad Deum, (quo ſenſu dicitur à Concilio *Gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, bonum eſſe*) & receſſus ab ipſo Deo; ſentiunt enim Catholici cum P. Comptono *tom. 2. diſp. 3. ante ſectionem primam*, per timorem nos à Deo recedere. Atqui actus timoris, & receſſus non eſt niſi à malo, tanquam à termino à quo: ergo in timore ſervili actus, qui eſt propriè timoris, à Deoque recedens, Deum non proponit ſub ratione amabilis, & piiſſimi, ſed ſub ratione intractabilis, injuſti, &c. Minor patet ex dictis *num. 1.* Reſpondetur ad maiorem illum actum receſſus, qui in timore invenitur, longé recedere ab adverſariorum expoſitione, & captu; per illum enim potiùs fugimus pænam, & propter illam culpam, quàm Deũ.

Actus timoris Deum reſpicit, non illum fugiendo; ſed fugiendo pœnam ab eo tanquam Judice infligendam.

Aſt,

Aſt, quia actus timoris ſervilis etiam Deum reſpicit, illum etiam timet ſecundariò, & conſequenter, religioſé tamen, & juſté: videlicet, non tanquam terminum, quem fugit, ſed tanquam æquiſſimum Judicem, à quo pæna, quæ primariò, & propriè timetur, eſt infligenda.

8 Opponent ſecundò ex ſacro Textu: conſtat enim ex *Lucæ* 19. in Parabola de Mnarum diſtributione ſervum quendam acceptam Mnam, abſconditam habuiſſe, & in ſudario repoſitam, quia Deum timuit; hic autem timor non ſibi Dominum proponebat, niſi ut auſterum, ſeverum, rigidum, ac durum; inquit enim Sanctus Lucas: *Ecce mna tua, quam habui repoſitam in ſudario: timui enim te, quia homo auſterus es, tollis quod non poſuiſti, & metis quod non ſeminaſti.* Et apud Matthæum 25. dicitur: *Scio, quia homo durus es, metis ubi non ſeminaſti, & congregas ubi non ſparſiſti.* Hæc ſunt Sarræ Scripturæ teſtimonia, unde colligunt adverſarij ſervilem timorem non ſibi repræſentare Deum, niſi ut durum, & intractabilem Dominum; neque aliud invenire poſſunt fundamentum. Quis autem Chriſtianæ Charitatis cultor non doleat, quòd ex ita frivulo principio inſana illa propoſitio deducatur, in Deum, & ejus ſanctum timorem blaſphema, & contumelioſa?

Cenſura hujus propoſitionis.

9 Fateor quidem ſervum illum ſic de Dòmino ſuo judicaſſe; nego autem tale judicium eſſe timoris proprium: priùs enim erravit ſervus ille nequam, Dòminum ſuum tanquam durum, & auſterum judicando, poſteaque actu diſtincto illum timuit, timore tamen indiſcreto. Hoc fortaſſe inſinuatur à Divo Matthæo, ſervi excuſationem ita exponente: *Dòmine ſcio, quia homo durus es, metis ubi non ſeminaſti, & congregas ubi non ſparſiſti.* Et poſt hæc adjungit: *Et timens abii, & abſcondi talentum tuum in terra.* Sed, eſtò concedatur ſervum illum nequam, dum timuit, ſibi forte repræſentaſſe Deum, ut auſterum, & intractabilem Dòminum, nunquid ille actus fuit verus actus timoris ſervilis, quem dicit Concilium Tridentinum donum Dei eſſe? Nego talem fuiſſe actum timoris ſervilis, toties in Scripturis commendati, ut ſæpe diximus capitibus præcedentibus; itemque nego ex illo ſervi nequiſſimi erroneo judicio inferri poſſe univerſalem, & teme-

Timor ſervi illius nequá fuit imprudens.

temerariam aſſertionem: *Timor ſervilis non ſibi repræſentat Deum, niſi ut Dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem.* Conſtat enim non ita Dominum fuiſſe repræſentatum in illo ſatis noto ſervili timore Ninivitarum.



CAPUT

CAPUT XXIV.

Exponitur, & refutatur propoſitio LXVIII. cujus hic tenor: Dei bonitas abbreviavit iviam ſalutis, claudendo totum in Fde, & precibus.

1 DOCET hæc propoſitio quòd ad incedendum per ſalutis viam ſufficiat Fides, & oratio ſine exercitio aliarum virtutum, unde à ſalutis ſemita excludit actus reliquarum virtutum, tanquam non neceſſarios ad ſalutem; ſeu tanquam nullius meriti. Docet etiam ex parte Dei præter Fidē nil nobis dari ad ſalute: unde excluduntur omnia illa auxilia, quæ à Deo nobis dantur ante Fidem, ad eamque diſponunt; ideo euim eſt aſſertum Deum abbreviaſſe viam ſalutis totum in Fide, & precibus claudendo; & in hoc repetitur error propoſitionis 52. his verbis: *Omnia alia ſalutis media continentur in Fide, &c.* Unde in hac propoſitione tres continentur errores. *Primus* negans dari nobis à Deo ad ſalutem aliquod medium præter Fidem. *Secundus* negans requiri ad ſalutem Spei, & Charitatis actus; itemque actus moralium virtutum, ſcilicet Religionis, Miſericordiæ, dilectionis proximi, pænitentiæ, & his ſimilium. *Tertius* negans actus aliarum virtutum præter Fidem eſſe meritorios gratiæ; aut beatitudinis.

Senſus hujus propoſitionis, quæ præcipuè errat in tribus.

2 *Primus error* impugnatur primò; quia præter Fidem dantur habitus infuſi Spei, & Charitatis, realiter diſtincti inter ſe, & ab ipſa Fide, ut diximus *cap.* 16. *à num.* 18. *& cap.* 18. *num.* 9. Secundò, quia ante Fidem infuſam dantur auxilia excitantia, & præparantia voluntatem creatam ad Fidei receptionem:

Præter Fidem dantur nobis à Deo alia ad ſalutem media.

ceptionem; quo ſenſu Divus Auguſtinus de *dono Perſever.cap.* 18. ait: *Fides ſine voluntate non prodeſt.* Et *Epiſt.*107. *Tu initium Fidei, ubi eſt etiam initium bonæ, hoc eſt, piæ voluntatis, non vis eſſe donum Dei?* Et *lib.* 1. *ad Simplician. Niſi ergo vocando præcedat miſericordia Dei, nec credere quiſquam poteſt.* Vide quæ diximus *cap.* 16. *num.* 22.

3 *Secundus error* eſt expreſſé contra Sacram Scripturam, ex ea enim conſtat præter Fidem neceſſariam eſſe ad ſalutem obſervantiam Mandatorum, & exercitium virtutum, maximè Theologicarum; deinde Moralium, ſcilicet Religionis, Miſericordiæ, & aliarum, quas omnes contemnebat Calvinus, unde in *Antidot.* inquit: *In eo differt Evangelium à Lege, quòd non ſub conditione operum, ſed ex Fide veniam promittit.* Oſtenditur autem id eſſe contra Scripturam; nam *Matth.*19. dicitur: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Et 2. *Pet.* 1. *Satagite ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.* Item 1. *Joan.* 3. de Charitate dicitur: *Qui non diligit, manet in morte*; cui accedit illud 1. *ad Corint.* 13. *Si habuero omnem fidem ita, ut montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil ſum.* De cæteris autem reliquarum virtutum actibus inquit *Jacob.* 2. *Quid proderit, fratres mei, ſi Fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit Fides ſalvare eum?* Adeſt Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 6. *cap.* 11. his verbis; *Nemo ſibi in ſola Fide blandiri debet, putans Fide ſola ſe hæredem eſſe conſtitutum, hæreditatemque conſecuturum, etiamſi Chriſto non compatiatur; ut & conglorificetur. Nam & Chriſtus ipſe, ut inquit Apoſtolus, cùm eſſet Filius Dei, didicit ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiam, & conſummatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ.*

Nõ ſufficit Fides ad ſalutem ſine operibus.

4 Notandum obiter exercitium, & actus virtutum Theologicarum, ſcilicet Fidei, Spei, & Charitatis, eſſe ad ſalutem neceſſarios, neceſſitate medij in adultis, nam ſine illis nequeunt conſequi ſalutem; ut eſt commune Theologorum cum Magiſtro in 3. *diſt.* 23. & Divo Thoma 2. 2. *q.* 2. *art,* 3. quanvis teneat oppoſitum Vega *lib.* 6. *in Trident. cap.*20. & 21. Quam etiam doctrinam inſinuaſſe videtur Clemens Alexandrinus *lib.* 6. *ſtromat.* Juſtinus Martyr *Apolog.*2.*pro Chriſtianis*, Chryſoſtomus *Homil.* 37. *in Matth.* qui putant Fidem

Qualis ſit neceſſitas virtutũ Theologicarũ?

actualem

actualem ſupernaturalem poſſe aliqua ratione non eſſe ad ſalutem neceſſariam neceſſitate medij, cùm ſine actu Fidei poſſit quis juſtificari, ut de Gentibus ante adventum Chriſti ſenſiſſe videtur citatus Alexandrinus. Actus verò, & exercitium virtutum moralium dicuntur neceſſaria neceſſitate præcepti; nam ſine illis quis poteſt ſalvari, ſi abſque culpa ea omittat, nempe quòd vel non ei ſuppetat facultas illa præſtandi, vel invincibiliter ignoret præceptum. Hoc modo ſola neceſſitate præcepti eſt neceſſarius actus eleemoſynæ in caſu extremæ neceſſitatis. Data tamen occaſione, & urgente præcepto Divino, opera virtutum moralium ſunt ſimpliciter neceſſaria neceſſitate præcepti, ut de oratione loquitur Suarius à nobis citatus *cap.* 21. *num.* 1. Unde ſine exercitio talis virtutis moralis in circunſtantiis, quibus obligat præceptum Divinum de illa exequenda, nullus juſtificatur, imò peccaminoſa eſt illius omiſſio.

Qualiter ſe habeat neceſſitas virtutum moralium ad ſalutem?

5 *Tertius error*, inania judicans ad ſalutem virtutum opera, & nullius meriti, quanvis procedant ex gratia, & fiant ab homine juſtificato, eſt Calvini, qui etiam viam ſalutis abbreviabat, totum claudendo in Fide juſtificante, unde cætera bona opera rejiciens, ſic interrogando ſtatuebat, *lib.* 3. *Inſtit. cap.* 11. §. 19. *An non ſatis ſolidè ſoli Fidei tribuit omnia qui operibus adimit?* Deinde ex hoc abſurdo deſeritur Tridentini, & ſacræ Scripturæ doctrina; Concilium enim *ſeſſ.* 6. *de Juſtificat. cap.* 16. valde commendat præſidium, quod nobis conferunt merita bonorum operum, his verbis:

Error Calvini aſſerentis virtutũ opera non eſſe meritoria.

6 „ Hac igitur ratione juſtificatis hominibus, ſive acceptam gratiam perpetuò conſervaverint, ſive amiſſam recuperaverint, proponenda ſunt Apoſtoli verba: Abundate in omni opere bono, ſcientes quòd labor veſter non eſt inanis in Domino, non enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius. Et nolite amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem. Atque ideo bene operantibus uſque in finem, & in Deo ſperantibus, proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia filijs Dei per Chriſtum JESUM, miſericorditer promiſſa, & tanquam merces, ex ipſius Dei promiſſione, bonis ipſorum operibus, & meritis fideliter

Meritum bonorum operum non parũ commendatur á Tridentino.

red-

„ reddenda. Hæc enim eſt illa corona juſtitiæ, quam poſt ſuum „ certamen & curſum, repoſitam ſibi eſſe, aiebat Apoſtolus, „ a juſto Judice ſibi reddendam, non ſolum autem ſibi, ſed „ & omnibus, qui diligunt adventum ejus. Cùm enim ille „ ipſe Chriſtus JESUS, tanquam caput in membra, & tan- „ quam vitis in palmites, in ipſos juſtificatos jugiter virtutem „ influat, quæ virtus, bona eorum opera ſemper antecedit, „ comitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo „ grata & meritoria eſſe poſſunt; nihil ipſis juſtificatis, am- „ plius deeſſe credendum eſt, quominus plené illis operibus, „ quæ in Deo ſunt facta, Divinæ Legi, pro hujus vitæ ſtatu ſa- „ tisfeciſſe, & vitam æternam, ſuo etiam tempore, ſi tamen „ in gratia deceſſerint conſequendam, veré promeruiſſe cen- „ ſeantur. (*Et poſt pauca.*) Neque verò illud omittendum eſt, „ quod licèt bonis operibus in ſacris litteris uſque adeo tribua- „ tur, ut etiam qui uni ex minimis ſuis potum aquæ frigidæ „ dederit, promittat Chriſtus, eum non eſſe, ſua mercede „ cariturum; & Apoſtolus teſtetur, id quod in præſenti eſt „ momentaneum, & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum „ in ſublimitate æternæ gloriæ, pondus operari in nobis, ab- „ ſit tamen, ut Chriſtianus homo in ſe ipſo vel confidat, vel „ glorietur. (*Ac tandem*) Illuminabit abſcondita tenebrarum, „ & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit unicui- „ que à Deo, qui ut ſcriptum eſt; reddet unicuique ſecundùm „ opera ſua.

7 Idem conſtat ex Scriptura Sacra, ubi non ad ſolam Fidem & orationem, ſed ad reliqua etiam bona opera excitamur; unde ad *Rom.* 12.10. *Odientes malum, adhærentes bono. Honore invicem procurantes: Orationi inſtantes. Neceſſitatibus ſanctorum communicantes: hoſpitalitatibus ſectantes.* Idem habetur *Jacob.* 2. 14. *Quid prodeſt fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habère opera autem non habeat.* Et infra: *Videtis quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantùm.* Similia inveniuntur apud 2. Petri 1. 10. ubi inquit Apoſtolus: *Satagite ut per bona opera, certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.* Sacra Scriptura, ad bona opera, nos excitat.

8 Ratio autem cur Sacra Scriptura ſic bona opera, præter Fidem & orationem, ſæpe ſæpiùs commendat, hæc eſt; quia quævis bona opera in gratia facta, ſunt meritoria ulterioris Bona opera in gratia, meritoria ſunt ulterioris gratiæ, & Beatitudinis.

gratiæ, itemque æternæ vitæ: unde colligitur viam ſalutis extendi per quævis bona opera in ſtatu gratiæ. Antecedens, quo ad primam partem, de bonis operibus juſtificatorum, ulterioris gratiæ meritoriis, patet ex Sacra Pagina; hic enim eſt ſenſus, quo dicitur à Jacobo Apoſtolo ſuprà relato: *Ex operibus juſtificatur homo.* Uidelicet, quia juſti per bona opera ampliorem juſtitiam, hoc eſt, gratiam, merentur. Patet etiam ratione; quia gratia eſt quædam amicitia, & conjunctio hominis cum Deo, aſt quò magis homo ſe exercet per bona opera, eò magis Deo in amicitia conjungitur. Unde eſt Textus *Joannis* 15. 14. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ præcipio vobis.* Fundatur hæc ratio in communi Theologorum doctrina, quam docet Divus Thom. 2. 2. *q.* 23. *art.* 1. & Scholaſtici *in* 3. *diſt.* 27. eam Fide certam nonnulli judicant apud Amic. *tom.*4. *diſp.* 25. *ſect.* 1. *num.* 5. Confirmatur ex Concilio Trident. *ſeſſ.* 6. *cap.* 10. his verbis: *Sic ergo juſtificati, & amici Dei facti, per obſervantiam mandatorum Dei, & Eccleſiæ in ipſa juſtitia per Chriſti gratiam accepta, cooperante Fide bonis operibus creſcunt, atque magis juſtificantur.* Et *Can.* 23. *Si quis dixerit hominem juſtificatum bonis operibus non mereri augmentum gratiæ; anathema ſit.*

Quomodo *Ex operibus juſtificetur homo?*

9 Oſtenditur idem antecedens quo ad ſecundam partem, quæ eſt de bonis operibus, æternæ vitæ meritoriis. Id conſtat ex illo *Matth.* 25. 34. *Venite, benedicti Patris mei poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare; ſitivi, & dediſtis mihi bibere; hoſpes eram, & collegiſtis me: nudus fui, & operuiſtis me; infirmus, & viſitaſtis me; in carcere eram, & veniſtis ad me.* Idem probant alia Sacræ Scripturæ teſtimonia, quæ continentur in *cap.* 16. *ſeſſ.* 6. Concilij Tridentini, ſuprà tranſcripto; unde patet eandem ſecundam partem antecedentis traditam eſſe à Tridentino.

De operibus æternæ vitæ meritoriis.

10 Confirmatur noſtra doctrina ex Sanctis Patribus, qui ſæpiſſimè exhortantur homines ad ſectandos actus aliarum virtutum à Fide, & oratione. Quia tamen ex omnibus, aut pluribus Patribus teſtimonia adducere labor eſſet immenſus, aliquas tantùm Divi Auguſtini proferam commendationes circa reliquas virtutes, quibus maximè excitamur, ut ſalutis viam arripientes, in eis tanquam magni præmij meritoriis

Sancti Patres nos exhortātur ad exercendas (præter Fidem, & orationem) alias virtutes.

riis exerceamur. Et in primis de Spe, quæ eſt prima omnium virtus poſt Fidem, ſic inquit Magnus Doctor *tract.4. in Epiſt. Joan. ſub init. tom. 9. Salus noſtra in Spe.* Fruſtra ergo dicitur viam ſalutis in Fide, & precibus eſſe clauſam: nam etiam noſtra ſalus eſt in Spe, quæ, ut notavimus *num. 2.* præcedenti, diſtinguitur à Fide, & Charitate. De virtutibus Cardinalibus plura congerit, plura ſpargit Divus Auguſtinus de *libero Arbitrio, lib. 1. c. 13. & lib. 2. cap. 18. tom. 1.* De Civit. Dei *lib. 4. c. 20. & lib. 13. c. 21. & lib. 19. c. 4. & lib. 22. c. 24. in tom. 5.* Et Epiſtola 29. *longè poſt init.* Et Epiſt. 52. *poſt medium, tom. 2.* Et de Geneſi ad literam, *lib. 12. c. 26. in tom. 3.* Et de Geneſi contra Manichæos, *lib. 12. cap. 10. in tom. 1.* Et contra Julianum *lib. 4. c. 3. longè ante medium tom. 7.* Et de moribus Eccleſiæ *cap. 15. & ſeq. in tom. 1.* Hæc autem teſtimonia tranſcriberem, ni moras eſſem pertæſus. De Jejunio ſic ſcribit: *Propter æternitatem, in qua vivere volumus, abſtinendum, & jejunandum.* Vide *lib. de Doctr. Chriſt. lib. 2. c. 16. in med. tom. 3.* De eleemoſyna ita prædicat: *Per eleemoſynas, & orationes deleantur mala veſtra præterita, & futura bona veniant ſempiterna.* Vide *lib. 5. Hom. 8. 13. & 39. per totam, tom. 10.* De Continentia ſic docet: *Qui pari conſenſu continentiam Deo voverunt, ſciant ſibi quidem mercedem amplius deberi, quàm conjugalis caſtitas poſcit.* Vide *lib. de Conjug. bono cap. 25. circa medium in tom. 6.* Et ſimilia paſſim apud eundem Sanctum Doctorem inveniuntur circa virtutes reliquas.

11 Cùm autem ſit ſtatutum juxta doctrinam *Trident. ſeſſ. 6. Can. 32.* præter meritum æternæ vitæ hominem juſtum bonis operibus, quæ fiunt per Dei gratiam, & Chriſti meritum, augmentum etiam gratiæ mereri, duæ inſurgunt quæſtiones. *Prima*: Utrùm augmentum gratiæ fieri poſſit per actus remiſſiores? *Secunda*: Utrùm per ſolos actus Charitatis? Et his poteſt adjungi tertia quæſtiuncula: utrùm hoc augmentum, ſeu præmium ſtatim conferatur in hac vita, an reſervetur in alia conferendum? Reſpondetur *ad primam* Juſtos mereri augmentum gratiæ, non ſolùm per actus interiores habitu gratiæ, & Charitatis, ſed etiam per actus æquè intenſos, & per remiſſiores. *Ad ſecundam*: Non ſolùm per actus Charitatis, ſed etiam per aliarum virtutum actus. Ad quæſtiunculam

Quæſtiones incidentes.

lam dicendùm neque augmentum hoc in alteram vitam differendum eſſe, ſed ſtatim in hac vita bene operantibus dari. Qui circa has quæſtiones plenam, & ex profeſſo notitiam deſiderant, conſulant Suar. *tom.* 3. *de Grat. lib.* 9. *c.* 3. Becanum *tract.* 4. *de Merito Catholic. cap.* 5. *quæſt.* 4. Gonet. *tom.* 4. *diſp.* 10. *de Virtute Charit. ab art.* 7. & alios de hac re fuſé, & paſſim tractantes, quos citat Amicus *tom.* 3. *diſp. ultima, ſect.* 8.

12 Objiciunt adverſarij quòd juxta Sacram Scripturam, ad vitam æternam conſequendam ſufficit Fides, & oratio, quin alia bona opera requirantur: ergo via ſalutis rectè dicitur abbreviata, & clauſa in Fide, & precibus. Antecedens quo ad primam partem probant adverſarij ex illo ad *Rom.* 4. *Ei, qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum. Ei autem, qui non operatur, credenti autem in eum, qui juſtificat impium, deputatur Fides ejus ad juſtitiam.* Ex quibus verbis Fidem videtur ſufficere ad juſtificationem. Et confirmari poteſt ex Sanctis Patribus, inquit enim Divus Auguſt. *lib.* 83. *Quæſtionum* 76. *Quæſt. Si quis cùm crediderit, mox de hac vita deceſſerit, juſtificatio Fidei manet cum illo, nec præcedentibus bonis operibus, quia non merito ad illam, ſed gratiâ pervenit.* Divus Ambroſius *Comment. in cap.* 3. *ad Rom. Juſtificati ſunt gratis, quia nihil operantes, neque vicem reddentes, ſola Fide juſtificati ſunt.*

Fundamentum adverſariorum proponitur, & ſolvitur.

13 Idem antecedens probant quo ad ſecundam partem ex illo *Joel.* 2. 32. *&* *Actor.* 2. 21. *Omnis quicunque invocaverit nomen Dòmini, ſalvus erit.* Ubi cùm ſalus æterna promittatur omni, qui Dòminum invocaverit, ſequitur quòd; ſi aliquis nullum aliud bonum opus habeat, dummodo Deum invocet, ſalvus erit. Hoc autem debet intelligi ſuppoſita Fide, hæc enim (inquiunt) eſt quæ juſtificat. Igitur alia bona opera, ceu nihil ad ſalutem conferentia, ſunt parvi facienda.

14 Reſpondetur negando utramque partem antecedentis. Ad probationem primæ partis reſpondeo Divum Paulum citato loco ad Romanos ſolùm probare Abraham non fuiſſe juſtificatum ex operibus legis; tunc enim juſtificatio non eſſet gratia, ſed merces, ac debitum. Oſtendit igitur Abraham fuiſſe juſtificatum per Fidem in Chriſtum futurum, Charitate formatam. Hoc tamen non ex eo, quia Fides ſit formaliter juſtificans, hoc enim pertinet ad gratiam; ſed quia, niſi

Vera expoſitio præjacti loci Divi Pauli ad Roman. 4.

Abrahamus crederet, neutiquam juſtificaretur, Fides enim eſt diſpoſitio ad juſtificationem. Et juxta hunc ſenſum, à merito æternæ Beatitudinis Sancti Patres opera excludunt; opera ſcilicet naturæ, aut legis, non gratiæ. Deinde dicunt Fidem juſtificare, non formaliter, ſed ſenſu expoſito. Unde Concil. Trident. *ſeſſ.* 6. *c.* 8. exponens quid ſit juſtificari gratis per Fidem, ſic docet: *Per Fidem ideo dicimur juſtificari, quia Fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis; gratis autem juſtificari ideo dicimur; quia nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive Fides, ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promeretur; ſi enim gratia jam non ex operibus eſt; alioquin, ut ipſe Apoſtolus inquit, gratia jam non eſt gratia.*

15 Probatio ſecundæ partis eſt nullius momenti; nam ex vi Textûs præjacti, eo ſenſu accepti, ſequeretur Fidem non eſſe neceſſariam ad ſalutem; cùm enim ſcriptum ſit: *Omnis, qui invocaverit nomen Domini ſalvus erit*, rectè ſequitur etiam infidelem nomen Domini invocantem ſalvum fore; aliàs dabitur contradictio verificata; nam ex infideli invocante Dominum, qui non ſalvabitur, & ex præjacto Textu hæc duo rectè inferuntur: *primum*, dari aliquem, ſcilicet infidelem, invocantem Dominum, qui tamen ſalvus non erit; *ſecundùm* ſalvos fore omnes nomen Domini invocantes; quod eſt contradictio.

Reſpondetur ad locum illũ, Joel, & Actor.

16 Igitur, ſicut ex illo Chriſti Domini apud *Marcum c.* 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*, non ſequitur ſufficere Fidem, ut omnes baptizati ſalutem conſequantur; aut reliquas virtutes nihil ad ſalutem conferre; cùm juxta adverſarios adhuc oratio proſit in via ſalutis: ſic, inquam, licèt juxta Scripturam, *omnis, qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit*, non ſequitur ſolam orationem prodeſſe ad ſalutem, reliquas autem virtutes nihil gratiæ, aut gloriæ mereri in via ſalutis. Unde in Pſalmo 144. *v.* 18. dicitur: *Prope eſt Dominus omnibus invocantibus eum*; & additur: *invocantibus eum in veritate.* Dicitur autem *in veritate*, qui enim jejunia, miſericordiam, inimicorum dilectionem, & alias virtutes contemnit, Deum non invocat in veritate, ſed per mendacium: verbo enim invocat, & non operibus. Dum ergo dicitur in Scriptura: *Omnis, qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit*, ſermo

 eſt

eſt de iis, qui reſidui fuerint poſt mortem Anti Chriſti in diebus noviſſimis, qui ſi invocaverint nomen Dòmini, hoc eſt, ſi verum Deum in veritate coluerint, ſalvi erunt. Vide P. Jacobum Tirinum *Tom.*2. Commentariorum in Scripturam, ad Joelis *cap.* 2. *v.* 32.

Cenſura propoſitionis 68.

17 Circa cenſuram, quâ damnanda ſit hæc propoſitio, tria ſunt apertiſſima. Primum hanc propoſitionem eſſe perniciofam; intendit enim homines à virtutum ſtudio avertere. Secundum eſſe temerariam; utpote contrariam Patrum, ac totius Eccleſiæ doctrinæ. Tertium eſſe hæreticam, cùm Sacræ Scripturæ maximé opponatur.

CAPUT

CAPUT XXV.

Rejicitur propoſitio LXIX.

1 PRÆSENTIUM propoſitionum doctrina ſalutis viam ita abbreviavit, ut inviam propemodum reddat: qui enim antea dixerant ſalutis viam abbreviatam, & clauſam eſſe in Fide, & precibus, nunc jam Fidem nihil proficere docent iis, qui ſalutis viam proficiſcuntur. Ratio eſt, quia ubi nulla eſt operatio, aut cooperatio, nihil etiam eſt meriti, unde Divus Thom. agendo de Merito *quæſt. 71. art. 5. ad 1.* ait: *Meritum non poteſt eſſe, niſi aliquis faciat voluntariè quod debet, & ideo meritum non poteſt eſſe ſine actu.* Divus Auguſtinus *quæſt. 24.* ſic inquit: *Neque peccatum, neque rectè factum imputari cuiquam juſtè poteſt, qui nihil fecerit.* Idem Sanctus Doctor *lib. 2. contra Fortunatum* ſic habet: *Quis autem dubitet non deferri præmium, niſi qui bona voluntate aliquid fecerit.* Igitur in hac propoſitione tollitur à Fide, & per eam credentibus omnis ratio meriti, ſtatuitur enim hominem nihil agere Fide utendo, hoc eſt, credendo; itemque nihil agere hominem Fidem ſuam augendo, cùm tamen re vera Fides augeatur per proprios ejuſdem virtutis actus. Unde uſus, & augmentum Fidei comparatur in præſenti propoſitione ejuſdem Fidei infuſioni; quia, ſicut hæc infuſio habitûs Fidei nullam in nobis præſupponit actionem productivam illius, ſed provenit à liberalitate Dei infundentis, ſic uſum, & augmentum Fidei non provenire dicunt ex aliqua actione noſtra, ſed ex mera liberalitate Dei. Quapropter etiam Fidei noſtræ præmium re vera præmium non eſt ex juſtitia pro meritis, ſed liberalitatis Divinæ donum. Unde eſt propoſitio 69. ſupracitata: *Fides,*

Propoſitio 69. Fides, uſus, augmentum, & præmium Fidei totum eſt donum puræ liberalitatis Dei.

Meritum non datur ſine operatione aliqua in merente.

Senſus, & error hujus propoſitionis 69.

Fides, uſus, augmentum, & præmium Fidei totum eſt donum liberalitatis Dei.

2 Catholica doctrina longé aliter ſe habet. Docet enim *primò* habitum Fidei in ſua prima infuſione à ſolo Deo produci. Primò; quia à nulla cauſa naturali produci poteſt, omnes enim ſuperat, & excedit. Secundò; quia neque produci poteſt ab aliqua virtute, verbi cauſâ, à gratia habituali, hæc enim ſupponit tempore, vel naturâ, infuſum habitum Fidei, ut conſtat ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 6. de Juſtificat. cap. 6.* Neque item poteſt produci à Spe, quia iſtius virtus adæquata non extenditur ad actus; aut habitum Fidei, & ſic de reliquis.

Habitus Fidei à ſolo Deo poteſt produci, & infundi.

3 Docet *ſecundò* Catholicorum veritas non poſſe aliquem mereri de condigno infuſionem habitûs Fidei per merita ipſius Fidei infuſionem præcedentia. Unde Auguſt. *Epiſt.* 105. *Nihil meriti habebat homo ante Fidem, ut acciperet Fidem.* Ratio eſt: quia ad meritum de condigno requiritur neceſſariò ſtatus gratiæ ſanctificantis, atque dignificantis, quæ ante Fidem non eſt. Fundatur hæc ratio in eo: quia meritum de condigno debet eſſe opus gratum, & acceptum præmianti, qui in recompenſatione operis in ipſius obſequium exhibiti moveatur ad præmium merenti retribuendum; ut autem obſequium ſit gratum, & acceptum præmianti, debet ſupponere perſonam amicam, & gratam, à qua tale obſequium exhibetur. Quæ ratio apud omnes Doctores communis eſt omni merito condigno, tam gloriæ, quàm cujuſcunque alterius doni ſupernaturalis, vel augmenti illius.

Divus Auguſtinus docet nõ poſſe hominem mereri de condigno infuſionem Fidei.

Ad quodcunque meritũ de condigno requiritur in merẽte ſtatus gratiæ ſanctificantis.

4 *Tertiò* docet poſſe Gentilem aliquem diſpoſitivè mereri infuſionem Fidei habitualis, quatenus auxiliis Divinæ gratiæ excitantis, atque moventis adjutus poteſt ſe remoté diſponere ad habitum Fidei; removendo ſcilicet peccata, & exercendo ſe in moralibus virtutibus, quæ illum remoté ſaltem diſponant ad infuſionem Fidei, ex dono, & liberalitate miſerentis Dei, juxta doctrinam Divi Thomæ *q.* 14. *de Verit. art.* 11. *ad* 1. quam expendimus *cap.* 7. *ſect.* 9. *á num.* 14. nam in eodem ſenſu nunc procedimus: neque enim aliter intelligere, aut intelligi debemus. Unde Pater Amicus *tom.* 3. *diſput.* 35. *de Merito ſect.* 4. *num.* 107. inquit: *Dicendum eſt hujuſmodi*

Poteſt Gentilis ſe diſponere ſaltem remoté ad infuſionem Fidei per remotionem impedimentorũ.

opera

opera moralium virtutum, *à Gentili facta, placere Deo, tanquam diſpoſitiones remotas ad Fidem*; & infra prope finem: *Bona autem opera, Fidem præcedentia, licèt nequeant placere Deo, ut procedentia ex Fide, quam nondum in ſubjecto ſupponunt, placent tamen Deo, ut diſpoſitiones, vel proximæ, vel ſaltem remotæ ad Fidem conſequendam.* In hoc ſenſu dici poteſt opera bona virtutum moralium, à Gentili facta, eſſe de congruo meritoria Fidei, ſi à gratia præveniente, & adjuvante procedant; ratio eſt: quia *illud eſt meritum de congruo, quod quidem ex juſtitia non meretur compenſationem, ſed ex quadam congruentia, & honeſtate*; ut inquit Beanus *tract.* 4. *de Merito Catholicorum cap.* 5. *quæſt.* 1. *num.* 1. *fol. mihi* 284. & eſt communis Theologorum doctrina: bona autem opera moralium virtutum, à Gentili facta, honeſtatem, & congruentiam habent, ut ex miſericordia, & liberalitate Dei (non ex juſtitiæ debito) Fidem pro compenſatione aſſequantur. Unde Amicus ſupracitatus: Bona opera moralia Gentilium (inquit) *non poterunt ei* (Deo ſcilicet) *non placere ut merita ſaltem de congruo.* Igitur Fides juxta hanc doctrinam, quæ eſt veriſſima, & communis, adhuc in ſui prima infuſione poteſt habere rationem præmij ob præcedentia merita de congruo. Licèt hæc aſſertio nequeat adverſariis placere, qui judicant omnia peccatorum, & infidelium opera, quæ juſtificationem præcedunt, non tantùm merita non eſſe de congruo, verùm etiam peccata eſſe.

Bona opera à Gentili facta poſſunt eſſe Fidei meritoria de congruo.

5 Aſt præcipuum præſentis controverſiæ pondus in eo eſt: Utrùm, augmentum Fidei noſtræ (quod in hac vita eſt præmium noſtræ Fidei, ejuſdemque actuum) ſit præmium debitum meritis noſtris condignis, an potiùs ſit purum donum liberalitatis Dei? Authores hujus propoſitionis, quam impugnamus, reſpondent augmentum Fidei noſtræ, & quodvis aliud præmium, per æternam Beatitudinem conferendum, eſſe purum donum, eſſeque meram Dei liberalitatem, nobis omnino indebitam, cùm ad hujuſmodi præmium nullum in nobis ſit meritum. Illorum fundamentum eſt: quia uſus Fidei, hoc eſt, actus Fidei, quo credimus myſteria, & Articulos Fidei Chriſtianæ, non eſt (inquiunt) operatio noſtra, ſed Dei, utentis Fide noſtra, & producentis in intellectu noſtro actus Fidei. Miraberis fortaſſe, Lector, hanc audiens ab-

Status quæſtionis.

Queſnelli doctrina in præſenti.

abſurdiſſimam evaſionem. Mirarer autem, ſi nunc oppoſitum diceretur ab his Authoribus, in hoc enim licét falſò, & erroneé; tamen conſequenter procedunt; juxta ea, quæ propoſitionibus 3. 4. 5. 6. 7. 8. & 9. docuerunt, & ad firmiorem hujus reſponſionis captum lege quæ breviter diximus *cap.* 4. *ſect.* 2. *num.* 1. *&* 2. In citatis igitur propoſitionibus fuit pluries ſtatutum non hominem, ſed Deum in illo eſſe actorem, operatorem, & exequutorem omnium præceptorum, & bonorum omnium operum, quæ in nobis ſunt.

Impugnatur fundamentum Queſnelli.

6 Corruit tamen hoc fundamentum, quia, ut inquit Divus Gregorius Papa, *Moral.* 33. *cap.* 20. *Bonum, quod agimus, & Dei eſt, & noſtrum; Dei per prævenientem gratiam; noſtrum per conſequentem liberam voluntatem. Si enim Dei non eſt, unde ei gratias in æternum agimus? Rurſum, ſi noſtrum non eſt, unde nobis retribui præmia ſperamus? Quia ergo non immeritò gratias agimus, ſcimus quòd ejus munere prævenimur: & rurſum, quòd non immeritò retributionem quærimus, ſcimus quòd ſubſequente libero arbitrio, bona eligimus, quæ ageremus.* Aſt diligentiùs, & diſtinctiùs procedit magnus Auguſtinus: in primis enim docet Fidei noſtræ præmia (quæ ſunt ipſius Fidei augmentum in hac vita, & in futura Beatitudo) eſſe rigoroſa præmia, hoc eſt, mercedem pro meritis exigendam, & acquirendam. Unde *tract.* 40. *in Joan.* inquit: *Si credis, mercedem exige Fidei.* Similia docet *lib. de Catechiz. rudib. cap.* 25. *Credimus quod non videmus, ut ipſis meritis Fidei, etiam videre quod credimus, & inhærere mereamur.* Et eodem libro inquit eodem etiam capite: *Si aliquas tribulationes pro nomine Chriſti paſſus, non defeceris à Fide, maiorem mercedem accepturus es.* Item *de Civitate Dei lib.* 22. *c.* 6. *Salus Civitatis Dei talis eſt, ut cum Fide, & per Fidem teneri,* (nota) *vel potiùs acquiri poſſit.* Iterum eodem *lib. cap.* 29. *Præmium Fidei nobis viſio Dei ſervatur.* Non aliter *Epiſt.* 6. circa finem: *Nobis Fidei merces viſio Dei promittitur.*

Per actus Fidei & operamur, & meremur.

7 Deinde oſtendit idem Auguſtinus aliis in locis actum Fidei actionem, & operationem eſſe noſtram. Unde *lib.* 22. *contra Fauſtum c.* 28. ſic inquit: *Hominis actio ſerviens Fidei, ſervienti Deo.* Et *lib. de Quantitate Animæ, cap.* 33. *In præclaro actu Animæ ſequi auctoritatem, & præcepta ſapientium, & per hæc loqui ſibi Deum credere, in eſt labor.* Et *lib.* 3. *ad Bonif. cap.* 19. *Ille trahitur*

bitur ad Chriſtum, cui datum eſt, ut credat in Chriſtum. Ubi non dicitur venienti ad Chriſtum dari Fidei actum ab aliquo alio elicitum; ſed ipſi dari auxilium, & habitum, ut eliciat actum Fidei in Chriſtum.

8 Præterea oſtendit actum Fidei noſtræ eſſe actum nobis liberum, poſitum in poteſtate noſtra; unde *Epiſt.* 130. inquit: *Eligant utrùm malint credere, quod pronuntiaverunt Eccleſiaſtici cognitores, an quod murmurant victi litigatores.* Et *lib.* 1. *de Gent. contra Manichæos cap.* 3. *Deo credere & ab amore viſibilium rerum, & temporalium, ſed ad ejus præcepta ſervanda convertere omnes homines poſſunt, ſi velint.* Quibus teſtimoniis illa verba *eligant utrū malint*, & iſta alia *poſſunt, ſi velint*, oſtendunt noſtri arbitrij libertatem circa actus Fidei eliciendos, ut eſt communiſſima apud Theologos omnes acceptio: conſtat autem non dari libertatem, niſi detur activa influxio, & operatio ex parte noſtri in iis actibus, qui dicuntur liberi, ut oſtendimus *cap.* 4. *ſect.* 2. *á num.* 12.

Actus Fidei noſtræ, eſt liber

9 Demū juxta Auguſtinū nullus poteſt mereri, aut demereri, niſi aliquid agat, & liberé id agat: unde *Q.* 24. inquit: *Neque peccatum, nec rectè factum imputari cuiquam juſtè poteſt, qui nihil fecerit*; aſt juxta eundem Sanctum Doctorem, per actum Fidei meremur, & per actum incredulitatis demeremur; igitur actus Fidei eſt uſus, & operatio noſtra, non autem pura liberalitas Dei. Minor, quo ad primam partem, traditur ab Auguſtino *tract.* 69. *in Joan.* his verbis: *Credenti colligitur meritum, videnti redditur præmium.* Eadem minor quo ad ſecundam partem cōſtat ex Auguſtino *lib. de Fide, & Oper. c.* 16. ibi: *Ille eſt ſine venia reus æternì peccati, qui uſque in finem vitæ noluerit credere in Chriſtum.* Satis igitur patet falſam eſſe adverſariorum evaſionem, quatenus intendunt uſum Fidei non eſſe actum, & operationem noſtram, ſed tantùm, & ſolummodo Dei. Quod præterea jam eſt laté impugnatum *cap.* 3. *ſect.* 2. *á num.* 8.

Aſſenſus Fidei noſtræ, eſt liber, & meritorius.

10 Igitur ad quæſtionem præcedenti *num.* 5. execitatam aliter reſpondent Theologi Orthodoxi. Primò enim ſtatuunt actus Fidei elicitos à juſtificatis hominibus, eſſe veré, & propriè meritorios & gratiæ, & æternæ Beatitudinis, quod eſt commune omnibus bonis operibus juſtificatorum, ut conſtat ex Concilio Trident. *ſeſſ.* 6. *de Juſtificat. Can.* 32. his verbis:

Catholicorum doctrina in hac controverſia.

Si quis

Si quis dixerit hominis juſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, ut non ſint etiam bona ipſius juſtificati merita, aut ipſum juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & JESU Chriſti meritum, cujus vivum membrum eſt, fiunt, non verum mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema ſit.

Fides in hac vita per ejuſdē actus augetur.

11 Statuunt ſecundò Fidem augeri in hac vita per ipſos actus Fidei ſupernaturalis; quod, ut notat Amicus *tom.* 4. *diſp.* 15. *ſect.* 5. *num.* 113. à nemine poteſt negari. Probatur. Bona opera augmentum gratiæ merentur: ergo etiam aliqua bona opera mereri poterunt augmentum Fidei, cùm hæc adaugeri poſſit, juxta illud *Lucæ* 17. ubi Apoſtoli augmentum Fidei à Chriſto petebant dicentes: *Adauge nobis Fidem.* Antecedens conſtat ex Tridentino àllegato. Conſequentia patet, nulla enim eſt ratio, cur per bona opera juſtificatorum augeatur habitus infuſus gratiæ, non autem habitus Fidei infuſæ. Ex his colligunt Doctores nullos actus congruentiùs augere Fidem habitualem, quàm ipſi actus Fidei; & rectè propter actunm, & ipſorum habitûs productivi maximam affinitatem, & connaturalem convenientiam.

Augetur etiam Fides per actus aliarum virtutum.

12 Tertiò plerumque ſtatuunt habitum infuſum Fidei, non ſolùm augeri per actus ſupernaturalis Fidei, ſed etiam per actus aliarum virtutum, quibus ipſa gratia ſupernaturalis augetur. Primam partem probavimus. Secunda eſt Suarij *lib.* 9. *de Augmento, & perfectione gratiæ cap.* 4. *num.* 15. Amic. *tom.* 3. *diſput.* 35. *de Merito ſect.* 10. *num.* 263. & *tom.* 4. *diſput.* 15. *de Habitu Fidei infuſæ ſect.* 5. *num.* 113. Fundamentum eſt: nam (ut diſcurrunt Authores citati) quovis actu infuſæ virtutis augetur gratia, ut conſtat ex Concilio Tridentino citato *num.* 10. *præcedenti*: ergo etiam augentur Fides, & reliquæ virtutes infuſæ. Conſequentia patet; nam gratia habitualis comparatur ad omnes virtutes infuſas, tanquam eſſentia ad ſuas proprietates; cùm autem connaturalius ſit, ut eſſentia quantùm fieri poteſt proportionem ſervet cum ſuis proprietatibus, rectè deducitur quòd per quemvis actum infuſæ virtutis, ſicut augetur gratia, augeantur etiam Fides, & reliquæ virtutes infuſæ. Et rectè: alioqui, ſi aucta gratiâ, in

eadem

eadem proportione non augerentur Fides, & reliquæ virtutes infuſæ, gratia non ſervaret proportionem cum illis; cùm ſemper intentior eſſet gratia, quippe quæ augeretur ad ſingulos actus ſingularum virtutum, virtutes autem non niſi ad proprios ſuos actus.

13 Dicent. Gratia habitualis non eſt phyſicum principium productivum ſuarum virtutum, v. g. Fidei, aut Spei: nam Fides multoties eſt ſine gratia, multoties ante gratiam; idem de Spe, ut ſæpe diximus: ergo fruſtra comparatur gratia ad has virtutes, tanquam eſſentia ad ſuas proprietates. Reſpondeo negando conſequentiam; licèt enim habitualis gratia non ſit phyſicum principium ſuarum virtutum, eſt tamen principium connaturaliter exigitivum earum, proindeque connaturaliter exigit eas habere ſibi proportionatas.

14 Imò duo colligunt Authores ex præcedentibus. *Primum* habitum Fidei in peccatoribus adhuc augeri per actus Fidei (ſolius) infuſæ. Ita à fortiori omnes, qui cum Turriano, & Amico docent infuſum habitum Fidei in peccatore adulto *moraliter* cauſari ab actibus ſupernaturalibus ejus Fidei, elicitis per auxilia excitantia, atque adjuvantia. Nam, ſi tales actus ſunt efficaces ad moraliter cauſandum infuſæ Fidei habitum ante infuſionem Charitatis, à fortiori erunt etiam efficaces ad illum moraliter augendum, cùm plus requiratur ad cauſandum habitum ſimpliciter, quàm ad eundem augendum, ut per ſe patet. *Secundum* aliquando poſſe inveniri intenſiorem habitum Fidei in peccatore, quàm in juſto; quia poteſt peccator elicere plures actus, qui Fidem augent, quàm juſtus aliquis elicit.

Habitus Fidei etiam in peccatoribus augetur per ejuſdem virtutis actus.

Fides poteſt eſſe in enſior in peccatore aliquo, quàm in aliquo juſto.

15 Quanvis ex dictis hic, & *cap. 4. ſect. 2.* corruant omnia adverſæ ſententiæ fundamenta, attamen duo noviter objicient, primum ut probent uſum Fidei non eſſe actum noſtrum, ſed Dei: hoc enim videtur deſumi ex illo *Marci 9. v. 22. Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti;* ubi tò *ſi potes,* videtur eſſe appoſitum, ut denotetur non poſſe hominem elicere actum, quo Fide utatur, cùm hoc ſit opus non noſtrum, ſed Dei. Sed reſpondetur in citatis ſolùm denotari non poſſe hominem ſine Deo Fidem præſtante credere: utrumque enim concurſum, Dei ſcilicet, & noſtrum, denotant illa Joannis

Objectiones adverſariorũ.

cap. 15. verba à Chriſto dicta: *Sine me nihil poteſtis facere.*

16 Secundum objicient, ut probent augmentum Fidei, proprium Dei opus eſſe, non autem aliquo modo noſtrum, ſic enim fortaſſe colligi videbitur ex *Luc.* 17. 5. *Dixerunt Apoſtoli Domino: Adauge nobis fidem.* Sed contra, non enim negamus augmentum Fidei noſtræ provenire à Deo; ſolummodo damnatur, atque rejicitur; non etiam provenire à nobis quando per actus Fidei meremur augmentum Fidei. Unde propoſitio, de qua in præſenti, ita augmentum Fidei Deo tribuit, ut à nobis auferat omnem rationem meriti ad hoc augmentũ. Imò pro noſtra veritate Catholica eſt colligendum præſentem aſſertionem eſſe temerariã, eſt enim contra commune labium Eccleſiæ; eſſe hæreticam; opponitur enim Sacro Textui, ſacroque Concilio eam prædamnanti.

Cenſura propoſitionis illius.

17 Neque addant adverſarij pro ſua ſententia illud *Ezechiel.* 11. *Faciam ut in præceptis meis ambuletis*; & illud ad *Philip.* 2. *Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere.* Hæc enim ſolùm probant neceſſitatem Divinæ gratiæ ad opera meritoria; non autem excludunt noſtram cooperationem; unde 1. *ad Corint.* 15. inquit Apoſtolus: *Non ego, ſed gratia Dei mecum.*

CAPUT

CAPUT XXVI.

Propoſitio LXX. confutatur.

1 NUNQUAM *Deus affligit innocentes*, (inquit hæc propoſitio) *& afflictiones ſemper ſerviũt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.* Non quidem dubito hujus ſæculi afflictiones à Domino aliquando dari, ut per patientiam, & conformitatem culparum reatus extinguatur, peccata expurgentur, & meritum acquiratur; quo ſenſu multis in locis intelligendus venit Auguſtinus; nam E*piſt.* 87. poſt initium *tom.* 2. inquit: *Deus tribulationes hujus ſæculi, tanquam bonus Medicus miſcet dulcedini.* Et ibidem ait: *Quid non miſericorditer præſtatur hominibus à Deo, à quo etiam tribulatio beneficium eſt?* Diſtinctiùs autem *Epiſt.* 121. *cap.* 14. *tom.* 2. ſcribit: *Tribulationes temporales plerumque proſunt vel ad ſanandum tumorem ſuperbiæ, vel ad probandam, exercendamque patientiam, vel ad quæcunque flagellanda, & abolenda peccata.* Et tandem *lib.* 22. *contra Fauſtũ cap.* 20. *Nullus hominum eſt tanta juſtitiâ præditus, cui non ſit neceſſaria tentatio tribulationis vel ad perficiendam, vel ad confirmandam, vel ad probandam virtutem.*

Formula propoſitionis 70.

Afflictiones hujus ſeculi dantur aliquãdo, ut peccata puniantur, expurgentur, & per eas meritũ habeatur.

2 Error tamen hujus propoſitionis in eo ſtat, quòd non tantùm aliquando; ſed *ſemper* inſervire dicat afflictiones, *vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.* Sed contra: Et nunquid innocentes, qui peccato puniendo carent, nec habent crimina, à quibus purificentur, afflictiones non patiuntur? Ex hac abſurdiſſima propoſitione unum è duobus ſequi eſt neceſſarium; aut ſcilicet innocentes nunquam pati tribulationes, & afflictiones; aut non juſtos, neque innocentes fuiſ-

Error, & ſenſus propoſitionis 70.

ſe,

ſe, quotquot afflictiones ſunt paſſi. Quidquid reſpondendum eligatur, hæreticum erit, Sacræ Scripturæ oppoſitum; ac inſuper temerarium, impium, ſcandaloſum, blaſphemum, & injurioſum Chriſti Domini humanitati, quæ, cùm eſſet innocentiſſima, à præſepe ad Crucem afflictiones innumeras paſſa eſt. Etiam Beatiſſimæ Virgini Matri injurioſa eſt eadem propoſitio, ex ea enim inſurgit neceſſariâ conſequentiâ, aut Beatam Deiparam nullum dolorem, nullamque afflictionem ſenſiſſe; quod docuit Hæreticus Bullingerus contra Divum Bernardum *de Lament. Virginis*, Anſelmum *de Compaſſione V.* Bonamventuram ibidem, Nazianzenum in *Tragedia de Chriſto patiente*, Athanaſium in *deſcriptione Mariæ*, *& Joſeph*, Cyprianum *ſermone de Nativitate Chriſti*, Chryſoſtomum *Homil.* 18. *in Geneſ.* Rupertum *lib.* 6. *de Divinis Officijs*, *cap.* 2. Ephrem de *lament. Mariæ.* Aut ex vi ejuſdem conſequentiæ inſurget Dei Matrem tot afflictiones ſuſtinuiſſe in pœnam alicujus peccati, à quo tanquam peccatrix deberet purificari per afflictiones, quod eſt contra Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 6. *de Juſtif. Can.* 23. aſſerens Beatam Mariam Dei Genitricem in tota ſua vita peccata omnia, etiam venialia, vitaſſe ex ſpeciali Dei privilegio; addens præterea hoc eſſe totius Eccleſiæ labium. Eâ merito, id nanque docent Sancti Patres, ac Theologi cum Divo Thoma multis in locis, præſertim *in* 1. *ſent. diſt.* 44. *art.* 3. *ad* 3. his verbis: *Puritas intenditur per receſſum à contrario, & ideo poteſt aliquid creatum inveniri, quod nihil purius eſſe poſſit in rebus creatis ſine ulla contagione peccati, & talis fuit puritas Beatæ Virginis, quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit.* Idem Præceptor Angelicus *in Expoſit. ſalutation B. V.* inquit: *Ipſa puriſſima fuit quantum ad omnem culpam, quia nec originale, nec veniale peccatum incurrit.* Ex quibus duo in Beata, ac puriſſima Creatoris Matre manifeſtè apparent: afflictio, & innocentia. Illud igitur ſtatutum: *Nunquam Deus affligit innocentes*, corruit neceſſariò.

Hujus propoſitionis cenſuræ.

Puriſſima Mater ab omni peccati labe immunis, & tamen acerbiſſimas afflictiones ſuſtinuit.

3 Dixi autem paulò ſuprà hanc propoſitionem eſſe hæreticam, ac Sacræ Scripturæ oppoſitam, in ea nanque aliquos innocentes habemus à Deo afflictos, *non pro corrigenda culpa, ſed pro gratia augenda*, ut inquit noſter Gregorius Magnus *lib.* 13. *Moral. cap.* 15. *in cap.* 17. *Job.* ſic patet in Sancto Tobia ſeniore, ut

Deus innocentes affligit, ut gratiam illis augeat.

ut colligitur ex *lib. Tob. cap.* 1. *v.* 4. 5. 6. *Qui, cùm eſſet junior omnibus in tribu Nephthali, nihil tamen puerile geſſit in opere; denique, cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos Jeroboam fecerat Rex Iſrael, hic ſolus fugiebat conſortia omnium, ſed pergebat in Jeruſalem ad templum Domini, & ibi adorabat ad Dominum Deum Iſrael, omnia primitiva ſua, & decimas ſuas fideliter offerens. v.* 9. *Cùm verò factus eſſet vir, & v.* 11. *per captivitatem deveniſſet cum uxore ſua, & filio in civitatem Niniven, cum omni tribu ſua, v.* 12. *(cùm omnes ederent ex cibis Gentilium) iſte cuſtodivit Animam ſuam, & nunquam contaminatus eſt in eſcis eorum; v.* 13. *Et quoniam memor fuit Domini in toto corde ſuo, &c.* Iſte autem ſic innocens, & recedens ab omni malo; quamplures afflictiones, & tribulationes paſſus eſt, nam præter captivitatem nuper memoratam, à Rege Sennacherib, interfici juſſus eſt, & vix mortis fugit imperium, ut habetur eodem *lib. cap.* 1. *v.* 22. & *cap.* 2. *v.* 8. pertulit etiam propriæ ſubſtantiæ jacturam, ut legitur *cap.* 1. *v.* 22. ac tandem, ut alia omittam, cæcitatem fuit perpeſſus, ut conſtat ex *cap.* 2. *v.* 11. Tobias ſenior juſtus, & afflictus.

4 Noſtrum inſtitutum probat apertiſſimè innocens, & patientiſſimus Job, quòd enim innocens fuerit conſtat ex Divo Gregorio paſſim id atteſtante in Commentariis Moralibus ſuper librum Job, idque à Sacra Pagina oſtenditur, dicente *Job, cap.* 1. *n.* 1. *Vir erat in terra Hus nomine Job, & erat vir ille ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.* Quod inſuper ipſe Deus fuit atteſtatus inquiens *verſ.* 8. *Nunquid conſideraſti ſervum meum Job; quòd non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?* Et tamen, non obſtante ejuſdem innocentiâ; facultatem fecit Dominus Satanæ, ut eum affligeret, excepto quòd nec in Animam, neque in corpus per violentiam noceret, ut explicant Authores cum Titelmano: unde *verſ.* 12. *Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce univerſa, quæ habet, (Job) in manu tuâ ſunt; tantùm in eum, non extendas manum tuam.* Ergo Deus innocentes etiam affligit; quod confirmat ipſe Sanctus Job; *cap.* 17. inquiens: *Non peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus.* Sic ſimiliter Sanctus Job.

5 Si autem quærat aliquis cur Deus ita innocentes Tobiam, & Job affligeret? Reſpondendum: ſupernaturali providentiâ ita à Domino ordinari, ut juſti, & innocentes plus con-

Hic habes cur Deus affligit innocentes.

formes fiant imaginis Filiis ſui; nam ut inquit Paulus ad Rom. c. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti; nam quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filij ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Vel etiam ut ampliorem gloriæ mercedem pro præmio recipiant in Beatitudine; unde *Tob. cap. 2. verſ.* 12.& quentibus inquit Scriptura. *Hanc autem tentationem ideo permiſit Dominus evenire illi,* (Tobiæ ſcilicet) *ut poſteris daretur exemplum patientiæ ejus, ſicut & Sancti Job. Nam cùm ab infantia ſua ſemper Deum timuerit, & mandata ejus cuſtodierit, non eſt contriſtatus contra Deum, quod plaga cæcitatis evenerit ei: ſed immobilis in Dei timore permanſit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ ſuæ. Nam, ſicut beato Job inſultabant Reges, ita iſti parentes, & cognati ejus irridebant vitam ejus, dicentes: Ubi eſt Spes tua, pro qua eleemoſynas, & ſepulturas faciebas? Tobias verò increpabat eos, dicens: Nolite ita loqui, quoniam filij ſanctorum ſumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus eſt his, qui Fidem ſuam nunquam mutant ab eo.* Unde Auguſtinus in *Enchirida cap.*66. inquit: *Parvulos videmus poſt lavacrum regenerationis diverſorum malorum afflictione cruciari, ut intelligamus, totum, quod ſalutaribus agitur Sacramentis, magis ad Spem futurorum bonorum, quàm ad adoptionem præſentium pertinere.*

6 Aliæ etiam inveniuntur cauſæ, cur Deus moveatur ad puniendum & affligendum innocentem, quæ videri poſſunt apud Div. Auguſt. *tom.* 1. *lib.* 3. *de libero arbit. cap.* 23. quas adducit Sanctus Doctor in ſolutionem ſequentis quæſtionis quam excitat. *De cruciatibus autem corporis quibus affliguntur parvuli, quorum per ætatem nulla peccata ſunt, ſi animæ quibus animantur, non priuſquam ipſi homines eſſe cæperunt, maior querela, & quaſi miſericors deponi ſolet cum dicitur: Quid mali fecerunt, ut iſta paterentur? Quaſi poſſit eſſe innocentiæ meritum, antequam quiſque aliquid nocere poſſit.*

7 Dicent: ſaltem afflictiones quas innocentes patiuntur in hac vita, pœnam eſſe originalis peccati. Sed contra; quia Chriſtus Redemptor, originalis peccati fuit omnino incapax, propter divinitatem. Contra ſecundo, quia Beata Virgo Dei genitrix hanc labem communem non contraxit, ut eſt commune labium Eccleſiæ apud Velaſques de Conceptione, Sala-

zar

zar de Conceptione; Ægidium Luſitanum, & reliquos Theo-
logos poſt Sanctos Patres:& tamen, ut ſuprà diximus,& Chriſ-
tus Dominus & Beata Virgo innumeras afflictiones paſſi ſunt.
Contra tertio; quia in parvulis poſt Baptiſmum, neque pec-
catum jam amplius remanet, quod contraxerunt à primo pa-
rente, neque reatus aliquis ex eodem peccato amplius relin- Per Baptiſmũ deletur, nõ ſolum culpa originalis, ſed etiã omnis reatus ejuſdem.
quitur; ut eſt definitum à Tridentino *ſeſſ.* 5. in decreto de pec
cato Originali *num.*5. & tamen parvuli corporis cruciatibus af-
fliguntur, ut ex Auguſtino ſuprà notavimus. Quapropter diſ-
ce, hanc propoſitionem hucuſque impugnatam, & hanc ex-
cogitatam evaſionem, damnatas & proſcriptas fuiſſe à Sum-
mis Pontificibus, propoſitionibus 72. & 73. Michaelis Baij,
quarum prima ita aſſerebat: *Omnes omnino juſtorum afflictiones,*
ſunt ultiones peccatorum ipſorum, unde Job & Martyres, quæ paſſi
ſunt; propter ſua peccata paſſi ſunt. Alterius autem, hic eſt te- Præſens propoſitio 70. pluries fuit damnata.
nor. *Nemo præter Chriſtum eſt abſque peccato originali. Hinc Bea-*
ta Virgo mortua eſt propter peccatum ex Adamo contractum, omneſque
ejus afflictiones in hac vita, ſicut & aliorum juſtorum, fuerunt ultio-
nes peccati actualis, vel originalis.

8 Objicient. Commune eſt apud Theologos, mortem,
morbos, & alios defectus corporales, eſſe effectus ſecutos ex
originali peccato: ergo non eſt damnandum; quod afflictio-
nes corporales ſint ad puniendum peccatum ſaltem originale.
Confirmatur, quia ſi peccatum originale nunquam eſſet, ne-
que forent præfatæ afflictiones; ergo qui ab eodem peccato, &
aliis mundi eſſent, nullas paterentur afflictiones. Neque enim
pœna eſſet infligenda, ubi demeritoria cauſa deeſſet. Ante-
cedens præcipuum, videri poteſt apud Becanum *tom.* 1. *tract.*
2. *de peccatis cap.* 9. *de peccati Origin. q.* 11. *num.* 2. ubi agens de
effectibus peccati originalis in hac vita, inquit: *Actuale pecca-*
tum primi parentis, quod eſt commune omnium poſterorum, habet va- Effectus varij peccati Originalis.
rios effectus in nobis, Primus & immediatus eſt ſubſtractio juſtitiæ
originalis. Porro hæc juſtitia non erat ſimplex aliqua qualitas, ſed
continebat varia dona ſupernaturalia quorum aliqua erant in anima &
potentiis ejus, aliqua in corpore, nam in anima erat gratia gratum fa- Juſtitia originalis quid eſſet?
ciens; in intellectu fides; in voluntate Spes & Charitas; in appetitu
ſenſitivo diverſi habitus, qui illum rationi ſubjiciebant; denique in cor-
pore, qualitas quædam ſupernaturalis, quæ ipſum à morte & aliis no-
cumentis

cumentis præſervabat, adjuncta tamen externa Dei protectione. Et paulò poſtea *num.* 4. inquit. Ex ſubtractione juſtitiæ originalis, *ſecutus eſt tertius effectus in corpore, ut mortalitas, morbus, mors, & alij defectus corporales, quos patimur. Ita Div. Thom. q.* 85. *art.* 5. & 6. *Et ratio eſt, quia quanvis hi defectus, ſint etiam quodammodo naturales, tamen per juſtitiam originalem erant penitus ſublati, & quia poſtea per peccatum redierunt, dicuntur eſſe effectus peccati.*

Relati effectus peccati originalis, potiùs attribuuntur peccato originali originanti in Adamo; quàm peccato originali originato in nobis. Quod patet, nam aliqui ex his effectibus, ut mortalitas, & mors, fuerunt in Christo, & B.V. in quibus peccatum originale nō fuit.

9 Sed reſpondetur primò juxta doctrinam ejuſdem Becani citata quæſtione, *num.* 1. prædictos effectus mortalitatis, morbi, & mortis, qui tribui ſolent peccato originali, commodiùs tribui peccato primi parentis, in quo omnes peccaverunt: nam & hi effectus fuerunt in Beatiſſima Virgine, in qua tamen non fuit peccatum originale. Unde afflictiones cum ſint effectus actualis peccati Adami, nullam aliam quærunt in innocentibus peculiarem culpam aut cauſam. Reſpondetur ſecundò: quòd licét in Beata Virgine, & innocentibus poſt remiſſum originale non ſit aliqua culpa particularis aut originalis meritoria afflictionum; cûm tamen ipſi ſint participes naturæ humanæ ſecundùm ſpeciem lapſæ, quanvis præſervatæ in Beata V. & reparatæ in cæteris; jam ſatis iidem innocentes redduntur ſubditi illis afflictionibus, quæ ipſam naturam in ſpecie comitantur; nam & ejuſdem naturæ in ſpecie ſunt participes, ut individua ad ſuam ſpeciem. Confirmatur, quia Sancti Patres, & juſti qui ante Chriſti mortem, vità ſunt functi, non ſtatim Cælorum Regna ſunt ingreſſi; quia licét ipſi in gratia, & amicitia Dei eſſent conſtituti, attamen tota natura humana in ſpecie non erat redempta, ac Deo reconciliata; ac inde debebant individua particularia illius naturæ, ſufferre pondera, & impedimenta univerſalis naturæ, queadusque per Chriſti mortem, & myſteria, dignificaretur æterna Beatitudine. Sic ſimiliter juſti, & innocentes, naturæ humanæ participes, ejuſdem qualitates communicant, à quibus tota ſpecies nunquam extitit libera niſi ex quodam favore indebito, & externa Dei protectione. Reſponderi poteſt tertiò, præjactum argumentum, locum non habere circa præſentia; quia, ut ſuprà diximus præcedenti *num.* 3. ex noſtro Gregorio Magno, *Innocentes non affliguntur pro corrigenda culpa, ſed pro gratia augenda.*

10 Authores impugnatæ, ac damnatæ hujuſcemodi propoſitionis,

poſitionis, ad eam aſſertionem fundamentum aſſumunt, ex *Joan. cap.* 9. ubi præteriens JESUS, vidit hominem cæcum à nativitate, & interrogatus à Diſcipulis, quis peccaverit, ipſe an parentes ejus, ut cæcus naſceretur? *Reſpondit JESUS, neque hic peccavit, neque parentes ejus: ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo.* Nullum tamen invenio in eo Textu Joannis ad hunc errorem aliquod fundamentum: imò oppoſitum aperté colligitur. Si autem ex verſione Gallica Montenſi, vel quanvis alia non Canonica, hoc deducant; reſpondeo eam verſionem non eſſe approbatam, receptam ve ab Eccleſia, imò damnatam & rejectam à vivo Eccleſiæ totius Oraculo, ut conſtat ex Bulla *Unigenitus.*

11 Scio equidem, Baio Janſenianos pro defendendo hoc errore, nonnulla adducere teſtimonia Divi Auguſtini, præſertim ex *lib. 2. contra Julian.* itemque ex *diſput.* 1. *contra Fortunat.* ubi Sanct. Doctor videtur docuiſſe, innocentes non poſſe à Deo juſté affligi. Sed reſpondetur; hoc eſſe verum, ſi afflictio detur pro pœna delicti; aliter ſi afflictio ſit pro augmento meriti, & gratiæ, Deinde Sanct. Doctor in primo loco probat parvulos contrahere peccatum, quia afflictiones patiuntur; quia ſecundùm ſtatum peccati originalis, afflictiones dantur non ſolum ob alium finem, ſed etiam in pœnam illius. In ſecundo loco; ideo inquit Auguſtinus, afflictiones eſſe pœnas proprij delicti cõmiſſi; quia non confutabat Manichæos docentes, parvulos damnari, propter peccata, quæ facerent, ſi viverent.

Fruſtra adverſarij pro ſua ſententia Auguſtinū adducunt.

CAPUT

CAPUT XXVII.

Impugnatur, & rejicitur error propoſitionis LXXI.

Tenor propoſitionis 71.

1 SENSUS iſtius propoſitionis eſt apertiſſimus, inquit enim: *Homo ob ſui conſervationem, poteſt ſeſe diſpenſare ab ea lege quam Deus condidit propter ejus utilitatem.* Lex autem, quam Deus condidit, eſt lex nova ſeu Evangelica, hæc apud Chriſtianos viget in novo Teſtamento, & à Chriſto lata eſt. Unde per Iſaiam *cap. 33. v. 22.* Chriſtus non ſolùm dicitur Redemptor, ſed etiam Legiſlator: *Dominus juſtus noſter, Dominus Legifer noſter, Dominus Rex noſter, ipſe ſalvabit nos.* Et per Apoſtolum *1. ad Corint. 9. 21.* ſic dicitur: *Illis qui ſine lege erant, factus ſum tanquam ſine lege eſſem, cùm ſine lege Dei non eſſem, ſed in lege eſſem Chriſti.* Hic non loquor de lege veteri à Deo etiam condita, quia abrogata eſt, unde nullus circa illam eſt diſpenſandi locus. Et quanvis adhuc vigeant quamplura præcepta quæ in lege veteri continebantur, ut viſitur in præceptis Decalogi, ea Chriſtianos non obligant, prout tradita in lege veteri, ſed prout renovata ſunt à Chriſto in Evangelio. Ita Dominicus Sotus *lib. 2. de juſtit. q. 5. art. 4.* Medin. *in 2. q. 103. art. 3.* Gregor. de Valent. *q. 7. de legibus p. 7.* & alij. Poteſt igitur homo quiſvis ex vi iſtius propoſitionis ſe ſe diſpenſare ab obſervanda Chriſtiana lege, quam totam, Deus condidit, propter ipſius hominis temporalem, & æternam utilitatem, quæ in quovis Decalogi præcepto ſatis apparet.

Chriſtus Redemptor, & Legiſlator noſter.

Quomodo Chriſtianos etiam nùc obligent aliquot præcepta quæ in Lege veteri ſcripta erant.

Hujus propoſitionis cẽſuræ.

2 Hæc tamen deliratio non ſolùm eſt falſa, & liberé prolata, verùm etiam piarum aurium offenſiva; ex ea enim ſequitur, poſſe quemlibet licité laſcivienti concupiſcentiæ inſervire,

ſervire, conſervandæ vitæ, & valitudinis ergo, diſpenſativa facultate circa ſextum præceptum utendo. Eſt autem hoc etiam temerarium; hoc eſt contra omnes Patres, atque Doctores. Poterit etiam quilibet ſe diſpenſare à præcepto confitendæ Fidei coram tyranno de Religione inquirente. Patet, quia juxta Divum Thom. *q. 3. art. 3.* datur affirmativum præceptum, quo jubemur profiteri Chriſti Fidem, quod obligat quoties ea confeſſio eſt neceſſaria ad honorem Dei, vel utilitatem proximi; atqui hoc præceptum datum eſt à Deo propter ſummam, & maximam utilitatem noſtram: ergo. Probatur minor, quia talis confeſſio eſt nobis utilis, & neceſſaria utilitate, & neceſſitate medij. Unde *ad Romanos* 10. *v.* 9. ſic legitur: *Si confitearis in ore tuo Dominum JESUM, & in corde tuo credideris, ſalvus eris.* Et confirmatur ex illo *Matth.* 10. 33. ibi: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum corā Patre meo.* Et *Luc. 9. 26. Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet, cùm venerit in maieſtate ſua.* Unde colligitur facilé eandem propoſitionem eſſe ſuſpectam de hæreſi, & eidem proximam; imò hæreticam, refert enim Euſebius *lib. 6. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* 37. fuiſſe olim hæreticos, ut tales damnatos, qui dicerent non peccare eos, qui in perſecutionibus negant Chriſtum voce, dummodo eum corde confiteantur. Idem ſenſerunt Priſcillianiſtæ, & alij Pſeudo Catholici apud Valentiam *q. 3. p.* 2.

3. Vera in hac re doctrina eſt in lege non niſi Superiorem poſſe diſpenſare. Ratio eſt, quia diſpenſatio eſt actus juriſdictionis, qui ideo requirit in diſpenſante ſuperioritatem reſpectu materiæ diſpenſandæ, & ſubjecti, cum quo diſpenſatur. Unde diſpenſatio ſic definitur à Gloſſa *in cap. Requiritis 1. q. 6. Juris communis relaxatio, facta cum cognitione cauſæ ab eo, qui jus habet diſpenſandi.* Alij autem eam ſic definiunt: *Diſpenſatio eſt juris relaxatio, á poteſtatem relaxandi habente facta.* Hæc eſt ratio, cur non poteſt inferior diſpenſare in præceptis ſuperioris, niſi quantum à Superiore ſibi permittitur, vel expreſſé, vel interpretativé, eo modo, quo in Jure habentur argumenta; quòd diſpenſatio in ſtatutis Papæ aliquando ſit conceſſa Epiſcopis. Eſt inquam ratio; quia diſpenſatio eſt actus juriſdictionis, quam quidem non habet inferior in ſuperiorem.

In Lege ſolus ſuperior poteſt diſpenſare.

Quid ſit diſpenſatio.

rem. Ita Div. Thomas *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 3. *a.* 2.

In præceptis Juris Divini, aut naturalis, neque ipſe Papa poteſt diſpẽſare.

4 Hinc fit nullum hominem, neque etiam Summum Pontificem, poſſe diſpenſare in præceptis Juris Divini, (aut naturalis) ut inquit Div. Thom. *Quodlibet* 4. *art.* 13. *&* *in* 1. *diſt.* 57. *&* *in* 3. *diſt.* 37. & communiter Theologi. Ratio eſt, quia etiam Papa eſt inferior Deo præcipienti, & naturæ dirigenti. Imò juxta doctrinam Dominici Soti *lib.* 2. *de Juſt.* *&* *Jur.* *q.* 3. *a.* 8. Bellarmini *cap.* 11. *de Matrimonio*, neque Deus poteſt diſpenſare in præceptis Decalogi. Citatis Authoribus faveiit Durand. *in* 1. *diſt.* 47. *q.* 4. Bonavent. ibidem, Scotus, & Gabriel *in* 3. *diſt.* 37. *q.* 1. qui tamen procedunt cum aliqua reſtrictione. Ratio autem, cur neque Deus in præceptis Decalogi, imò & in cæteris legis naturalis diſpenſare valeat, hæc eſt. Quia diſpenſare in lege nihil eſt aliud, quàm concedere alicui, ut agat contra legem, quando ea viget, & obligat; vide Becan. *tract.* 3. *de legibus*, *cap.* 3. *de lege naturali quæſt.* 4. *num.* 5. Deus autem non poteſt alicui concedere, ut agat contra legem naturalem vigentem, & obligantem; ſive talis conceſſio fiat circa decem naturalia præcepta, quæ continentur in Decalogo, ſive in aliis, quæ ſint extra Decalogum: operari enim contra præcepta hæc eſt intrinſecè malum, & turpe; nam lex naturalis nihil aliud eſt, quàm naturale dictamen rectæ rationis: ergo contra illam operari turpe erit. Igitur, ſi neque Deus diſpenſare poteſt in præceptis naturalibus, ſive incluſis in Decalogo, ſive non incluſis, quomodo quilibet homo id poterit?

Poſſit né Deus diſpenſare in præceptis Decalogi?

Utrùm in Decalogo ſit aliquod præceptum, quod naturale non ſit?

5 Dices. In Decalogo inveniuntur duo præcepta, quæ naturalia non ſunt; & ſic ſe habent tertium præceptum: *Memento ut diem Sabbathi ſanctifices*; & ſextum, quod eſt: *Non mæchaberis*: ergo in his poterit admitti aliqua diſpenſatio. Probatur antecedens. Quia tertium præceptum eſt cæremoniale, non eſt igitur naturale. Deinde ſextum præceptum, quo caſtitatem colere jubemur, (extra conjugatos tamen) non opponitur alicui malo intrinſecè, & ex ſua naturali ratione; luxuria enim ſolùm eſt mala, quia prohibita. Cùm autem hæc ultima prohibitio dirigatur in hominis utilitatem, primò temporalem, deinde æternam ex merito obedientiæ; poterit quis propriæ utilitati cedens ſe ſe diſpenſare in obſervantia hujus

jus præcepti diſpenſabilis ex propriá naturâ.

6 Reſpondetur omnia præcepta, quæ in Decalogo continentur, eſſe naturalia, (ac Divina quatenus à Deo tradita) nam juxta Div. Thom. 1. 2. *q.* 99. *art.* 4. talia præcepta ſunt moralia; quia ad bonos mores inſtruendos per ſe pertinent; mores autem humani dicuntur in ordine ad rationem, quæ eſt proprium actuum humanorum principium; conſequenterque præcepta Decalogi, & omnia moralia ad legem naturæ pertinent. Verum quidem eſt tertium præceptum cæremoniale eſſe, aſt non ſimpliciter, partim eſt naturale, ut conſtat ex Div. Thom. *quæſt.* 100. *art.* 5. *ad* 2. Nam quatenus illo præcepit Deus rebus Divinis interdum vacare, ad commemorandum beneficium creationis, gloriæ futuræ, & quietis in Deo, naturale erat: cæremoniale autem, quatenus erat præceptum, ut id fieret die Sabbathi, quo Deus ab opere creationis requievit; qua ex parte jam hoc præceptum ceſſavit, & in alia feſta eſt mutatum. Sextum præceptum falſó dicitur non eſſe de lege naturæ, cùm enim luxuria ſit intrinſecé mala extra matrimonium, non ſolùm quia prohibita; inde eſt quòd etiam à naturali dictamine ſit prohibita. Conſtat hoc, quia luxuria, ut docet noſter Magnus Gregorius *lib.* 31. *Moral. cap.* 31. Div. Thom. 22. *q.* 153. *artic.* 4. & 5. Sayrus *Clavi Reg. lib.* 8. *cap.* 1. eſt ex natura ſua vitium capitale, ex quo octo emergunt peccata naturali ratione damnabilia; hæc autem ſunt *Cæcitas mentis: Inconſideratio: Præcipitatio: Incōſtantia: Amor ſui: Odiū* Dei: *Affectus præſentis ſæculi: Horror, vel Deſperatio futuri*: radix autem, à qua tot pullulant crimina, non poteſt ex ſe peccaminoſa, & ex natura ſua mala non eſſe. Scio, gentiles Decalogum penitus ignorantes, ex ſola naturali ratione ductos agnoviſſe, nihil tam mortiferum ingeniis eſſe, quàm luxuriam, quæ rationem perturbat, intellectum hebetat, memoriam enervat, oblivionem immittit, errorem infundit, ignorantiam inducit, & hominem facit quaſi beſtiam: unde eſt inter Authores jam quaſi indubitatum luxuriam eſſe intrinſecé malam, & peccaminoſam ex proprio genere, ac naturali dictamini oppoſitam. Id colligunt ex *Clement. ad noſtrum de hæretic. error.* 7. & ex Div. Thom. 2. *quæſt.* 154. *a.* 2. ibi: *Omnis vagus concubitus militat contra jus naturæ.*

Et tertium, & ſextū præceptum eſt de lege naturæ.

Luxuriæ actus prohibiti, quia de ſe mali ſunt.

turæ. Tantum Magiſtrum ſequitur Schola Angelica, Caramuel, Sayrus, Trullench *tom.* 2. *lib.*5. *c.*4. *dub.* 2. *num.*2. quidquid in oppoſitum doceant Hæretici Nicolaitæ, & Anabaptiſtæ, de quibus Epiphan. *hæreſ.* 26.

An Deus aliquando diſpēſaverit in ſexto præcepto Decalogi?

7 Eſto tamen quòd Deus poſſit diſpenſare in præceptis Decalogi, & quòd venerea gaudia non ſint prohibita jure naturali, & quòd Deus in hoc ſexto præcepto aliquando diſpenſaverit, (quocirca vide Caramuel. *Theolog. fundam. tom.* 2. ſuper ſextum præceptum Decalogi, & Becan. *in 2. parte Theologiæ Scholaſticæ tract.* 3. *de Legib. cap.* 3. *q.* 4. *per totam*, ubi hanc difficultatem doctiſſimè diſcutit) ſequitur nè, iis admiſſis, poſſe quemlibet hominum ſe ſe diſpenſare in eiſdem præceptis? Minimè.

Quādo,& quomodo quintum præceptum nō urgeat?

8 Objicient. Ad defenſionem propriæ vitæ poteſt quis ſe ſe diſpenſare à præcepto non occidendi; licité enim poſſum occidere, qui me injuſté aggreditur, cum moderatione inculpatæ tutelæ, ut eſt communis doctrina. Sic Petrus Navar. *lib.* 2. *c.* 3. *n.* 326. *&* 345. Sylveſter *v. Bellum*, 2. *q.* præſertim 5. *&* 7. Sayr. *lib.* 3. *Theſaur. c.* 27. *n.* 13. Leſſ. *lib.* 2. *c.* 5. *dub.* 8. & alij: ergo quoties adfuerit aliqua utilitas, poterit quiſvis ſe ſe diſpenſare in ea lege, quam Deus ob ejus utilitatem condidit. Reſpondetur negando antecedens: nam in tali caſu non datur aliqua diſpenſatio in quinto præcepto; ſed tantù m declaratio, dictans legem tunc non obligare. Ratio eſt, quia diſpenſatio præſupponit quòd maneant, & vigeant circunſtantiæ, ſub quibus lex obligat, declaratio autem ſolùm oſtendit legem non obligare, & ideo ſupponit mutatas circunſtantias, ſub quibus lex obligabat. Ita Richard. *in* 3. *d.* 37. *art.* 1. *q.* 5. Durand. *in* 1. *diſt.* 47. *q.* 4. Herve, ibidem *q.* 3. *art.* 1. Valent. *q.* 4. *de Legibus punct.* 6. Petrus de Aragonia in 2. 2. *q.* 88. *art.* 10. Joannes Azor. *lib.* 6. *Inſtit. Moral. cap.* 1. *q.* 3. & alij. In caſu autem propoſito non exiſtunt circunſtantiæ, in quibus viget lex prohibens homicidium; imò abſolutè mutatæ ſunt; quia naturæ inſitum habemus velle vitam, quantum poſſumus cuſtodire; ſi ergo quis vitam cuſtodire non poſſit, niſi per aggreſſoris occiſionem, intelliget in hac circunſtantia legem non obligare, naturâ, prudentiâ, & ratione ita declarante.

Con-

9 Confirmatur, & exemplificatur ex lege de quadrageſimali jejunio. Præfata lex obligat Chriſtianos, ut à cibis carnalibus abſtineant; ſub his tamen circunſtantiis, quòd ſcilicet ſanitate polleant, & alios cibos habeant. Quandiu vigent hæ circunſtantiæ, & lex viget: unde ab ea nemo eximitur, niſi per diſpenſationem. Si autem circunſtantiæ mutentur, v. g. ſi abſit ſanitas, ſi deſint alij cibi præter carnes, jam lex non obligat, neque requiritur diſpenſatio ad eſum carnium quadrageſimali tempore; habet enim locum declaratio, intelligitur enim tali caſu eam legem non obligare. Hæc autem præmiſſimus; ut faciliùs reſpondeamus præcipuo adverſariorum argumento in hac re. Sub quibus circunſtantiis lex obliget ad jejunium?

10 Opponunt illud Marci 2. *à verſ.* 23. ibi: *Et factum eſt iterum cùm Dominus ſabbathis ambularet per ſata, & diſcipuli ejus cœperunt progredi, & vellere ſpicas. Phariſæi autem dicebant ei: Ecce quid faciunt Diſcipuli tui ſabbathis, quod non licet. Et ait illis: Nunquam legiſtis quid fecerit David quando neceſſitatem habuit, & eſuriit ipſe, & qui cum eo erant? Quomodo introivit in Dei domum ſub Abiathar Principe Sacerdotum, & panes propoſitionis manducavit, quos non licebat manducare niſi Sacerdotibus, & dedit eis, & qui cum eo erant? Et dicebat eis: ſabbathum propter hominem factum eſt, & non homo propter ſabbathum. Itaque Dominus eſt filius hominis, etiam ſabbathi.* Itaque ex hoc Textu quatuor conſtare videntur. *Primum*: David, & alios qui cum eo erant, ſe ſe diſpenſaſſe à præcepto non edendi panes propoſitionis, quibus ſolùm Sacerdotes veſci poterant, ut conſtat ex *Levit.* 24. 8. & 9. *Secundum.* Chriſtum Dominum & ſe, & ſuos diſcipulos diſpenſaviſſe à præcepto cuſtodiendi, hoc eſt, ſanctificandi ſabbathum. *Tertium*: Chriſtum Dominum, qua Filium hominis, habuiſſe eam poteſtatem diſpenſativam in lege, ut colligitur ex illis verbis: *Dominus eſt filius hominis, etiam ſabbathi*; quod etiam verificatur ex verbis contextûs. *Quartum.* Hanc diſpenſationem Legis à Chriſto ut homine, in eo fundatam eſſe, quia lex ſanctificandi ſabbathum inſtituta eſt propter utilitatem hominis; tum ſpiritualem, ut inquit Caietanus in hunc locum; tum temporalem etiam, ut conſtat ex Sylveira hic: in ſabbatho enim homo ſex dierum labore fatigatus ſeptimo die requieſcit, juxta *Exod.* 20. 10. & *Deuter.* 5. 14. & tunc à preſſura cor-

 poris

poris vacuus liberé mentem erigit ad audiendam Divinam Legem, Divinaque beneficia contemplanda. Ergo his exemplis quaſi manuducti poterunt homines, quia ſunt homines, ſe ſe diſpenſare in Lege à Chriſto inſtituta ob utilitatem eorum; quoties eis viſum fuerit, credere juri utilitatis propriæ.

Falſò objicitur David, aut Chriſtũ in Legè diſpenſaſſe.

11 Reſpondetur negando ſuppoſitum. Neque enim David, aut Chriſtus Dominus diſpenſatione aliqua in memoratis legibus uſi ſunt; ſed tantùm interpretatione, atque declaratione, quòd eæ Leges, in tanta neceſſitate non obligarent; lex enim poſitiva prohibens ſabbatho vellere ſpicas, aut comedere panes é menſis aureis, ita interpretanda eſt, naturâ, & ratione magiſtrà, ut nunquam homo adverſetur juri naturali, quo vitæ ſuæ conſulere tenetur; maior enim eſt vis præcepti naturalis, quàm poſitivi; & quia Deus Legem ſuam non ſtatuit contra naturale dictamen rectæ rationis, ac tandem, quia nunquam lex in neceſſitate urget, ut eſt commune proloquium.

CAPUT XXIX.

Propoſitio LXXII. & ſex aliæ ſequentes eâdem labe infectæ exponuntur, atque rejiciuntur.

1 SCOPUS harum propoſitionum, quas citavimus in Epigraphe, hic eſt, quòd ſoli juſti ad Eccleſiam dicantur pertinere; peccatores autem reliqui, non minus quàm gentiles, extra Eccleſiam vagantur. Oh quantum peccatores nequiter, & inutiliter deprimunt ſequentes propoſitiones!

LXXII. Nota Eccleſiæ Chriſtianæ eſt, quòd ſit Catholica, comprehendens & omnes Angelos Cæli, & omnes electos, & juſtos terræ, & omnium ſæculorum.

LXXIII. Quid eſt Eccleſia, niſi cœtus filiorum Dei, manentium in ejus ſinu, adoptatorum in Chriſto, ſubſiſtentium in ejus Perſona, redemptorum ejus ſanguine, viventium ejus Spiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri ſæculi.

LXXIV. Eccleſia, ſive integer Chriſtus, Incarnatum Verbum habet ut caput, omnes verò ſanctos, ut membra.

LXXV. Eccleſia eſt unus ſolus homo, compoſitus ex pluribus membris, quorum Chriſtus eſt caput, vita, ſubſiſtentia, & perſona. Unus ſolus Chriſtus compoſitus ex pluribus ſanctis, quorum eſt ſanctificator.

LXXVI. Nihil ſpatioſius Eccleſiâ Dei, quia omnes electi, & juſti omnium ſæculorum illam componunt.

LXXVII. Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, & membro Chriſti, ceſſat interius habere Deum pro Patre, & Chriſtum pro capite.

LXXVIII. Separatur quis á populo electo, cujus figura fuit

 populus

populus Judaicus, & caput eſt JESUS Chriſtus, tam non vivendo ſecundùm Evangelium, quàm non credendo Evangelio.

2 In harum prima propoſitione ſtatuitur Eccleſiã Chriſtianam ideo dici *Catholicam*, quia conſtat ex ſanctis Angelis, & hominibus juſtis, qui nunc, & per omnia retro ſæcula extiterunt; excludendo ab Eccleſiæ ſinu cæteros Fideles peccato aliquo infectos, ut clariùs dicitur reliquis propoſitionibus. Nec mirum: Fidem enim incomponibilem eſſe dicunt cum peccato: ergo peccator, cùm ſit ea ratione infidelis, ad Eccleſiam nullatenus pertinebit. Relicto tamen hoc hæretico fundamento, quod jam refellimus *cap. 3. ſect. 2. 3. & 4.* tria nobis examinanda veniunt. *Primum*: Cur Eccleſia Chriſtiana dicatur Catholica? *Secundum.* Utrùm, & qualiter Angeli Beati pertineant ad Eccleſiam? *Tertium.* Utrùm ſolùm juſti, an etiam peccatores ad Eccleſiam debeant pertinere? Ad primum reſpondebimus infra ſectione 2. num. 10.

Senſus propoſitionis 72. & reliquarum.

3 Ad ſecundum dicendum Angelos beatos pertinere ad Eccleſiam, ſumptam univerſaliter, & laté; quam hoc modo conſtituunt Angeli, & homines. Ita Div. Thom. 3. *p. q. 8. art. 4.* Undè Paulus ad *Epheſ. 1. Ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam; quæ eſt corpus ejus*; id eſt ſupra Eccleſiam ex Angelis, & hominibus conſtantem, juxta Chryſoſtomum, Hieronymum, & Theophilactum ſupra illum locum Pauli. Idem docet Divus Auguſtinus in *Enchirid. cap. 56.* & ratio eſt, quia ex his omnibus conſtituitur illa Reſpublica myſtica, cujus caput eſt Chriſtus; quo ſenſu dicitur a *Joan. 1. 16. De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Sic Franciſcus Turrian. *lib. 2. de Dogmat.* & noſter Antonius Peres in ſuo *Pentateucho volum. 1.* Idcirco Magnus Gregor. Papa ſuper 1. *Reg.* dum interpretatur illud: *& non eſt alius extra te*, ſic inquit: *Nullus hominum, neque Angelorum Sanctus, niſi propter Chriſtum.* Hujus aſſertionis ratio eſt: quia Chriſtus, non ſolùm ut Deus, ſed etiam ut homo eſt caput omnium prædeſtinatorum, & Sanctorum, tam hominum, quàm Angelorum. Ita Divus Hieronym. ſuper *Epiſt. ad Epheſ. 1.* Divus Auguſtinus *Concion. 5. in Pſal. 36.* Divus Hilar. in *Pſalm. 139.* Divus Thom. 3. *p. q. 8. art. 5.*

Eccleſia laté ſumpta etiam Angelos comprehendit.

Chriſtus etiam ut verus homo eſt caput Sanctorũ Angelorũ.

4 Dicendum tamen eſt hanc Eccleſiam ita univerſaliter ſumptam dividi ſpecialiùs in aliam, quæ eſt Angelorum, & in

in aliam, quæ eſt hominum. Ratio eſt: quia Chriſtus non eſt caput Angelorum, ſicut eſt hominum, ſub eadem ratione communi Redemptoris. Nam, ut inquit Divus Auguſtinus in *Enchirid. c.* 17. *Nullus redimitur, niſi ſub peccato inveniatur.* Aſt Sancti Angeli in nullum peccatum inciderunt, quanvis hoc illis datum fuerit per Chriſti merita futura, & prævi ſa. Confirmatur hoc ex doctrina Divi Auguſtini, ac Divi Bernardi *ſerm. in fer.* 4. *Hebdom. ſanctæ*, ubi inquit, Chriſtum mortem non ſuſtinuiſſe pro Angelis. Vide Peres citatum. Suppoſita hac diſtinctione utriûſque Eccleſiæ Angelorum dicitur primitiva, quia ab illis cœpit Eccleſia. Pro reſolutione tertiæ difficultatis ſit.

Eccleſia Angelorum una hominum altera, ſtrictiùs ſumpta.

Alio modo Chriſtus eſt caput Angelorũ, & alio modo caput hominũ, qui ſunt in Eccleſia.

SECTIO I.

Quinam homines ad Eccleſiam dicendi ſint pertinère?

1 IN præſenti poteſt quæri primò: Utrùm Eccleſia conſtet ex ſolis ſanctis, & omnino juſtis, omni prorſus vel leviſſima rugâ carentibus? Negativé. Ita Divus Hieron. *lib.* 1. *contra Jovin.* Auguſt. *lib. de perfect. Juſtor. & lib.* 3. *contra* Parm. *cap.* 2. & 3. Petrus Soto contra Brent. *cap.* 18. Michael Medin. *lib.* 7. *de Fide cap.* 20. Peres in Pentateuc. *volumine* 1. *dub.* 7. Eſtque omnium Catholicorum, nam oppoſitum fuit damnatum in Concilio Milevit. *cap.* 6. & 7. Probatur primò; quia, ut exponit Peres citatus, & alij cum eo in 1. *Joan. cap.* 1. tam de ſe, quàm de aliis Apoſtolis inquit citatus Joannes: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Et ratio eſt; quia cùm ſepties in die juſtus cadat, in leviora (aliter non jam juſtus) & non ſit homo mundus ſuper terram, neque infans unius, ſi dicerent Apoſtoli in ſe ipſis peccatum non eſſe, certè ſemet ipſos ſeducerent. Cùm enim dicat David: *Delicta quis intelligit?* Et Paulus: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum,* quis audaciter dicet peccatum ullum ſaltem leve non habere? Igitur ex prædictis formatur hoc efficax argumentum. Apoſtoli erant de Eccleſia, erant enim Eccleſiaſticæ fabricæ prima fundamenta; & tamen non poterant certò dicere ſe peccatum ullum

Nõ ſolúm juſti homines ſũt de Eccleſia.

Septies (in leviora) cadit juſtus.

ullum ex levioribus non habere: ergo ut quis ad Eccleſiam pertineat, neceſſe non eſt quòd ab omni, & quacunque macula, aut ruga ſit immunis.

2 Probatur ſecundò: quia Chriſtus Dominus Apoſtolos, & Eccleſiam univerſam docuit orando dicere: Dimitte nobis debita noſtra: ergo ſupponit in Eccleſia peccata aliqua, adminus leviſſima: Probatur tertiò; quia ex oppoſito ſequi poſſet non dari Eccleſiam militãtem, ex hominibus abſque ulla prorſus peccati labe conſtantem: dicitur enim *Pſal.* 142. *Non intres in judicium cum ſervo tuo, Dòmine, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Et 3. *Reg.* 8. *Non eſt homo, qui non peccet.* Et *Proverb.* 20. *Quis poteſt dicere: Mundum eſt cor meum? Mundus ſum á peccato?*

Si Eccleſia cõſtaret ex ſolis juſtis, omni labe carentibus, facilè poſſet cõvinci non permanere Eccleſiam militantẽ.

3 In oppoſitum declinarunt Pelagiani juxta quod in Auguſtino *lib. de Hæreſ. c.* 88. legimus: aſſerebant enim ad Eccleſiam eos tantùm pertinere, qui ab omni ſpirituali impuritate, & labe immunes, omnimoda integritate vitæ gaudent. Pelagianorum ſectatores poſtea extiterunt Catharij apud Cano *lib.* 4. *de locis, cap.* 3. Lutherus apud Bellarminum *tom.* 1. *lib. Eccleſ. milit. cap.* 7. Eorum fundamentum eſt; quia de Eccleſia Catholica in terris militante eſt dictum illud *Cant.*4. *Tota pulchra es, amica mea, & macula non eſt in te.* Propterea à Paulo ad *Epheſ.* 5. ſic ſcribitur: *Ut exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, neque rugam.* Hoc autem eſt intelligendum ex eo quòd nihil inveniri poſſit in Eccleſia, quod ſit reprehenſione, aut irriſione dignum, ut conſtat ex Hebraicis, & Græcis Commentariis. Quòd autem præjacta teſtimonia de militante in terris Eccleſia ſint intelligenda, conſtat ex Concilio Toletano 6. *cap.* 4. Reſpondetur adducta elogia de Eccleſia Triumphante eſſe potiùs interpretanda: neque enim de militante accipi ſolent pro tempore militiæ, ſed ſignanter pro tempore triumphi conſequendi, & planum eſt Concilium Toletanum loqui de Eccleſia militante, pro ea tantùm differentia temporis, in qua emerget in Triumphantem. Unde Gregorius Niſenus, Beda, Theodoret. Rupert. in *caput* 4. *Cantic.* ſupracitatum, Auguſtinus *Epiſt.* 99. *ad Hieron.* & *lib.* 1. *Retract. c.* 19. pro *ly Tota pulchra es*, ſic legunt: *Tota pulchra eris.* Standum igitur communi Patrum acceptione; aliàs temeraria

Error Pelagij, quem Catharus, & Lutherus ſecuti ſunt.

Eorum fundamentum.

Eccleſia militãs tota pulchra, & munda, nõ pro nunc, ſed ſignatè pro tempore triumphi conſequendi.

ria erit expoſitio. Et hunc eſſe Divi Pauli ſenſum patet ex ejuſdem Apoſtoli teſtimonio, poſtquam enim dixit de Eccleſia pro tempore militiæ, quòd *Chriſtus dilexit eam, & ſe ipſum tradidit pro eà, ut ipſam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*; ad gloriæ, atque triumphi ſtatum ſe convertens addit immediatè: *ut exhiberet ipſe ſibi gloriosam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi, ſed ut ſit ſancta, & immaculata.*

4 Aliter etiam valde congruè cum Alapide in *Commentariis ſuper cap. 5. Epiſt. ad Epheſ.* ubi cùm ſibi objeciſſet præſentem hæreticorum errorem, reſpondet: „ Eccleſiam dici *ſanctam* ſine macula, & ruga, non quòd omnes, qui in ea ſunt, „ tales ſint; ſed quòd præcipua Eccleſiæ pars, quæ Chriſto „ proximè adhæret, ſcilicet ſancti, qui non tantùm fide, ſed „ & gratiâ, & Charitate Chriſti ſunt præditi, tales ſint. Tota ergo Eccleſia dicitur *ſancta*. Primò, quia caput Eccleſiæ, „ ſcilicet Chriſtus, & præcipua ejus membra ſancta ſunt. Hinc „ quando ſoli ſancti vocantur Corpus Chriſti, (quod eſt Eccleſia) intellige perfectiſſimum, & potiſſimum, ut dixi cap. „ præcedenti v. 16. Sicut ergo totus homo dicitur ratiocinari, videre, audire, ſcilicet per caput; quia non pes, aut manus, ſed ſolùm caput propriè ratiocinatur, videt, audit; ita „ Eccleſia tota dicitur ſancta per ſuum caput, & collum, ideſt, „ per Chriſtum, & ſanctos, qui ei proximè adhærent, quaſi „ collum ſuo capiti. Sic dicitur de Antuerpia, quòd ſit dives, „ ſcilicet propter mercatores, qui in ea ſunt divites, cùm alioqui multi alij in ea ſint pauperes. Sic dicitur docta Univerſitas Lovanienſis, quia Doctores habet egregiè doctos, etiam „ ſi in ea multi alij ſint non ita docti.

Quo ſenſu Eccleſia etiam nūc militans dicatur *Sancta ſine macula, & ſine ruga?*

5 Poteſt quæri ſecundò. Utrùm magni ſaltem peccatores (illi ſcilicet, qui mortiferis ſunt infecti) de Eccleſia non eſſe dicantur? Reſpondendum hos etiam peccatores adhuc ſub miſerrimo ſtatu Lethalis culpæ ad Eccleſiam militantem pertinere; eſtque de Fide juxta ſacram Paginam, ut conſtat ex Parabolis ſagenæ miſſæ in mare, bonos, & malos piſces congregantis, juxta *Matth.* 11. & virginum, quarum quinque prudentes, & quinque fatuæ, juxta *Matth.* 25. quibus Parabolis ſignificatur quòd in Eccleſia militante boni cum malis, & reprobi

Etiam magni peccatores ad Eccleſiam pertinent.

probi cum electis admixti ſunt. Ita omnes Catholici Doctores cum Divo Auguſt. *collat.* 3. *contra Donatiſtas*, & *tract.* 6. *in Joan.* & *ſerm.* 107. *de tempore*, Divus Hieron. *Dial. contr. Lucif.* & *tract. contr. Pelag.* Divus Cyprian. *lib.* 3. *Epiſt.* 3. Et *lib.* 4 *Epiſt.* 2. Divus Gregor. Nazianz. *orat. in Jul.* Divus Greg. Magn. *Homil.* 11. 12. & 38. *in Evangelia.* Hinc propriè, & verè intelligitur qualiter de Eccleſia militante dicatur *Cant.* 1. *Nigra ſum, ſed formoſa.* Dicitur enim nigra propter malos, formoſa verò propter bonos, ut explicat Auguſtinus *tom.* 7. *lib. de Unitate Eccleſ. c.* 3. Neque aliter exponit illud *Cantic.* 1. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*; videlicet propter bonos, & malos, qui in Eccleſiæ ſinu continentur.

Eccleſia cur nigra, & formoſa? Cur lilium inter ſpinas?

6 Divus Paulus idem docuit; nam 2. *ad Timoth. cap.* 2. ſic inquit: *In magna domo non ſolùm vaſa aurea, & argentea, ſed etiam lignea, & fictilia.* Hic autem magna domus eſt Eccleſia, ut inquit Divus Auguſtinus *lib.* 4. *de Baptiſmo contra Donatiſt. c.* 12. Lauret. *v. Domus*; A Lapide ſupra citatum Pauli locum *v.* 20. & alij paſſim, quæ interpretatio eſt ad mentem ejuſdem Apoſtoli, qui militantem Eccleſiam domûs nomine ſolet appellare, unde ad Timot. 1. *cap.* 3. *v.* 15. inquit: *Ut ſcias quomodo oporteat te in domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia.* Sunt autem in Eccleſia vaſa aurea, & argentea, itemque lignea, & fictilia propter peccatores, & juſtificatos, juxta doctrinam Divi Auguſtini, & Divi Cypriani locis ſuprà relatis, quibus adhæret Magnus Baſilius *Homil. Quòd Deus non eſt auctor malorum*, inquiens: *Vas aureum eſt is, qui mente, moribuſque ſimplex, ac ſine dolo eſt. Argenteum qui illo paulò pòſt eſt inferior dignitatis, ac pretij æſtimatione. Teſtaceum eſt qui terreſtria ſapit, & frangi, conterique eſt aptus. Ligneum qui per peccatum facilè ſordet, & igni æterno materiam præbet.*

Eccleſia eſt magna domus, habens vaſa aurea, argentea, & lignea.

7 Validum argumentum ad inſtitutum noſtrum probandum fieri poteſt ex illis verbis Chriſti Domini apud *Matth.* 18. his verbis: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum; ſi non audierit, dic Eccleſiæ, quòd ſi Eccleſiam audire noluerit, ſit tibi tanquam Æthnicus, & Publicanus.* Ecce habemus ex Chriſti Oraculo quendam peccantem, qui tamen corripiendus eſt tanquam frater: ergo non eſt extra Eccleſiam. Quòd ſi hic ita peccans ex correptione emendatior non fiat, erit apud Eccle-

Chriſti verbis fūdatur noſtra doctrina.

ſiæ

ſiæ Prælatos accuſandus. Non tamen eſſet accuſandus Eccleſiæ qui ad eam pertineret. Nunquid coram Prælatis eſt accuſandus Turca, qui prius admonitus gentilium ritum non fiat contemptor? Præterea, juxta Chriſti inſtitutionem, ille, qui à fratribus correctus, & admonitus non deſiſtit à peccatis, aliquando cenſendus eſt ut extraneus Eccleſiæ, ut Ethnicus, aut gentilis; non tamen eſt taliter judicandus peccator ille ſtatim poſt commiſſum peccatum, ſed poſtea: videlicet, *ſi Eccleſiam non audierit*, hoc eſt, *ſi Eccleſiam neglexerit*, ut vertit Arias. Ergo quandiu Eccleſiam non neglexerit Matrem, cur cenſendus erit illius non filius?

8 Veritatem doctrinæ noſtræ apertiſſimé confirmare poſſumus ex *Apocal.* 2. & 3. ubi Joannes Evangeliſta Aſiæ Eccleſias reprehendit de culpis gravioribus, ob quas etiam ſpeciale genus pœnitentiæ indixit. Si autem Eccleſia non conſtaret ex eis, qui gravia peccata committerent, Chriſtianorum multitudo per Aſiam Eccleſia non diceretur ab Evangeliſta. Corroboratur eadem veritas ex abſurdo, quod oppoſito admiſſo ſequitur neceſſariò. Eſt enim deducendum Summum Eccleſiæ Paſtorem, & inferiores alios ob quamlibet gravem culpam eſſe deponendos, quaſi ab Eccleſia ſeparatos, & apoſtatas. Hanc neceſſariam conſequentiam libenter concedunt adverſarij propoſitione 78. his verbis: *Separatur quis à populo electo, cujus figura fuit populus Judaicus, & caput eſt JESUS Chriſtus, tam non vivendo ſecundùm Evangelium, quàm non credendo Evangelio.* Ubi ſunt notanda illa verba, *ſeparatur quis à populo electo, &c.* Hoc tamen abſurdum proſcripſit Pius I. *Epiſt.* 1. *ad univerſos Fideles.* Concilium Conſtantienſe *ſeſſ.* 15. prout refert noſter Gratianus *de Conſec. d.* 4. *c. Quomodo.* Item Concilium Tridentinum; ſtatuit enim *ſeſſ.* 6. *Can.* 28. poſſe aliquem ſine gratia, & Charitate eſſe verum Chriſtianum. *Si quis dixerit amiſſa per peccatum gratiá, ſimul & Fidem ſemper amitti, aut Fidem, quæ remanet, non eſſe veram Fidem, licèt non ſit viva; aut eum, qui Fidem ſine Charitate habet, non eſſe Chriſtianum; anathema ſit.*

Magnum abſurdum ex oppoſito errore; quod tamen proſcriptũ eſt à S. de Apoſto. l. ca.

9 Contraria ſententia eſt hæretica. Eam docuerunt Novatiani, ut refert Cyprianus *lib.* 4. *Epiſt.* 2. Et Epiphanius *lib.* 2. *hæreſ.* 59. Donatiſtæ, ut reperitur apud Auguſtinũ de *Hæreſ. cap.* 69. & *lib.* 3. *cont. Parm. cap.* 2. Hos poſtea ſecutus Lu-

Pro ſententia adverſariorum ſtant Novatiani, Donatiſtæ, & Lutherani.

therus

therus cum ſuis, ut tradunt Bellarminus *tom.* 1. *lib. de Eccleſia Milit. cap.* 2. Cano, 4. *de locis c.* 3. Peres *in Pent. volumine* 1. *dub.* 8. Fundamenta, quibus hic error inducitur, deſumuntur alia ex prava Sacræ Scripturæ interpretatione, alia ex SS. Patribus iniqué acceptis.

10 Fundamentum primum. Quia Divus Paulus Epiſt. 2. *ad Corint. cap.* 6. *v.* 15. *&* 16. ſatis prædicat juſtos, & impios non participare aliquam rationem convenientiæ in una Eccleſia Dei; imò juſtos à peccatoribus eſſe omnimodé ſeparatos, Deo ita docente, atque dictante. Unde inquit: *Quæ participatio juſtitiæ, cum iniquitate? Quæ conventio Chriſti ad Belial? Vos eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Dominus, propter quod exite de medio eorum, & ſeparamini dicit Deus, & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos.* Sed contra; quia ibi ſolùm eſt ſermo de Chriſtianis cum infidelibus, & idolatris; quod patet ex verbis Apoſtoli eodem loco dicentis: *Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ pars fideli cum infideli? Quis autem conſenſus templi Dei cum idolis?*

Primum argumẽtum adverſariorum ſolutum.

11 Secundum fundamentum deſumptum eſt ex illo ejuſdem Apoſtoli *ad Rom.* 8. ibi: *Qui Spiritum Chriſti non habet, hic non ejus eſt.* Sed contra; quia Spiritus Chriſti eſt Spiritus Sanctus, ut inquit Divus Ambroſius *lib.* 3. *de Spir. Sanct. cap.* 9. *&* *Div. Thom. lect.* 2. *in cap.* 8. *ad Rom.* & ratio eſt, quia Spiritus Sanctus ſicut à Patre, ſic à Filio procedit, ut ſanctium eſt à Nicæna ſynodo. Igitur qui Spiritum Chriſti, hoc eſt, Spiritum Sanctum non habet per donum gratiæ, & charitatis; hic Chriſti non eſt, neque illi adhæret per gratiam, & charitatem: quia *charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum*, ut dicitur ab Apoſtolo *ad Rom.* 5. Non tamen ſequitur quòd ille, qui non eſt Chriſti per gratiam, ſaltem non ſit ejuſdem Chriſti per Fidem; quapropter de Eccleſia cenſeatur.

Multi, qui non habet Spiritum Sanctũ in cordibus diffuſum per gratiam, Chriſti ſũt per Fidem, qua illi adhærent.

12 Tertium fundamentum eſt; quòd Pacianus, qui eſt merito inter Patres relatus, *Epiſt.* 6. *ad Sempronianum* ſic dixerit: *In Eccleſia neque eſt macula, neque ruga, quia peccatores, donec eos pœnitet vitæ prioris, non ſunt in Eccleſia; cùm autem eos pœnitet, jam ſanati ſunt.* Sed contra; quia Pacianus non loquitur de peccatoribus, hoc eſt, de impiis, ſeu non juſtificatis Fidelibus; ſed tantùm de Hæreticis, qui apud ipſum peccatorum nomine venire

Aliquando pro peccatoribus intelliguntur non omnes impij, ſed Hæretici.

venire ſolent: unde clariùs dixerat Eccleſiam carere maculâ, & rugâ, quia caret hæreticis. Vide Peres *in Pentat. volum.* 1. *dub.* 8. *cap.* 3. *num.* 28. & ibi Bellarminum.

13 Quartum fundamentum eruitur ex Divo Cypriano *lib. de Unitate Eccleſiæ*, dicente: *Non habet Deum Patrem, qui Eccleſiam non habet Matrem.* Igitur, quia impij non ſunt filij Dei per gratiam, quæ ſola adoptivos Dei filios conſtituit, neque item ſunt filij Eccleſiæ. Sed contra: quia licèt verum ſit, ut inquit Cyprianus, quòd omnis, qui Eccleſiam non habet Matrem, non habeat Deum Patrem; attamen non inde ſequitur quòd ille, qui non habet Deum Patrem, Eccleſiam non habeat Matrem. Ratio eſt: quia omnis, qui de Eccleſia non eſt, neceſſariò caret gratiâ ſanctificante, ſiquidem extra Eccleſiam non eſt gratia ſanctificans, ac ideo non poteſt eſſe Dei filius adoptivus. Poterit tamen qui Dei filius non eſt per gratiam, Eccleſiam habere Matrem propter veram, licèt mortuam, Fidem, quam habens, filius eſt Sanctæ Matris Eccleſiæ. Vide dicenda *ſeq. ſectione num.* 8.

14 Quintum fundamentum deducitur ex doctrina Divi Auguſtini *libro* 5. *contra Donatiſt.* circa illud *Cantic.* 4. *Hortus concluſus, fons ſignatus*, ſic dicentis: *Hortus concluſus, fons ſignatus, &c. non audeo intelligere, niſi in Sanctis, & juſtis; non autem in avaris, raptoribus, & ebrioſis.* Reſpondetur Auguſtinum hic ita loqui, non de Eccleſia in tota ſua amplitudine, neque de illa ſic ſumpta explicare locum adductum Cãticorum; ſed agere de parte potiſſima, & principaliori Eccleſiæ, ut diximus *num.* 4. præcedenti, cui tantùm parti perfectiſſimæ illud accommodat: *Hortus concluſus, fons ſignatus*, non propter alterius partis excluſionem, ſed propter iſtius laudandam perfectionem. Et hanc eſſe veram Auguſtini mentem eſt notum, præmiſimus enim præcedenti *num.* 5. Auguſtinum multis in locis docentem Eccleſiam non ex ſolis juſtis, ſed ex peccatoribus etiam conſtare.

Eccleſia propter nobiliorem ejus partem eſt *Hortus cõcluſus, & fons ſignatus.*

15 Sextum fundamentum extrahunt à Divo Chryſoſtomo, qui cùm Novato (quem rejicit Ambroſius) ſentire videtur in Eccleſia ſolos juſtos comprehendi: nam cùm dicat Paulus 2. *ad Timot.* 2. *In magna domo non ſolùm ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed etiam lignea, & fictilia*; prædictus Chryſoſtomus

per magnam domum non Eccleſiam, ſed Mundum intelligit, eo quòd in Eccleſia non ſint peccatores, qui ſunt vaſa lignea, & fictilia. Sed abſit quod Sanctus Doctor cum Hæreticis videatur docuiſſe: imò contrarium expreſſé docuit in *Pſalmo* 39. Et in expoſitione ſuper *Pſal.* 93. judicat nos per Fidem eſſe membra Chriſti his verbis: *Credentes, ſcimus nos cum membris Chriſti eſſe.* Igitur ad objectionem reſpondeo cum A Lapide *in cap.* 2. *Epiſt.* 2. *ad Timot.* quòd Divus Chryſoſtomus ibi ſolùm intelligendus ſit de membris vivis per gratiam; in hac acceptione, & ſub hac ratione ſoli juſti pertinent ad Eccleſiam, quod non tollit quominus, & peccatores pertineant; non ut membra viva ſpeciali vitalitate gratiæ; ſed ut membra ſemimortua, habentia ſuam per Fidem aliqualem utilitatem; unde citatus A Lapide: *Mali enim ſunt membra Eccleſiæ ſed ſemimortua: quia carent animâ, & vitâ primaria Eccleſiæ, quæ eſt charitas :::: Anima verò Eccleſiæ generalis, & imperfecta eſt Fides; ſpecialis verò, & perfecta eſt Charitas. Sicut enim hominis forma eſt Anima, tum vegetativa, & ſenſitiva, tum rationalis; & rationali propriè vivit homo, quâ homo eſt, adeòque ſolum caput vivit propriè Animâ rationali; ſic & Charitate vivunt ſoli juſti, cæteri, mali licét, vivunt tamen Fide, & Spe; ſicut in homine cætera membra, licèt non ratiocinentur, ut caput, ſentiunt tamen, & vegetantur, videnturque ſolùm vivere animâ vegetativa, & ſenſitiva.*

Ex Divo Chryſoſtomo non impugnatur, imò approbatur noſtra ſentẽtia, & irrefragabilis doctrina S.M. Eccleſiæ.

Unio, & vita Eccleſiæ in Fide; & in Charitate conſiſtit: ſed qualiter?

SECTIO II.

Expenduntur aliqua ad complementum doctrinæ præcedentis.

1 PLures ſunt quæſtiones, quæ circa præſentem materiã excitari ſolent, quàm quæ à nobis debeant moveri, non enim tractatus, aut diſputationes componimus de Eccleſia Milante; ea tantùm in hunc locum reducimus, quæ ſive ad refutandos errores in præcitatis propoſitionibus contentos, ſive ad Catholicam veritatem elucidandam poterunt inſervire: iſtiuſmodi autem eſſe poterunt dubia ſequentia.

2 Primum. Utrùm Prædeſtinati ſoli, ſemperque ſint de Eccleſia? Affirmant communiter Hæretici, inter quos nominatim

minatim id tenent Joannes Vvicles apud Thomam Vvaldenſem *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 8. *&* 9. Joannes Hus, quem ob eundem errorem damnavit Concilium Conſtancienſ. *ſeſſ.* 15. His adhæret Joannes Calvinus apud Bellarm. *tom.* 1. *lib. de Eccleſ. Militant. cap.* 7.

Cõmunis hæreticorum ſententia, quòd prædeſtinati ſoli, ac ſemper ſint de Eccleſia militante.

3 De Fide tamen eſt non ſolos prædeſtinatos eſſe membra Eccleſiæ, neque eos ſemper ad Eccleſiam pertinere. Primum probatur, quia Judas, qui fuit proditor, prædeſtinatus non erat, ſed reprobus; fuit tamen aliquando de Eccleſia; de illo nanque dicit David, Chriſti agens perſonam: *In domo Dei ambulavimus cum conſenſu Pſalm.* 54. idcirco, quia Judas aliquando Chriſti capitis membrum fuit in Eccleſia, quæ eſt illa domus Dei; unde 2. *ad Timoth.* 3. dictum eſt: *Scias quomodo te oporteat ambulare in domo Dei, quæ eſt Eccleſia Dei vivi.* Quòd autem locus ille Pſalm. 54. in noſtrum ſenſum ſic interpretandus eſt commune PP. apud Lorinum.

Nõ ſolùm prædeſtinati ſunt mẽbra Eccleſiæ.

Ita Div. Ambroſ. Euſeb. Proſp. Origen. Procop. Iſidor. Hieron. apud Lorinum in Pſalm. 54.

4 Oſtenditur ſecundum. Quia Divus Paulus, eique per omnia ſimilis Divus Auguſtinus, qui ante Mundi conſtitutionem fuerunt præordinati ad vitam æternam, quam glorioſé poſſident, priùs extiterunt extra Eccleſiam, quam variè ſunt perſecuti: ergo nonnulli prædeſtinati aliquando de Eccleſia non fuerunt.

Nonnulli ſunt prædeſtinati, qui de Eccleſia aliquando non fuerunt.

5 Confirmatur utraque pars reſolutionis noſtræ. Quia Judæorum populus, qui unicé aliquando fuit de Eccleſia, poſtea de Eccleſia non fuit; unde *Oſeæ* 1. *v.* 9. ſic habetur: *Voca nomen ejus non populus meus, quia vos non populus meus, & ego non ero veſter.* Quæ verba Dei ſunt ad Oſeam contra domum Iſrael, quæ ſola aliquando Eccleſia Dei fuit, poſtea verò rejecta, & repudiata; & loco illius adoptatus eſt populus gentium, unde additur: *Et erit in loco, ubi dicetur eis:* (ſcilicet domui Iſrael) *Non populus meus vos; dicetur eis* (id eſt aliis, gentibus ſcilicet) *Filij Dei viventis.* Ita SS. Patres Hieronymus, & Cyrillus ſuper hunc locum Oſeæ. Auguſtinus *lib.* 18. *de Civit. c.* 28. Ambroſius, Theophilactus, Anſelmus, Oecumenus ſuper illud Pauli *ad Rom.* 9. *n.* 25. *Vocabo plebem meam, non plebem meam, & non dilectam, dilectam, & erit in loco, ubi dictum eſt eis: Non plebs mea vos, ibi vocabantur filij Dei vivi*; ubi Paulus explicat citatum locum Oſeæ. Idem conſtat ex illis verbis Divi Petri 1. c. 2. v.

Utraque pars noſtræ reſolutionis demonſtratur evidẽter ex ſacro Textu.

 10. *Qui*

10. *Qui aliquando non populus Dei, & qui non conſequutus miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſequutus*, ubi loquitur Petrus de populo gentium. Et fit pro noſtra reſolutione argumentum ex eo, quia Iſrael, cùm eſſet aliquando de Eccleſia Dei, prædeſtinatus non erat, imò rejectus ab Eccleſia fuit poſtea. Gentiũ autem populus prædeſtinatus erat, imò ad Eccleſiam aſſumptus, cùm tamen de Eccleſia antea non eſſet. Id ipſum confirmant Parabolæ de Virginibus decem, de ſagena miſſa in mare; quibus conſtat aliquos de Eccleſia eſſe damnandos in ultimo Judicio.

Opinio Caietani de membrorum Eccleſiæ conſtitutivo.

6 Secundum dubium: Quænam ſit forma conſtitutiva membrorum Eccleſiæ? Caietanus *Opuſc. de Authorit. Pap. c.* 22. & 27. & *in Apoc. c.* 2. Alphonſ. de Caſtro *lib.* 2. *de juſt. hæreſ. punit. c.* 22. & fortaſſe Corduba *lib.* 3. *quæſt. dub.* 1. *prop.* 11. reſpondent eam eſſe Characterem baptiſmalem. Falſó tamen, nam hæretici, quantumcunque hoc Charectere inſigniti, de Eccleſia non ſunt. Unde Auguſtinus *tom.* 7. *lib. de Baptiſmo contra Donatiſt. c.* 23. inquit: *Eccleſiam ſicut habent Catholici, non habent hæretici, & tamen Baptiſmum habent.* Idem docuit contra *lit. Petilian. c.* 18. & in *Enchirid. c.* 5. Noſter Gregor. Mag. *lib.* 12. *Moral. c.* 15. *Hæretici ab unitate Fidei ſunt egreſſi, teſtante Joanne ex noſtris prodierunt.* Sunt igitur Hæretici ex nobis, quia ſunt baptizati; & tamen ſunt extra Eccleſiam; quia ab ejus unitate ſunt egreſſi. Quapropter Divus Cyprianus Epiſcopus Carthaginenſis ſanctitate, & doctrinâ clariſſimus, Chriſti Martyr ſub Valeriano, & Gallieno Principibus, damnat Novatianum docentem quòd *quiſquis ille eſt, & qualiſcunque eſt, Chriſtianus non eſt, qui in Eccleſia non eſt: in Epiſt. ad Antonianum.* Quibus verbis, ut videtur, ſtatuebat Novatianus nullum Chriſtianum eſſe extra Eccleſiam, ſeu omnem Chriſtianum eſſe de Eccleſia, quia eadem eſt in ejus doctrina, formâ conſtituens hominem Chriſtianum, ac membra Eccleſiæ.

Impugnatur.

Cõmunis doctrina Sanctorũ Patrum, atque Doctorũ aliud videtur ſentire, quàm quod à Caietano docetur.

Deinde commune eſt apud SS. Patres, & Theologos hæreticos (hoc eſt infideles baptizatos) nõ eſſe de Eccleſia; ſic patet ex eis, quæ fuerunt inſtituta à Xyſto Pontifice *Epiſt.* 1. *Decretali.* & à Felice I. *Epiſt.* 1. Idem tenent Divus Irenæus *lib.* 3. *c.* 3. Tertullianus *lib. de Præſcript.* & *lib. contra Marcion.* Concilium Nic. I. Div. Thom. 3. *p. q.* 8. *a.* 3. & *Opuſc.*

& Opuſc. 23. Divus Antoninus 3. *p. t.* 22. §. 3. Auguſtinus de Ancona *de poteſt. Eccleſ. q.* 5. *a.* 2. Sylveſter *v. Papa q.* 4. Turrecremata *lib.* 1. *cap.* 6. *& lib.* 4. *p.* 2. *cap.* 20. Victoria *releEt.* 1. *de poteſt Eccleſ. n.* 6. Canus 4. *de locis c.* 2. Dominicus Soto *in* 4. *diſt.* 22. *q.* 2. *art.* 2. & alij, quos citat, & ſequitur Peres *in Pentateuch. volum.* 1.

7 Bellarminus *tom.* 1. *de Eccleſ. Milit. lib.* 3. *cap.* 10. citans Vvaldenſem, Driedotum, Petrum, Soto, Hoſium, & Cardinalem Canum, cenſet Eccleſiæ conſtitutivum formale, eſſe externam Fidei confeſſionem; unde aſſerit infidelem occultum, qui nec Fidem, nec virtutem aliquam Chriſtianam habet, Fidem tamen profitetur ob aliquod commodum temporale, ſicque cum Fidelibus ſe fingit communicare, talem (inquam) infidelem cenſet eſſe membrum Eccleſiæ. Ea tamen ſententia merito ab Authoribus ſequenti numero citandis rejicitur. Quia hic infidelis occultus nullum à Chriſto accipit influxum, ut patet ex ſtatu ejuſdem, neque Fidem, neque virtutem aliquam habentis: ergo eum non habet pro capite, ac inde non eſt membrum illius. Id ipſum latiùs ex dicendis patebit.

Sententia Bellarmini circa præſens dubiũ rejicitur.

8 Melius igitur dicendum (cum Patribus, ac Doctoribus *num.* 6. citatis, qui dicunt hæreticos non eſſe de Eccleſia) formam conſtitutivam membri Eccleſiæ eſſe Fidem, ejuſque externam profeſſionem. Eam tenet noſter Antonius Peres in *Pentateu. volum.* 1. *dub.* 15. *concluſione* 1. *&* 2. ubi citat alios Doctores, & Patres præter allegatos *num.* 6. *præcedenti.* Probatur prima pars (quòd ſcilicet Fides ſit forma conſtituens membrum Eccleſiæ) *primò.* Quia Fides eſt fundamentum Eccleſiæ, & cujuſvis ædificij ſpiritualis: ergo ſine illa nullus eſt pars illius ædificij, imò ſine illa tale ædificium non datur. Sicut enim materiale ædificium ſine fundamento non datur, ita neque ſpirituale ſine ſuo fundamento ſpirituali. Antecedens probatur ex Apoſtolo dicente *ad Coloſ. ſenſ.* 1. *Si tamen in Fide ejus fundati.* Et 2. *ad Corint.* 3. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt JESUS*: ideſt, Fides JESU Chriſti. Unde Auguſtinus *lib.* 6. *de Fide, & operibus* inquit: *Si Chriſtus eſt fundamentum, procul dubio, & Fides Chriſti, per Fidem enim habitat in cordibus noſtris.* Qua intelligentiâ ſuppoſita, di-

Conſtituitur quis de Eccleſia per Fidem, & confeſſionê externam ejuſdẽ.

Probatur prima pars.

cuntur domeſtici Dei, hoc eſt, de *domo Dei, quæ eſt Eccleſia* 2. *ad Timot.* 3. dicuntur inquam de Eccleſia qui in Chriſti Fide, quam docuerunt Apoſtoli, fundati, atque ædificati ſunt, juxta illud *ad Epheſ.* 1. *Jam non eſtis hoſpites, & advenæ, ſed eſtis cives ſanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum ipſo ſummo angulari Lapide Chriſto JESU.* Probatur *ſecundò.* Quia Concilium Lateranenſe *cap.* Firmiter *de Summa Trinitate* inquit Eccleſiam eſſe Fidelium congregationem: ſoli ergo qui Fide congregati ſunt, de Eccleſia ſunt; igitur Fides eſt forma, per quam quis pertinet ad Eccleſiam. Probatur tertiò: quia qui Chriſtum pro capite non habet, neque ab illo recipit ullum influxum, membrum illius non eſt; qui tamen Fidem non habet, nullum à Chriſto recipit influxum, neque illum habet pro capite; cùm tamen utrumque verificetur de iis, qui Fidem habent: ergo Fides eſt vera forma, de qua in præſenti agimus. Notandum hic eam Fidem, quæ eſt forma membrum Eccleſiæ conſtituens, non eſſe fictam, & externam tantùm, ut putavit Bellarminus, qua in re Fides ficta non eſt Fides. Præterea quiſ dicat eam ſimulationem Fidei eſſe fundamentum Eccleſiæ, *quod poſitum eſt, quod eſt Jeſus?* Aut quis aſſerat Chriſtum influere ut caput per illam fictionem, & fidem ſimulatam?

Opinio Bellarmini ſtare nequit.

9 Pars altera noſtræ præcedentis reſolutionis, in qua aſſertum eſt Fidem illam deberi per externam profeſſionem manifeſtari; probatur primò: quia Eccleſia Dei in terris eſt viſibilis, non autem interna, & inviſibilis, ut conſtat ex Concilio Senonenſi ſub Antonio à Prato Legato Cardinali; ibi enim, ut notat Peres in *Pentat. volum.* 1. *dub.* 16. *c.* 2. damnatur oppoſitum tanquam Lutheranum. Aſt non eſſet viſibilis Eccleſia Dei in terris, ſi conſtitueretur formâ, hoc eſt, Fide, tantùm inviſibili. Probatur 2. Quia aliàs etiam Animæ in Purgatorio eſſent de Eccleſia Chriſti in terris, quia habent internam Fidem, quam nobis non manifeſtant. Probatur 3. Quia ad rationem vivi membri non ſeparati requiritur communicatio mutua; Fides autem Catholicorum communicatur per externam profeſſionem: igitur hæc eſt requiſita ad Eccleſiæ conſtitutivum formale. Confirmatur, quia hæc eſt communis Sanctorum Patrum doctrina, aſſerentium Eccleſiam

Probatio ſecundæ partis noſtræ aſſertionis.

ſiam in Fide, ejuſque confeſſione fundari. Sic Divus Hilarius *lib. 6. de Trinit.* Divus Gregor. Niſ. *l. contra Judæos*, Divus Cyrill. Alex. *Dialog. 4. de Trinit.* Divus Chryſoſt. *Hom. 55. in Matth. & orat. 2. adverſus Jud.* Divus Ambroſ. *ſuper Epiſt. ad Galat.* & alij apud Maldonatum *ſuper Matth.* 16. *v.* 18.

10 Tertium tandem, & ultimum dubium reſolvendum, quod jam ſuprà excitavimus *num.* 2. capitis præſentis, eſt: quomodo ſit intelligendum quòd Eccleſia Chriſtiana ſit Catholica? Dictio *Catholicon* vox eſt Græca, idem ſonans atque univerſale, ſeu cuncta comprehendens. Componitur enim dictio illa ex *Kata*, quod eſt *circa*, & ex *Holon*, quod interpretatur *totum.* Eſt Auguſtini *tract. de Catholica veritate*, & noſtri Iſidori *lib. 7. Etymolog. cap.* 14. Unde, cùm Eccleſia Chriſti dicitur Catholica, ſignificatur quòd una, eademque Fides veriſſima Chriſtianorum, in qua fundata eſt Eccleſia, per univerſum Orbem diffuſa ſit. Ita Divus Auguſt. multis in locis contra Donatiſtas ex profeſſo toto *lib. de unit. Eccleſiæ*, Div. Cyprian. relatus ab Auguſtino *lib. 2. contra Epiſt. Gaulentij c.2.* inquiens: *Attende quam Eccleſiam dixerit ille* (ſcilicet Cyprianus) *Catholicam. Eccleſiam inquit Dòmini, luce perfuſa, per totum Orbem radios ſuos porrigit, ramos ſuos per univerſam terram copia ubertatis extendit. Unum tamen caput eſt, & origo una, & una mater fœcunditatis ſucceſſibus copioſa. Quid igitur & vos ipſos fallitis, & alios fallere mendaciis impudentibus vultis? Si hujus Martyris teſtimonio veſtra eſt Eccleſia Catholica, oſtendite illam per Orbem totum radios ſuos porrigere, oſtendite illam per univerſam terram ramos ſuos copiâ ubertatis extendere, hinc enim & Græco vocabulo Catholica nominatur.* Hanc etiam doctrinam tenet idem Auguſtinus *Epiſt.* 48. *&* 170. & *lib. 2. contra lit. Petiliani.*

Cur Eccleſia dicatur Catholica?

11 Idem conſtat ex Optato Milevitano *lib. 1. contra Parmen.* ibi enim refert duos Epiſcopos miſſos fuiſſe ad Carthaginem in Africa, ut docerent quòd eſſet vera, ſana, *& noviſſima ſententia eorum Epiſcoporum Eunomij, & Olympij* ::: *illam eſſe Catholicam Eccleſiam, quæ eſſet in toto terrarum Orbe diffuſa, & ſententiam decem, & novem Epiſcoporum jam dudum datam diſſolvi non poſſe.* Idem Author *lib. 2.* in principio *contra Donatiſt.* ait: *Ubi ergo erit proprietas Catholici nominis, quòd ſit rationabilis, & ubique diffuſa.* Idem tenet Vincentius Lyrinenſis, Divus Cyrillus

Hie-

Hieroſolymitanus *Catecheſ.* 18. ſuper illud *Pſalm.* 2. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam*: inquiens: *Eccleſia dicitur Catholica, quia à finibus terræ uſque ad fines pertingit.* Et iterùm loco citato: *Regum quidem poteſtas certis locis, & gentibus terminos, habet; Eccleſiæ autem Catholicæ per univerſum Orbem indefinita eſt potentia.* Idem docet Divus Iſidorus *lib.* 1. *de Divinis Officiis*, Cardinalis Turrecremata *lib.* 1. *Summæ de Eccleſ. cap.* 13. Dried. *lib.* 4. *de Dogmatibus, cap.* 2. *p.* 2. Ozius *lib.* 1. *de Symbolo*, Turrianus *cap.* 6. *de Eccleſia*; & communiter Orthodoxi Doctores.

12 Non eſt igitur dicendum Eccleſiam ideo appellari Catholicam, quia conſtat ex ſolis juſtis Cæli, terræ, & omnium ſæculorum; ut contendit propoſitio illa 72. ex ſupra adductis; ſed ideo Eccleſiam dicendam eſſe Catholicam, quia eſt (magna cum laude, & gloria ipſius Eccleſiæ Dei) per totum terrarum Orbem diffuſa, unde dicitur *Pſalm.* 18. *In omnem terram exivit ſonus eorum*, & *Pſalm.* 121. *Convertentur ad Dominum univerſi fines terræ. Matth.* 24. *Prædicabitur Evangelium hoc in univerſum Mundum.* Et capite ultimo: *Euntes in Mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Luc. 24. *Oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes.* Et *Actor.* c. 1. *Eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & Samaria; & uſque ad ultimum terræ.*

Eccleſia per totum Orbem diffuſa.

SECTIO III.

Deteguntur alij errores, qui in præſentibus propoſitionibus latère videntur.

Accuratiùs examinatur propoſitio 73.

1 TEnor propoſitionis LXXIII. alios adhuc errores parturire non parum videtur, inquit enim: *Quid eſt Eccleſia, niſi cœtus filiorum Dei, manentium in ejus ſinu, adoptatorum in Chriſto, ſubſiſtentium in ejus Perſonâ, redemptorum ejus Sanguine, viventium ejus Spiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri ſæculi.* Præcipuus error hujus aſſertionis eſt in eo, quòd ſoli juſti dicantur de Eccleſia. Hoc autem jam ſatis eſt impugnatum. Duo tamen errores in eadem propoſitione ſunt. Primus eſt: quòd ſoli juſti cenſeantur redempti per Chriſti Sanguinem, ut colligitur ex illis verbis: *Redemp-*

Iterum aſſeritur Chriſtum pro ſolis juſtis ſanguinem fudiſſe.

Redemptorum ejus ſanguine, quæ ad ſolos juſtos referuntur. Hic tam error eſt laté impugnatus *cap. 7. Sect.* 8. *á num.* 2. Secundus error eſt: quòd juſtorum actiones, & merita non eorum eſſe dicantur, neque ab ipſis, ſed à Deo: hic enim eſt ſenſus, in quo juſti dicuntur in hac propoſitione, *viventes ſpiritu Dei*, *& agentes per ejus gratiam*, nam gratia, ſtando principiis harum propoſitionum, nihil aliud eſt, quàm *Operatio manùs Omnipotentis Dei*, ut eſt dictum *propoſitione* 10.

Statuitur iterũ juſtorum actiones non ab illis, ſed à Deo ſolo operante procedere.

2 Hic idem error continetur in illis verbis ejuſdem propoſitionis 73. *Subſiſtentium in ejus perſona*; ubi Chriſtus dicitur perſona, ſive ſubſiſtentia juſtificatorum; quod repetitur propoſitione 75. his verbis: *Chriſtus eſt caput*, *vita*, *ſubſiſtentia*, *& perſona juſtorum*, ſeu Eccleſiæ filiorum. Quod autem ex citatis verbis utriuſque propoſitionis 73. *&* 75. colligatur ſtatui; juſtorum opera non ipſis juſtis attribui, ſed ſoli Chriſto operanti; ex inde infero, quia dicitur relatis propoſitionibus Chriſtum eſſe ſubſiſtentiam (ſeu perſonam, aut perſonalitatem) juſtorum. Pro cujus pleniori captu.

Idem error cõtinetur propoſition. 75.

3 Sciendum vulgare eſſe Philoſophis, atque Theologis, eiſdemque receptiſſimum illud Ariſtotelicum Axioma: *Actiones ſunt ſuppoſitorum*, ſive ſubſiſtentiarum: idem enim valet ſubſiſtentia, ac ſuppoſitum; & ad plurimum differunt ut abſtractum, & concretum. Vide Caramuel. in Rationali, & Reali Philoſophia *lib. 3. ſect.* 1. *num.* 719. Ex hoc communi principio ſtatuunt Authores ſubſiſtentiam eſſe cauſam operationum, quæ toti ſuppoſito attribuuntur. Ita Caramuelius *lib.* 3. *Met. ſect.* 1. *diſput.* 5. Hurtad. *in* 3. *part. diſp.* 4. & in *Met. diſp.* 11. *num.* 110. ubi aſſerit hanc reſolutionem eſſe omnium ferè Authorum; quæ ſi rectè exponatur, vix aliquibus diſplicebit. Supponendum igitur pro hujus ſententiæ captu: Omnes naturas, & formas eſſe totales rationes agendi, ut *quo*, aut proximas, aut remotas, ſubſiſtentiam verò eſſe principium *quod*, ac radicale. Exemplum ſit in Petro actum intellectionis eliciente. In quo actu ratio formalis, & proxima ut *quo* agendi eſt intellectus. Similiter natura rationalis eſt ratio agendi ut *quo*, ſed remota. Homo præciſus ab intellectu eſt principium *quod* remotum; homo quà intellectu præditus eſt principium *quod* proximum. Tandem ſubſtractum hominis, hoc ſup-

Utrùm ſubſiſtentia ſit principium effectivum operationum, quæ ſuppoſito tribuuntur?

ſuppoſitum, ſeu ſubſiſtentia, eſt principium *quod* radicale operationum, hujuſque intellectionis. Ex his iſta propoſitio homo intelligit, hunc ſenſum reddit. Subſiſtentia habens naturam humanam (ita enim explicatur homo in concreto) elicit intellectionem.

Actiones ſunt ſuppoſitorum.

4 His præmiſſis, effatum illud, *Actiones ſunt ſuppoſitorum* ſignificat, quòd ſuppoſita, ſive ſubſiſtentiæ ſint quæ operantur, ſive rationes operandi ut *quod.* Ita Caram. citatus. Et confirmat hanc explanationem; nam ſicut ego intellectu intelligo, & calamo ſcribo, quin calamus ſcribat ut *quod*, ſed ut *quo*; eſt enim ſcribendi inſtrumentum, ſic etiam intellectus intelligit ut *quo*, non enim eſt agens, ſed agentis virtus, mediante *quo* Petrus intellectionem eliciebat.

Subſiſtentiam eſſe principium operationum, ſatis probatur ex Myſterio Incarnationis.

Quid reſpondeat Suarius.

5 Hæc ſententia, cui in Philoſophia ſubſcripſi, apertè colligitur ex ipſius Incarnationis Myſterio. Nam, ſi ſubſiſtentia non eſſet principium *quod* agendi, falſæ evaderent (ut infert citatus Hurtadus) quamplures propoſitiones, quæ circa perſonam Chriſti fide tenendæ ſunt: non enim eſſent veræ iſtæ propoſitiones: *Perſona Divina eſt nata, eſt paſſa, eſt mortua, eſt ſepulta, &c.* Suarius Granat. cui nonnulli adhærent, eas propoſitiones contendit verificari, ex eo ſolùm quia ſubſiſtentia ſit conditio ad operandum neceſſaria. Sed contra; non enim eſſent præfatæ propoſitiones magis veræ, quàm hæc; approximatio calefacit; quod ab omnibus negatur, & probatur facilè; nam ſicut approximatio eſt conditio requiſita, ad hoc ut ignis calefaciat, ſic etiam ſubſiſtentia, in opinione Suarij, eſt ad plurimum conditio, ut natura operetur. Alij cum Arriaga, & Comptono reſpondent adhuc eſſe veras, & Fide certas illas propoſitiones, quas paulò ſuprà diximus ex Myſterio Incarnationis tenendas eſſe, ex alio tamen principio. Illas enim denominationes humanitatis tribui dicunt ſuppoſito Divino, ſicut denominationes materiæ, & formæ tribuuntur compoſito; ſic enim videmus hominem denominari album ab albedine, quæ eſt in ſola materià, & intelligentem ab intellectione, quæ eſt in ſola Anima. Hoc autem ideo eſſe dicunt, quia, cùm hæc omnia ordinentur ad unum, ſibi invicem communicant eas denominationes. Sed contra; quia non apparet alius modus verus, quo iſtæ denominationes dicantur

Solutio Arriagæ.

tur

tur communicari ad invicem, niſi quia iſtæ denominationes ſunt actiones, aut paſſiones, quæ ſunt ſuppoſitorum. Aliàs exploretur, & oſtendatur ratio, & principium, cur denominationes materiæ, & formæ, ordinatarum ad unum, debeant de toto ſuppoſito verificari. Scio materiam, & formam in unum compoſitum ordinari: aſt ſcio non dici totum compoſitum, aut materiam, eſſe id quod informat; ſic ſimiliter non dicimus de toto aut de forma, quod ſit ſubjectum materiale. Dicimus autem de toto ſuppoſito abſolutè, (homine v. g.) intelligit, videt, currit, &c. quia actiones, quæ tribuuntur ſuppoſito, ſuppoſitum in abſtracto, ſive ſubſiſtentiam habent effectivum principium.

6 Fortaſſe agnoſcens ipſe Pater Arriaga, infirmam eſſe hanc datam ſolutionem, apponit aliam; dicens denominationes humanitatis communicari Perſonæ Divinæ in Chriſto, quia in illa idiomatum communicatione, utimur figura Synedoche, in qua pro toto ſumitur pars aliqua ad libitum Nomenclatorum. Sed contra; inſurgit acutiſſimè Caramuelius: ergo iſtæ propoſitiones, Perſona Divina naſcitur, circuncidi tur, patitur, moritur, &c. Synedochicæ ſunt, & impropriæ, ſolùmque veræ ſunt, quatenus ſumitur pars pro toto: propriè autem, & in re omnes ſunt falſæ; & per conſequens dogmata Fidei Catholicæ metaphorica ſunt; & quæ, ſi rigoroſè, ac propriè loqui velimus, falſa evadent. Sane abſque Tropis, ac figuris facilè exponuntur in noſtra ſententia, iſtæ, & ſimiles propoſitiones, quæ ſine figuris non ſalvantur à Patre Arriaga. Unde illa propoſitio, homo intelligit, reddit hunc ſenſum: ſuppoſitum habens humanitatem, eſt habens intellectionem. Hæc autem, homo eſt albus, idem valet, ac ſuppoſitum habens humanitatem, eſt habens albedinem. Hæc tandem Deus naſcitur, patitur, &c. ſic intelligitur: ſuppoſitum, ſeu perſona habens Divinitatem, eſt habens Nativitatem, Paſſionem, &c. non in ſe, ſed in carne aſſumpta.

Alia ejuſdem Arriag. reſponſio.

7 Aſt, quidquid ſit de veritate rei, in hac controverſia, in quá poterit unuſquiſque partem eligere ſuſtinendam; hoc unum mihi Fide certum eſt, Chriſtum dici non poſſe perſonam, aut ſuppoſitum juſtorum, à quo tanquam à principio *quod* radicali procedant juſtorum opera, ſecluſa ratione ope-

Concluditur Chriſtum dici non poſſe juſtorum ſubſiſtentia.

rativa

rativa ex parte juſtificatorum, ut oſtenſum eſt *cap.* 4. *ſect.* 2. *à num.* 8.

8 Propoſitio LXXV. continet etiam alium errorem in verbis ultimis ipſius; docet enim homines exteriùs tantùm juſtificari: unde ſic ſtatuitur. *Unus ſolus Chriſtus compoſitus ex pluribus ſanctis, quorum eſt ſanctificator.* Chriſtus ergo dicitur ſanctificator juſtorum. Hoc verum eſt, ſi ſenſus ſit de merito, quo Chriſtus nobis gratiam, ac juſtificationem acquiſivit; vide Becanum in *Manuali Controv.lib.* 1.*cap.* 16. *q.* 2. falſum autem, & Calviniſticum, ſi intelligatur hominem juſtificari per extremam Chriſti juſtitiam, quæ in Chriſto eſt. Senſus autem, quo in hac propoſitione Chriſtus dicitur juſtorum ſanctificator, non eſt primus ille, quem tenet Eccleſia, ſed ſecundus, quem docet Calvinus; in hoc enim cohæret hæc propoſitio 75. cum propoſitionibus 36. & 37. in quibus traditur Calviniſticus error, ut videri eſt *cap.* 12. ubi hic error manet impugnatus.

Examinata amplius propoſitione 75. detegitur novus error ſapiens Calviniſmum.

9 Quærendum eſt hic: Qualiter ſimul convenire poſſint hæc duo? *Primum*; homines juſtificari per juſtitiam, & gratiam exteriorem Chriſti; ut conſtat ex relatis propoſitionibus. *Secundum:* Fidem eſſe formam juſtificantem; ut patet ex dictis propoſitione 51. Reſpondeo hæc duo dogmata eſſe Calviniſtarum; in quorum ſecta Chriſtus non juſtificat, quando juſtitia illius nobis impugnatur exterius: aſt Fides eſt quæ apprehendit unicuique juſtitiam Chriſti, quatenus quis credit firmiter juſtitiam Chriſti ſibi eſſe imputatam: inde eſt, quòd Fidei tribuatur etiam juſtificandi virtus. Hæc autem ſomnia refelluntur à plurimis cum Bellarmino, noſtro Reding. Becano in Man. Controv. *lib.* 1. *c.* 16. *q.* 5. Nos autem præcedenti cap. 13. laté oſtendimus admittendam eſſe ex Scriptura, Patribus, & Conciliis juſtificationem, & gratiam, intrinſecè nobis inhærentem.

Refelluntur quædam falſa dogmata Calviniſtarum, quæ in his propoſitionibus continentur.

Vide cap. 13.

CAPUT

CAPUT XXIX.

Refellitur error propoſitionis LXXIX. & aliarum ſequentium uſque ad propoſitionem LXXXV. incluſivè.

Iſtæ propoſitiones paulò infra invenientur.

1 SCOPUS propoſitionum, quas in Epigraphe citavimus, eſt: quòd Sacræ Scripturæ lectio omnibus fiat communis, laicis, indoctis, rudibus, fœminis etiam non excluſis. Ut autem nullus à Sacra lectione ſe abſtineat, inducitur eam pertinere ad integram obſervationem tertij Præcepti Decalogi: oppoſitum autem eſt conſequenter pro damnoſo habendum; ut conſtat ex propoſitione 82. Nec quidquam faciet in contrarium obſcuritas Sancta Verbi Dei; ſic enim reſolvitur propoſitione 81. Hæc doctrina videtur non parum reduci ad praxim per quandam Sacri Textus editionem, quæ prodiit Gallico idiomate, à qua nullus eſt ſexus, conditio, ſtatus, ætas, qui poſtquam novit prima literaria elementa, Sacris Bibliis non poſſit ſtudere.

Harum propoſitionũ ſenſus.

2 Relatæ illuſiones minimè degratantur Calvino, Brentio, Luthero, & alijs hæreticis, quorum mentionem facit Sylveira *Opuſc.* 1. *Reſol.* 4. *q.* 12. *numer.* 546. aſſerentibus Sacram Scripturam transferendam eſſe in omnia idiomata, ut omnes Chriſtiani ſacræ lectioni poſſint incumbere; imò ut in hoc ſacro libro diſcant pueri in ſcholis primas literas jungere. Propoſitiones verò, de quibus agimus, ſunt quæ ſequuntur.

Præfatæ propoſitiones à nonnullis hæreticis prius traditæ fuere.

LXXIX. Utile, *& neceſſarium eſt omni tempore, omni loco, & omni perſonarum generi ſtudere, & cognoſcere Spiritum,* Pietatem, *& Myſteria Sacræ Scripturæ.*

LXXX. Lectio Sacræ Scripturæ eſt pro omnibus.

LXXXI. Obſcuritas ſancta verbi Dei non eſt laicis ratio diſpenſandi ſe ipſos ab ejus lectione.

LXXXII. Dies Dominicus à Chriſtianis debet ſanctificari lectionibus pietatis, & ſuper omnia Sanctarum Scripturarum. Damnoſũ eſt velle Chriſtianum ab hac lectione retrahere.

LXXXIII. Eſt illuſio ſibi perſuadere quòd notitia Myſteriorum Religionis non debeat communicari fœminis lectione ſacrorum librorum. Non ex fœminarnm ſimplicitate, ſed ex ſuperba virorum ſcientia ortus eſt Scripturarum abuſus, & natæ ſunt hæreſes.

LXXXIV. Abripere è Chriſtianorum manibus Novum Teſtamentum, ſeu eis illud clauſum tenère auferendo eis modum illud intelligendi, eſt illis Chriſti os obturare.

LXXXV. Interdicere Chriſtianis lectionem Sacræ Scripturæ, præſertim Evangelij, eſt interdicere uſum luminis, filiis lucis, & facere ut patiantur quandam ſpeciem excommunicationis.

3 Aſt quàm novum, periculoſum, ac temerarium ſit Sacram Scripturam communi populo, ſimplicibus, indoctis, ac rudibus, & tandem fœminis facere communem, ipſis imperitis hominibus fit notum, ex eò quia ad eum finem vitandum; ſanctum fuit ab Eccleſia Catholica, ne Sacra Biblia vulgari aliquo idiomate permittantur; ut liquet ex decretis Pij IV. & Clementis VIII. imò Urbanus VIII. in ſua Cõſtitutione, quæ incipit *Apoſtolatùs officium*, revocavit omnes facultates à Summis Pontificibus conceſſas ad legendum, aut retinendum libros Sacræ Scriptnræ linguis vulgaribus, & ſoli Pontifici Romano reſervavit eas licentias concedere. Si autem quis quærat, quænam linguæ veniant nomine linguæ vulgaris, quænam vè non? Reſpondetur juxta doctrinam Expurgatorij Hiſpani *regulà* 5. Hebræam, Græcam, Latinam, Chaldaicam, Syriacam, Æthiopicam, Perſicam, Arabicam, non dici vulgares; cæteres verò pro vulgaribus habendas eſſe.

Non licet Sacrá Scripturá vulgari aliquo idiomate imprimere, legere aut retinere.

Quænam dicátur linguæ vulgares.

SECTIO I.

Sacram Scripturam non eſſe pro omnibus oſtenditur (contra doctrinam præcedentium errrorum) ex Scriptura, Sanctis Patribus, & variis etiam rationibus.

1 INter alia Sacræ Scripturæ teſtimonia, quibus probari ſolet ſacri Textûs lectionem, nō omnibus licère, præſtantiſſimum habet locum illud *Exodi* 19. ubi à Deo fuit proviſum, ut jumentum, aut homo, *qui tetigerit montem, morte morietur; manus non tanget eum, ſed lapidibus opprimetur.* In quem locum ſic ait Innocentius III. *Tit. de Hæret. cap. Cùm extrà conjunct. Tanta eſt Scripturæ profunditas, ut non ſolùm ſimplices, & illiterati, ſed etiam prudentes, & docti non planè ſufficiant ad illius intelligentiam indagandam. Propter quod dicit Scriptura:* * *Defecerunt ſcrutantes ſcrutinio. Unde rectè fuit lege Divinà ſtatutum, ut beſtia, quæ montem tangeret, lapidaretur, ne videlicet ſimplex aliquis, & indoctus præſumat ad ſublimitatem Sacræ Scripturæ.* Aliis etiam in locis docet Scriptura Divina ipſius lectionem non eſſe pro omnibus; unde David *Pſalm.* 118. *v.* 18. & *v.* 34. ut Sacras Scripturas poſſet perſcrutari, Deum precabatur pro idoneà ſcriptæ legis intelligentia: *Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tuâ. Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam.* Matt. 7.6. legimus docente Chriſto: *Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus.* Quia *Sacrum* Teſtamentum vetus, & novum, quæ ſunt pretioſiſſimæ *margaritæ* non in oſtrearum conchis incluſæ, ſed in arcanis, ac myſteriis à ſæculis abſconditæ; canibus, & porcis, hoc eſt, peſſimis, & indoctis non debent exponi, & permitti. Videatur Auguſtinus *lib.* 2. *de Serm. Dom. c.* 20. Et *lib.* 1. *de Adulter. conjug. c.* 27. Nazianz. *orat.* 1. Chryſoſt. *Hom.* 17. *in Imperf.* Paſchaſ. *lib.* 4. *in Matth.* Albertus Magnus, & alij. Lucæ 24. *v.* 27. & 45. habemus Chriſtum Dominum Apoſtolis ſuis Scripturas fuiſſe interpretatum, & eiſdem ſenſum aperuiſſe, ut eas poſſent intelligere; ibi: *Et incipiens* (Chriſtus ſcilicet) *à Moyſe, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipſo erant.* Et infra: *Aperuit illis ſenſum, ut intelligerent Scripturas.*

Probationes ex Sacra Pagina.

ras. Ex quo Textu ſatis liquet Sacram Scripturam pro omnibus non eſſe, cúm & ipſi Apoſtili non illas intelligerent, niſi Chriſtus illis ad ſacram lectionem ſenſus aperuiſſet. Hoc ipſum confirmatur ex illo *Actor.* 8. 30. ubi Philippus Apoſtolus Reginæ Candacis nobilem Eunuchum Iſaiam legentem, interrogavit: *Putas ne, intelligis quod legis? Qui ait: Quomodo potero, ſi non aliquis oſtenderit mihi?* Et ibi Gloſſa ordinaria: *Arguit Eunuchus illorum audaciam, qui exiſtimant ſine Doctore Sacras Scripturas poſſe intelligi.* Certè iſte Eunuchus pius, ac devotus erat: de illo enim inquit Chryſoſtomus: *Magnis laudibus prædicatur ille, quandoquidem in Æthiopiâ manens, & tantis occupatus negotiis, & cùm non eſſet dies feſtus, ageretque in ſuperſtitioſá civitate venit adorare Hieruſalem.* Erat etiam ſtudioſus, & Sacris Literis deditus; unde D. Hieronymus ſuper hunc locum ſic inquit: *Nec ſanctior ſum hoc Eunucho, nec ſtudioſior, qui tamen cùm librum teneret, & cogitatione conciperet, ignorabat Deum, quem in libro venerabatur, ſed venit Philippus, & oſtendit ei.* Si igitur ſtudioſus, & pius Eunuchus Sacræ Scripturæ ſenſum percipere non poterat, quomodo poterunt eam inveſtigare tot indocti, totque homines ſcelerati, quibus proponitur legenda Sacra Scriptura, ex eo quòd ejus lectio ſit pro omnibus? Id ipſum aliis in locis habemus ex ſacrâ Paginâ; nam ad *Corint* 2. 11. *Quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt; ità & quæ Dei ſunt, nemo cognovit, niſi Spiritus Dei.* Ad Roman. 11. 20. *Noli altum ſapere, ſed time.* Div. Petrus Apoſtolorum Princeps *Epiſt.* 2. *cap.* 3. de Epiſtolis Pauli ſic inquit: *In quibus quædam ſunt difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravãt, ſicut & cæteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionem.* Propterea dictum eſt *Proverb.* 25. 27. *Scrutator maieſtatis opprimetur à gloriâ.* Et *Eccleſ.* 3. 22. *Fortiora te nè ſcrutatus fueris.*

Laudatur Eunuchus Candacis Reginæ Æthiopiæ.

2 Noſtram doctrinam probant multi Sancti Patres; ex Græcis enim Div. Juſtinus Martyr *Dialogo cum Tryphone* ſic inquit: *Divina oracula non ſunt cuivis perſpicua, ſed ſolùm quibus intellectum dat Deus, & Chriſtus ejus.* D. Clemens Alexandr. *Lib.* 2. *Strom. c.* 6. *Neque Prophetæ, neque Salvator ſic loquuti ſunt Divina myſteria, ut ea facilè capi poſſent à quibuſlibet.* D. Epiph. *Hæreſ.* 55. *Divinæ Scripturæ profunditas humanæ naturæ mentem excedit, decipitque quamplurimos.* Divus Greg. Nazianz. *ad Nemeſium: In Scrip-*

Noſtra doctrina conſtat ex Græcis Patribus.

Scripturis ſenſus internus à paucis percipitur. Ex Latinis Patribus idem docuerunt D. Hilar. *in Pſalm.* 118. *v.* 1. ibi: *Arduum, ac difficillimum eſſe* (inquit) *hominem per ſe ipſum, ſæculique Doctores rationem præceptorum cæleſtium conſequi, niſi per ejus gratiam, qui ipſi dederit erudiri.* Ambroſ. in *Pſalm.* 118. *Multa eſt obſcuritas in Scripturis propheticis, & Scripturarum janua aperietur tibi, non ab aliquo, quàm à Dei Verbo, de quo legiſti in Apocalyſi, quòd Agnus ſignatum librum aperuit, quem nullus antea aperire poterat.* Hieronymus *Epiſt.* 103. *ad Paulin. Iſaiam, Hieremiam, Ezechielem, Danielem quis poteſt vel intelligere, vel exponere? Jacobus, Joannes, Petrus, & Judas ſeptem Epiſtolas ediderunt tam myſticas, ut rarus ſit, qui in earum lectione non cæcutiat.* Idem Doctor Maximus (quem Deus Eccleſiæ ſuæ in exponendis Sacris Scripturis providere dignatus eſt) in *Cap.* 4. *Epiſt. ad Epheſ.* inquit: *Quò plus in Scripturis procedit quis, eò maiores ei occurrunt difficultates.* Magnus Auguſtinus *Epiſt. ad Januar. cap.* 6. *In ipſis Sanctis Scripturis multò neſcio plura, quàm ſcio.* Venerabilis Petrus *lib.* 5. *Cautè incedendum eſt per anguſtas ſemitas eloquiorum Dei, quia niſi lector diligenter caveret, ſæpe procumberet.* Rabanus Maurus *lib.* 3. *Inſtit. Cleric. c.* 3. *Multiplicibus obſcuritatibus, & ambiguitatibus decipiuntur qui temerè Literas Sacras legunt, aliud pro alio ſentientes.*

Conſtat etiam ex Latinis.

3 Rationibus etiam oſtenditur Sacræ Scripturæ lectionem non eſſe pro omnibus. Nam populus rudis, ſimplices, & inſipientes mulieres abſcondita myſteria non percipientes, ſi legant illud *Oſeæ* 1. *v.* 2. ubi à Deo dictum eſt Prophetæ quòd aſſumeret ſibi mulierem inſignem meretricem, & faceret ſibi filios fornicationum, aut quòd Lot, *Geneſ.* 19. 31. dormivit cum duabus ſororibus, ex eo genitis: ſive quòd Moyſes, *Exod.* 2. *v.* 11. interfecerit quendam Ægyptium, qui percutiebat Hebræum. Aut quòd Judith pulcherrima, & nimia curioſitate ornata, Holofernem quærens, cubiculum ejus intravit, *Judith cap.* 10.) ex quo factum eſt ut ſtatim à gentili Duce fuerit turpiter deſiderata: vel denique quòd Lia, & Rachel ſorores Jacobo utriuſque viro ancillas dederint in concubinas; & alia his ſimilia ſi legant, aut ea ſibi etiam licere colligent, aut contemnent ſtatim quæ legerint.

Rationes pro Catholica veritate.

4 Probatur amplius, quia hæreſes omnes, non niſi ex mala Sacræ Scripturæ intelligentia ortæ ſunt, ut oſtendunt

Divus Hilarius *de Synodis lib.ult.* Caſſianus *Collat.* 2. 3. *&* 4. Sylvius *lib. de Orig. Bohemorum.* Ergo qui Sacras Scripturas indoctis, & præcipué mulieribus faciunt communes, hæreſes aut oriri, aut ortas creſcere intendunt, in quo adverſantur Apoſtolo 1. *ad Timot.* 2. *Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubjectione.* Et 1. *ad Corint. c.* 14. *Mulieris in Eccleſia taceant, non enim permittitur illis loqui, ſed ſubditas eſſe. Si quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent.* Antecedens probatur variis exemplis. Nam ex mala intelligentia loci illius *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata, Pſalm.* 31. deducunt Calviniſtæ quòd in juſtificatione peccata non tolluntur, ſed tantùm teguntur. Item ex illo Pſalmi ejuſdem: *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum;* colligunt peccata manere in homine juſtificato, tantùmque non imputari. Similiter docent juſtificationem impij in eo tantùm conſiſtere, quòd ipſi extrinſecè imputetur Chriſti juſtitia; quod tunc fit quando peccator firmiter credit Chriſti juſtitiam ſibi eſſe applicatam, ſive imputatam; ex prava intelligentia loci illius 1. *ad Corint.* 1. 30. *Chriſtus factus eſt nobis à Deo ſapientia, & juſtitia, & redemptio.* Et 2. *ad Corint.* 5. 21. *Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.* Et *ad Roman.* 4. 5. *Credenti in eum, qui juſtificat impium, reputatur Fides ejus ad juſtitiam.* Item ſtatuunt ſolam Fidem eſſe formam juſtificantem impium; quia malé uſurpant illud *Matth.* 9. 2. *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.* Et illud ibidem *v.* 22. *Fides tua te ſalvam fecit.* Et ſimiliter illud *Luc. c.* 17. *v.* 19. *& cap.* 18. *v.* 42. *Fides tua te ſalvum fecit.* Et *Joan.* 3. 36. *Qui credit in illum, habet vitam æternam.* Et *Actor.* 13. 39. *In hoc omnis, qui credit, juſtificatur.* Sicut etiam ex eo quòd male intelligant illud *ad Roman.* 3. 28. *Arbitramur hominem juſtificari per Fidem ſine operibus;* itemque illud ad *Epheſ.* 2. 5. *Salvati eſtis per Fidem, non ex operibus;* aſſerunt actus noſtros pœnitentiæ, (& contritionis perfectæ, timoris, Spei, & alios, quibus homo ſe diſponit, & præparat ad juſtificationem, nihil ad juſtitiam inducere, nihil ad remiſſionem peccatorum inſervire. Omitto innumera alia exempla, quæ hic inſervire poſſunt.

Ex mala Sacræ Scripturæ intelligentia ortū duxerunt innumeri errores, & omnes hæreſes.

5 Colligitur tamen apertiſſimè ex dictis quòd, ſi Sacræ Scripturæ lectio omnibus permittatur, magna inſurget in Ec-

cleſia Chriſtianæ doctrinæ, & Catholicæ Fidei pernicies, facilè enim dicipientur plurimi ex hujuſmodi lectione. Unde Div. Epiphanius *hæreſ. 55. Divinæ Scripturæ profunditas humanæ naturæ mentem excedit, decipitque quamplurimos.* Noſter Rabanus Maurus ſuprà relatus *lib. 3. de Inſtit. Cleric. c. 3. Decipiuntur qui temere Literas ſacras legũt, aliud pro alio ſentientes.* Cõfirmat Div. Petr. verbis illis ſuprà memoratis, *Epiſt. 2. c. 3.* ubi de Epiſtolis Divi Pauli, inquit: *Quædam ſunt difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras Scripturas ad ſuam ipſorum perditionem.*

Inſipientes decepti ſũt Scripturam Sacram legentes.

SECTIO II.

Veritas doctrinæ Catholicæ in præſenti oſtenditur aliis rationibus.

1 SUnt & aliæ rationes, maximè demonſtrantes lectionem Sacræ Scripturæ non eſſe omnibus permittendam. *Prima*: Quia res ipſæ, de quibus agit Scriptura, obſcuriſſimæ cùm ſint, & ſupra hominis captum naturalem, non poſſunt indoctis accommodari; quippe quæ nec à ſapientibus intelliguntur, niſi prævià ſuperna illuſtratione, ſeu revelatione. Sunt enim in Scripturà varia myſteria, ſcilicet Trinitatis, Incarnationis, Reſurrectionis, ſeptem Sacramentorum, Prædeſtinationis, Gratiæ Divinæ, Fidei, & aliorum habituum per ſe infuſorum, Donorum Spiritûs Sancti, Vocationis, Auxiliorum, Reprobationis, & aliorum, quæ doctis difficillima videntur, indoctis verò omnino inveſtigabilia, & penitùs obſtruſa.

Sacra Biblia difficillima captu, propter recondita myſteria, quæ continent.

2 Ratio *ſecunda*, quia licèt de Fide ſit Sacras Scripturas omnino inter ſe conſentire, inſudant tamen præcipui Theologi, ut quamplura Sacræ Scripturæ loca ab antinomiæ, & contradictionis ſpecie vindicare poſſint; ut teſtes nobis ſunt Auguſtinus *lib. de Conſ. Evang.* Theodor. *in Com. Scriptur.* Joannes Driedo Turnhout Theologus Lovanienſis toto ferè *tomo de Eccleſiaſticis Scripturis, & Dogmatibus*, per quatuor libros diviſo. Idque Scriptura ipſa teſtatur, ut obſervarunt Doctores: nam imprimis, cùm dictum ſit *Geneſ. 1. & 2.* Deum per

In Sacris Bibliis paſſim contradictiones apparẽt, quæ à præcipuis Theologis ſummo ſtudio, & labore conciliantur.

ſex

ſex dies creaſſe Cælum, terram, & omnia, quæ in eis ſunt: é contra dicitur Eccleſiaſtici 18. 1. *Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul.* Deinde *Geneſ.* 15. *v.* 13. & *Actor.* 7. 6. dicitur filios Iſrael fuiſſe in Ægypto per annos quadringentos; Apoſtolus autem ad *Galat.* 3. 17. per annos triginta ſupra quadringentos illos in Ægypto fuiſſe dicit. Exod. 20. *v.* 5. dicitur: *Ego ſum Dominus Deus tuus, viſitans iniquitates patrum in filios in tertiam, & quartam generationem.* Dicitur tamen Ezechielis 18. 20. *Filius non portabit iniquitatem patris.* Dicitur Deuteronomij 6. 13. *Dominum Deum timebis, ac per nomen illius jurabis*; cùm tamen *Matth.* 5. 34. ſit dictum: *Ego autem dico vobis: Nolite omnino jurare.* Dicitur *lib.* 1. *Reg.* 15. 11. *Pœnitet me, quòd conſtituerim Saul Regem.* Eſt tamen dictum ad *Rom.* 11. 29. *Sine pœnitentia ſunt dona, & vocatio Dei.* Dicitur 3. *lib. Reg.* 8. 9. Quòd *in Arca non erat aliud, niſi duæ Tabulæ lapideæ, quas poſuerat in ea Moyſes in Horeb.* Dicitur verò é contrario ad *Hebr.* 9. 8. *quòd in Arca erat urna habens mannâ, & virga Aaron, quæ fronduerat, & Tabulæ Teſtamenti.* Dicitur *Marci* 16. 15. *Prædicate Evangelium omni creaturæ*; cùm tamen *Matth.* 10. 15. dictum ſit: *In viam gentium nè abieritis, & in civitatem Samaritanorum nè intraveritis, ſed ite ad oves, quæ perierunt domûs Iſrael.* Et tandem ut alia omittam, ad *Rom.* 3. 28. dicitur: *Arbitramur juſtificari hominem per Fidem ſine operibus*: cùm tamen *Jac.* 2. dicatur: *Videtis quia ex operibus juſtificatur homo, & non ex Fide tantùm.*

Sacra Scriptura difficilis intellectu propter figuratas locutiones.

3 Accedit *tertia* ratio, quia in Scripturis multæ ſunt figuratæ locutiones, ſeu Tropi, ut appellant Rhetorici; figuratæ ſcilicet verborum mutationes, in quibus verba, aut ſermones à propriis ſignificationibus ad alias cum virtute mutantur. Has auté figuratas locutiones quomodo intelligent inſipientes, & indocti? Hujuſmodi figuræ reperiuntur in Scriptura multoties. *Ironia* enim, quà unum dicimus, & ſignificamus oppoſitum, invenitur *Geneſ.* 3. *v.* 22. ubi de Adamo ironicé (juxta multorum doctrinam cum Perer. ſuper hunc locum) à Deo dictum eſt: *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum, & malum*; ſicut per Ironiam dicebat Elias Prophetis Baal, *lib.* 3. *Reg.* 18. 27. *Clamate voce maiori, Deus enim eſt, & forſitan loquitur, aut in diverſorio eſt, aut in itinere, aut certé dormit, ut excitetur.* *Hyperbole* rem ipſam, de qua agit, aut valde augens, aut

valde

valde minuens, reperitur *in 2. Reg. 1. 23.* ubi dicuntur *Saul, & Jonathas ::: aquilis velociores, leonibus fortiores.* Item *Amòs 2. v. 9. Ego autem exterminavi Amorrhæum à facie eorum; cujus altitudo cedrorum altitudo ejus: & fortis ipſe quaſi quercus. Numer. 13. v. 34. Vidimus monſtra quædam filiorum Enoc, quibus comparati, quaſi locuſtæ videbamur.* Datur etiam in Sacra Scriptura *Synedoche*, partem ſumens pro toto; ut videtur in illis verbis Geneſ. 6. 12. *Omnis caro corruperat viam ſuam*: aut totum ſumens pro parte, juxta illud *Sap. 14. v. 1. Per feros fluctus iter facere incipiens, ligno portare ſe, fragilius lignum invocat.* In primo exemplo pars naturæ humanæ ſumitur pro tota natura, & dicitur omnis caro. In ſecundo exemplo pro parte aſſumitur, & intelligitur totum; nam ibi per lignum intelligitur navis. Habetur etiam *Antiphraſis* in Scriptura, vi cujus figuræ ſermo per contrarium eſt intelligendus: ut Parcæ, quia nemini parcant. Iſtiuſmodi autem locutione utiturScriptura ſancta in illis verbis uxoris Job ad eundem *cap. 2. v. 21. Benedic Deo, & morere.* Ubi illud *benedic* uſurpatur pro *maledic*, ut eſt communis interpretatio Doctorum cum Titelmano in hunc locum. Congruit autem per *Antiphraſim* uti verbo *benedicere* pro *maledicere* propter reverentiam, quæ in hoc loquendi modo exhibetur Deo.

4 Eſt & *quarta* ratio, cur Scripturæ lectio non ſit pro omnibus, videlicet, quia Scripturæ verba ita carent diſtinctione neceſſariâ aliquibus in locis, ut ſenſum omnino reddant ambiguum. Hoc fit, quando in ſacro Textu agitur de Deo, in quo ſpectari poteſt aut unitas eſſentiæ, aut trinitas Perſonarum. Et inde eſt, quòd, cùm *Matth. 6. 9.* dicitur: *Pater noſter, qui es in Cælis*, dubitant Scholaſtici, an *tò Pater* debeat referri ad ſolam primam Perſonam, ſeu perſonaliter; an ad omnes tres propter eſſentiam, ſeu eſſentialiter? Sed videtur quòd *Pater* hic ſumitur eſſentialiter; non enim dicitur reſpectivé ad Filium, ſed reſpectivé ad homines, quorum Deus ſumptus eſſentialiter eſt Pater: unde inquit Chriſtus *Joan. 20. 17. Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum*, & notandum quòd Chriſtus non aſcendebat ad ſolum Patrem, ſed etiam ad Spiritum Sanctum; igitur dum dicit *Pater noſter*, non eſt ad ſolam primam Perſonam oratio. Eadem ambiguitas eſt cùm

In multis Scripturæ S. locis ſenſus eſt ambiguus.

Scrip-

Scriptura agit deChriſto;non enim ſemper intelligitur,utrùm ſermo procedat de illo ſecundùm Divinitatem, an ſecundùm humanitatem. Exemplum ſit in illis verbis ad *Coloſſ.* 1. 15. ubi Chriſtus dicitur: *Imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ, omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt; & ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, primogenitus ex mortuis.* Inquiritur ex hinc: Utrùm Chriſtus ſit imago Dei inviſibilis, ſic dictus ſecundùm humanitatem, an potiùs ſecundùm Divinitatem? Quidam reſpondent Apoſtolum locutum fuiſſe de Chriſto propter Divinitatem, & ideo dixiſſe: *Omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt.* Alij Apoſtolum interpretantur de Chriſto ſecundùm humanitatem propter id, quod ſequitur: *Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, primogenitus ex mortuis.* Item cùm Scriptura agit de adventu Chriſti, multoties fit dubium, utrùm interpretatio ſit de primo, an de ſecundo adventu; ſic patet ex Apoſtolo *ad Hebr. cap.* 1. *v.* 6. dicente: *Et cùm iterum introducit primogenitum in Orbem terræ, dicit: Adorent eum omnes Angeli Dei.* Et videtur Apoſtolum eſſe intelligendum de primo adventu, nam in Nativitate Chriſti Angeli adoraverũt illum. Et tunc Deus Pater Chriſtum introducit in Orbem terræ; ſupponendo nanque pro ea differentia temporis, Angelis dicit *Pſal.* 96. 7. *Adorate eum omnes Angeli ejus.* Aſt é contra, quia illa particula *iterum* ſtat pro ſecundo adventu.

Ingenium, & ſtudium eſt neceſſarium, ut percipiatur an Scriptura loquatur ſenſu hiſtorico, an alegorico.

5 *Quinta* etiam extat ratio, qua populus rudis, & inſipiens removetur à lectione Sacræ Scripturæ: non enim poteſt capere ſenſum, in quo Sacer Textus procedit; invenitur enim quòd in Scripturis multoties fit tranſitus de ſenſu literali ad myſticum, de carnalibus ad ſpiritualia, de temporalibus ad æterna; hoc tamen valde ſubitò, & cùm minimè putamus, pro cujus captu maximum ſtudium, ingenium, & doctrina requiritur. In Pſalmis id ſæpe contingit, & patet in *Pſalmo* 71. ubi à Salomone ad Chriſtum tranſit Pſalmiſta, inquiens: *Adorabunt eum omnes Reges terræ.* Id etiam eſt Prophetis commune, ut videtur in Iſaia; nam *capite* 7. hiſtoriam nectens de quibuſdam Regibus, tranſitum facit ad Chriſtum, exponens ejus nomen, conceptionem, & ortum ex Virgine. Sic ſimiliter *cap.* 14. de Rege Babylonis facit tranſitum ad Luciferum.

6 *Sexta* ratio. Quia in Scriptura inveniuntur aliqua nomina

mina intellectu difficillima, quorum ſignificationes non omnes percipiũt: unde Marcella nobilis Romana hæc Divo Hieronymo propoſuit pro intelligentia. *Primò* quid ſit apud Hebræos *Ephodbat*, & quid *Teraphim*; ut conſtat ex *Epiſt.* 130. *Secundò*, quid ſignificet *Alleluia*, *Amen*, *Moranatha*? Sic conſtat ex *Epiſt.* 137. *Tertiò.* Quid ſit *Diaplaſma*? Conſtat ex *Epiſt.* 138. Et tandem eſt *ſeptima* ratio cur Scriptura non ſit pro omnibus: quia in ea aliquando connectantur ſententiæ, quarum connexio non apparet. Sæpe videtur non reſponderi apté ad quæſtiones propoſitas. Sæpe interrumpitur ſenſus; incipitur enim hiſtoria, dimittitur propter aliam, & iterum tenetur dimiſſa, ut multoties in Apocalypſi videtur. Hæc autem merito Sacram Scripturam perpaucis legendam reddunt.

In ſacro Textu aliqua ſunt nomina, quorum ſignificationes pauci percipiũt.

Tádem ex proprio contextu fit Sacræ Scripturæ difficills intelligentia.

7 Quæres igitur: Quibuſnam ſit Sacræ Scripturæ lectio permittenda? Reſpondeo ad Sacræ Scripturæ lectionem eſſe requiſitas, tum vitæ puritatem, tum intellectûs eruditionem, & ſapientiam. Unde Auguſtinus *lib.* 2. *de Doctrina Chriſt. cap.* 37. inquit: *Non ſolùm admovendi ſunt ſtudioſi venerabilium literarum, ut in Scripturis Sanctis gratiam loquutionum ſciant, & quomodo apud eas aliquid dici ſoleat; verùm etiam (quod eſt præcipuum, & maximè neceſſarium) orent ut intelligant, quoniam Dominus Prov.* 25. *dat ſapientiam; & à facie ejus ſcientia, & intellectus.* Certé ex his duobus requiſitis primũ eſt plus neceſſarium. Unde *Job* 28. *v.* 28. dicitur: *Timor Domini ipſe eſt ſapientia: & recedere à malo intelligentia.* Eccleſ. 1. 33. id habetur: *Fili concupiſcens ſapientiam, obſerva juſtitiam, & Deus præbebit illam tibi.* Et Sap. 14. ſic ſcriptum eſt: *In malevolam animam non intrabit ſapientia, neque habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Accedunt Sancti Patres: nam Baſilius in Iſaiam ſtatim *in Proœmio* inquit: *Vitæ quoque puritas requiritur ad judicandum, quod in Sacris Scripturis obvolutum eſt.* Nazianz. *orat.* 2. *de Paſch. Vos & mentes, & aures, & intellectum purgate, qui in hujuſmodi rebus collocatis delicias.* Cyril. Alexandrinus *lib.* 1. *contra Julian, inquit eos duntaxat idoneos eſſe,* (ad Sacræ Sripturæ lectionem) *qui carnis paſſionibus, & terrenis immunditiis liberi, mentis integritate præditi, veram ſe pietatem colere operibus oſtendunt.* Athanaſ. *extremo libro de Incarnatione Verbi* aperté inquit: *Sine pura mente, & Sanctorum imitatione nemo comprehendet Sanctorum verba.* Idem docent Origen. *Homil.* 5. *in*

Vitæ puritas ad S. Scripturæ lectionem eſt neceſſaria.

Levit.

Levit. Dionyſius Areopagita *Epiſt. ad Demoph.* Auguſtinus *Epiſtola* 112. & 120. & *Serm.* 122. Iſidorus *Epiſt. ad Charemon.* Bernardus *Serm.* 27. *in Cant.* Caſſianus orat. 14. *cap.* 14. Joannes Climacus, *Grad.* 27. & alij quamplurimi Patres, atque Doctores.

Studium, ſapientia, & mentis acumen neceſſaria ſunt ad Sacræ Scripturæ lectionem.

8 Quòd autem ſit etiam neceſſarium ſtudium, ſapientia, & mentis acumen, conſtat ex Baſilio *Proœmio in Iſaiam* dicente: *Hoc tibi eſt omnibus modis enitendum, ut expulſá omni ſolicitudine, & cogitatione terrena, aſſiduum te, ac potiùs jugem ſacræ præbeas lectioni; donec continua meditatio imbuat mentem tuam, & quaſi in ſimilitudinem ſui formet te arcam quodam modo Teſtamenti.* Idem docuit Auguſtinus *tom.* 2. *Epiſt.* 3. ibi: *Maximo otio, ſummo ſtudio, meliori ingenio opus eſt ad literas ſacras.* Vide alios Patres, ac Doctores apud Caſſianum *Collat.* 14. *cap.* 10. Igitur qui morum probitate caret, aut eruditione indiget, ſacram Scripturam per ſe ſcrutari non audeat, nam ut dicitur *Proverb.* 25. 27. *Scrutator maieſtatis opprimetur à gloria*; ſed magiſtros quærat, à quibus edoceri poſſit: vel ipſius ſacræ Scripturæ arcana explanata, & explicata quærat apud ſacros Interpretes, qui Scripturam ſtylo claro, & facili elucidarunt. Et hoc moderatè, & reſtrictè eſt accipiendum; quia peccatoribus (præſertim magnis, & ſcandaloſis) non licet facilè ſacræ Scripturæ verba aſſumere. *Peccatori* enim *dixit Deus*: *Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis Teſtamentum meum per os tuum?* Ut legitur *Pſalm.* 49. 16. & præterea dedecet Scripturæ ſacræ Maieſtatem, quòd ejus myſteria, arcana, hiſtoriæ propheticæ, proverbia, &c. fiant vulgaria inter caupones, Sartores, & alios ſimilis farinæ; cum Apoſtolo enim (*ad Rom.* 12.) *Dico omnibus, qui ſunt inter vos, non plus ſapere, quàm oportet ſapere.* Et tandem circa cenſuras præſentium propoſitionum conſtat ex dictis *num.* 2. *ante Sectionem* 1. eas eſſe de hæreticorum doctrinà potatas; & inſuper hæreſi proximas, hæreſim que ſapientes, juxta ea, quæ dedimus *Sect.* 1. *num.* 4.

Peccatores, & indocti Doctores, aut faciliores Interpretes conſulant; parcé tamen, & moderaté.

Sacram Scripturá decet maximam reverétiam.

SEC-

SECTIO III.

Reſpondetur argumentis adverſariorum.

1 ARguunt primò in hunc modum. In *cap.* 11. *v.* 33. Evangelii Lucæ, inquit Chriſtus Salvator quòd *nemo lucernam accendit, & in abſcondito ponit, neque ſub modio, ſed ſupra candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant.* Hæc autem lucerna eſt ſacra Scriptura, ſeu verbum Dei juxta illud Pſalmi 118. *v.* 105. *lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* Ergo ſicut non licet lucernam Dei abſcondere, ſic non licet verbum Dei, hoc eſt, ſacram Scripturam clauſam habere iis, qui ingrediuntur domum Dei, quæ eſt Eccleſia. Unde patet quàm rectè ſit ſtatutum in propoſitione 85. *quòd interdicere Chriſtianis lectionem ſacræ Scripturæ, præſertim Evangelii, eſt interdicere uſum luminis filiis lucis, & facere ut patiantur ſpeciem quandam excommunicationis.* Reſpondetur quòd in ſuprà adducto loco Evangelii Lucæ Chriſti ſermo non eſt de lucernà prout ſignificante verbum Dei ſcriptum, hoc eſt, ſacram Scripturam, ſed de verbo Dei, & Chriſtiana doctrina Apoſtolorum ſermonibus proclamata, & ipſorum operibus comprobata: cùm enim Apoſtoli, & Prædicatores Mundi ſint lumina, ſui ſplendoris doctrinam non debent quaſi ſub modio abſcondere, ſed ponere ſuper candelabrum, ut verbis, & factis luceant omnibus. Quòd autem hæc ſit propria intelligentia Chriſti doctrinæ apud lucam, patet manifeſtè, ex Matthæo *cap.* 5. *v.* 14. ubi legitur illud Chriſti ad Apoſtolos, Doctores, & Prædicatores Sancti Evangelii: *Vos eſtis lux Mundi. Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita. Neque accendũt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in Cælis eſt.*

Lucerna, & lumen Sacrà Scriptura non eſt, quæ debeat lucere omnibus qui in domo ſunt, propriùs igitur, lucerna, & lumen eſt doctrina Chriſtiana, quæ omnibus debet prædicari.

2 Arguunt ſecundò. Eunuchus ille anCdacis Reginæ Æthiopiſſæ magnis laudibus prædicatur à Patribus, præſertim

Chryſoſtomo, & Hieronymo, propter ejuſdem ſacræ Scripturæ aſſiduam lectionem; qui tamen patet quàm indoctus eſſet ex *Actor.* 8. *v.* 31. neque enim intelligebat illud Iſaiæ *c.* 53. *Tanquam ovis ad occiſionem ductus eſt*, *&* *ſicut agnus coram tondente ſine voce*, *ſic non aperuit os ſuum.* Unde *verſ.* 34. Philippum Apoſtolum obſecrabat memoratus Eunuchus, ut exponeret de quo Propheta illud diceret; de ſe ipſo, an de aliquo alio? Sicut igitur commendatur inſipiens ille Eunuchus ex aſſidua lectione ſacræ Scripturæ, ita laudandi erunt inſipientes alii, qui ſimili ſtudio ſe dederint. Sed contra; nam quòd Eunuchus ille locum, quem legebat, ignoraverit, non illius ignorantiæ, ſed loci ejuſdem obſcuritati tribuendum eſt: congruè enim dabatur dubitandi occaſio, an Propheta loqueretur de ſe, vel de alio: nam, ut notat Divus Gregorius Papa in *Præfat. in Job c.* 2. ſacris Literis germanum, ac proprium valde eſt, ut ipſi, qui ſcribunt, ſic de ſe, ac de aliis loquantur; nam de ſe, tanquam de alio, dixit Moyſes *Numer.* 22. *Erat Moyſes mitiſſimus ſuper omnes homines.* Et Apoſtolus Joannes, ac Evangeliſta, de ſe veluti de alio, inquit: *Hic eſt diſcipulus ille, quem diligebat JESUS*; ut legitur ejuſdem *Joan. cap.*20. Et hinc eſt quòd noſter Peres in *Pentat. volum.*3. *dub.*11. *cap.* 5. ſic ſtatuat: *Quòd autem Philippum Eunuchus rogaverit, an de ſe, vel de alio Propheta id prædiceret, tantum abeſt ut imperitiam, quòd potiùs eximiam in Eunucho arguat, aſſiduamque, & ſedulam exercitationem in ſacris Literis.*

Quòd Eunuchus Æthiops, Iſaiæ locum, quem legebat, ignoraverit, nõ tam propriæ inſipientiæ, quã lectionis obſcuritati tribuẽdum eſt.

Eunuchi dubitatio ejus peritiam oſtendit.

3 Arguunt tertiò ex Sanctis Patribus, ſæpe docentibus Sacras Scripturas taliter eſſe conſcriptas, ut ab omnibus utiliter legi poſſint, etiam ab idiotis, opificibus, Scriptoribus, piſcatoribus, & aliis ejuſdem, vel non diſſimilis farinæ. Et ſic doceri inquiunt à Chryſoſt. *Hom.*3. *de Lazaro, & Hom.* 10. *ad Philip. & Hom.*9. *ad Celſum, &* 29. *in Geneſ.* Athanaſ. *ſuper cap.*6. *Epiſt. ad Epheſ.* Lactant. *lib.*6. *Divinæ Inſtit. cap.*71. Procop. *Præfat. in Iſai.* Cyrill. *lib.*2. *contra Julianum,* Baſil. *in Quæſtion. brevioribus, q.* 41. Orig. *lib.* 4. *contra Celſum.* Sed reſpondetur cum Bellarmino, Peres, & aliis, quòd Sancti Patres hoc ſolum intendunt, quòd Sacræ Scripturæ utiliter legi poſſint ab omnibus, ſi eas per interpretes diſcant; non autem ſi temere propriis ingeniis

Quomo Sacræ Scripturæ lectio poſſit eſſe omnibus utilis?

nixi

nixi arcana Sacri Textûs perſcrutari, & inveſtigare præſumunt.

4 Inſtabunt. Sacra Scriptura ob ipſius claritatem nulla expoſitione indiget, ſed lectione, aut auditione tantùm, ut inquit Divus Juſtinus Martyr *in Dialog. cum Tryph.* Et confirmatur, quia, ut oſtendunt Chryſoſt. *Hom. 3. in 2. ad Theſſal.* Theodorus Abbas apud Caſſianum *lib. 5. Inſtit. c. 54.* ex hominum negligentia oriri videtur, quòd Sacras Scripturas oporteat explicari: ergo data ſolutio ad argumentum præjactum non ſubſiſtit. Reſpondetur Patres citatos non loqui de lectione totius Scripturæ Divinæ; de aliquâ tantùm parte ſunt intelligendi. Certum enim eſt aliqua reperiri in Sacro Textu, ad quorum captum interpretatio non requiritur, ut ſe habent præcepta non jurandi, non furtum faciendi, non occidendi, & his ſimilia. Sunt verò alia, quæ etiam doctis obſcura nimis, ac difficilia ſunt, ut conſtat ex Patribus relatis *Sectione 1. & 2.* & circa illa non eſt intelligenda, neque accipienda Sanctorum Patrum præjacta locutio.

In Sacro Textu aliqua reperiuntur, quæ luce laborioſa non indigent.

5 Urgebunt. Ex Divo Auguſtino *lib. 2. de Doctr. Chriſt. c. 6. & 9.* conſtat omnes Scripturas eſſe clariſſimè conſcriptas, quod enim in uno loco videtur obſcurum, in alio planiſſimum reperitur; unde Auguſt. citat. *Nihil ferè in Scripturis obſcurum eſt, quod non planiſſimè aliâs reperiatur*: ergo neque ſolutio præcedentis inſtantiæ ſubſiſtit. Antecedens confirmatur ex eodem Auguſt. *lib. de oper. Monach. c. 9. dicente*: *Impiè, ac nequiter agit qui Scripturas ait obſcuras.* Idem colligitur ex Irenæo *lib. 3. adverſùs hæreſ. c. 2.* Sed contra, nam Auguſtinus *Epiſt. ad Januar. c. 6.* fatetur in Scripturis quamplura eſſe obſcuriſſima loca, proindeque ſibi ipſi penitus obnubilata, & clauſa peſſulis innumeris, inquit enim: *In ipſis Sanctis Scripturis multò neſcio plura, quàm ſcio.* Dum igitur Divus Auguſtinus docet Sacras Scripturas eſſe claras, & intellectu faciles, de illis loquitur non totaliter, ſed ſecundùm aliquas partes, ut colligitur ex particulà *ferè*, ob id ab Auguſtino applicatà, ut conſtet illum non fuiſſe locutum abſolutè, ſed reſpectivè ad aliqua Sacræ Scripturæ loca non abſolutè obſcura, nec abſolutè difficilia. Ex inde tamen non ſequitur quòd omnes ſacri libri clariſſimi, ac plani ſint, conſtat enim libros Geneſis, Pſalmorum, Canticorum, Pro-

Fatetur de ſe ipſo Divus Auguſtinus in Sacris Scripturis multò plura neſcire, quàm ſcire.

phetarum, Evangeliorum, & alios (ut omittam librum Apocalypſis, qui, ut inquit Divus Hieronymus *Epiſt. ad Paulinum, tot habet ſacramenta, quot verba. Imò in verbis ſingulis multiplices latent intelligentiæ.*) Conſtat, inquam, præfatos, & alios etiam libros nodis, atque difficultatibus eſſe plenos, pariter ac myſteriis; quanvis extent libri alii, in quibus non tot, nec tam abſcondita ſacramenta reperiantur.



CAPUT

CAPUT XXX.

DE ERRORES PROPOSITIONIS LXXXVI. ità aſſerentis: Eripere ſimplici populo hoc ſolatium jungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ, eſt uſus contrarius pravi Apoſtolicæ, & intentioni Dei. Propoſitio 87.

1 SENSUS hujus propoſitionis (aliquantulum ab intelligentia remotus) eſt; quòd in Miſſarum celebratione verba omnia, tam ipſius Canonis, quàm etiam conſecrationis ab omnibus, qui interſint, debeant recitari: viris, & fœminis, veluti cum Sacerdotibus, ſacra ſimul operantibus. Ex eo autem, quòd à ſimplici, & communi populo auferatur hoc (ut inquiunt) ſolatium jungendi vocem ſuam voci Sacerdotis, & conſequenter totius Eccleſiæ, in cujus nomine multa profert celebrans; duo deducuntur in hac propoſitione. *Primum*; id eſſe uſum contrarium praxi Apoſtolicæ. *Secundum*; neque minus eſſe contrarium intentioni Dei. Pro utriuſque impugnatione ſit duplex aſſertio.

Exponitur ſenſus relatæ propoſitionis.

2 Prima aſſertio. Nunquam de praxi Apoſtolica extitit, quòd communis populus, Sacerdoti celebranti, vocem ſuam jungeret, ſimul cum eo verba conſecrationis, ut Canonis repetens: præſertim cùm tempus, quo Canon Miſſæ fuerit inſtitutum, ſit penitus incertum, ut videri eſt apud Joan. Azor. *inſtitution. moral. tom.* 1. *lib.* 10. *c.* 34. *quæſt.* 12. Noſtra veritas paſſim, & evidenter comperitur apud Authores, qui de rebus Liturgicis, à priſcis temporibus ſcripſerunt. Conſtat enim ex Liturgiis Jacobi, & aliorum, itemque ex Canone 19. Concilij Laodiceni; multa à Sacerdotibus ſecretò dici, ab

Falsò dicitur fuiſſe de praxi Apoſtolica, quòd Sacerdos, & populus ſimul, voces jungerent in Miſſarum celebrationibus.

origine Eccleſiæ; & antiquiſſimo uſu. Conſtat item quòd; præmiſſis orationibus, quibus tanquam præviis initiationibus, Sacerdos ſe diſponebat, & præparabat, ad tremenda myſteria in ſacra Synaxi perficienda; in reliquis, quæ ad Canonem pertinent, Sacerdos ipſe quaſi in ſancta Sanctorum ingreſſus, ſecretò cum Deo loqueretur; ut rei Divinæ hac ſilentij gravitate maior reverentia reconciliaretur; ut inquit noſter Cardinalis Bona *lib.* 2. *Rerum liturgicarum cap.* 11. Non ergo poterant antiquis illis temporibus, voces, & clamores populi, ſimul cum eo ſilentio conciliari.

Ab antiquis té-poribus, multa ſecretó recitan-tur á Sacerdo-tibus rem ſacrá facientibus.

3 Deinde apud Græcos, & alios Orientales, mos fuit, ut Sacerdos elata uoce verba conſecrationis pronuntiaret; populus autem ea cum ſilentio audiret, & ſtatim reſponderet: *Amen.* Id conſtat ex Tertulliano *lib.* 4. *adverſ. Marcionem.* Idem teſtatur Dionyſius Alexandrinus Epiſt. ad Xyſtum Romanum Pontificem apud Euſebium *lib.* 7. *hiſtor. Eccleſ. cap.* 9. De hoc teſtimonium perhibet Ambroſius, *lib. de iis quæ initiantur.* Et Tertullianus lib. de ſpectaculis.

Apud Orienta-les, cum ſilen-tio audiuntur à populo verba conſecrationis.

4 Idem conſtat ex aliis moribus, qui in uſu erant in exordio Eccleſiæ: ex quibus implicare videtur, quòd populus aſſiſtens, poſſet cum Sacerdotibus ſacra peragentibus verba Canonis, aut conſecrationis proferre: nam tempore Apoſtolorum, & aliquot ſubſequentibus ſæculis, univerſus fidelium cætus, Sacerdoti (maximé ſolemniter) celebranti, reſpondere, & cum clero pſallere ſolebat; ut eſt manifeſtum ex Liturgia S. Jacobi, & ex *lib.* 8. *conſtitut. Apoſtolic.* Unde Divus Juſtinus Martyr *Apolog.* 2. dicit *Præpoſitum preces fundere, & populum fauſtè acclamare. Amen.* Chryſoſtomus *hom.* 36. *in* 1. *ad Corint.* Confirmat hunc morem dicens: *Conveniebant olim omnes, & pſallebant communiter; hoc nunc quoque facimus.* Et Divus Hieronymus *Præf. l.* 2. *Comment. in Epiſt. ad Galat.* Romanæ plebis fidem laudando magnificat, quia magno ſtudio, & frequentia ad Eccleſias, & Martyrum ſepulchra concurrebat, *ubi* (inquit) *ad ſimilitudinem Cæleſtis tonitrui.* Amen *reboat.* Quomodo autem fieri poterat quod populus verba Canonis, & conſecrationis pronuntiaret, ſi eo tempore aut pſallebat, aut reſpondebat? Cæſarius Arelatenſis, qui in Gallia, multa ſanctitate floruit temporibus Clotharij, & Theodorici Regum, com-

In exordio Ec-cleſiæ, quo té-pore Sacerdos celebrabat, re-liqui pſallebāt.

cõpulit laicos, & populares homines Pſalmos,& Hymnos promere,altaque,& modulata voce inſtarClericorum,aliosGrecé, alios latiné,Proſas,& Antiphonas decantare, ne illis ſpatiũ ſuppeteret ad fabulas effatiendas dum ſacrum myſterium ageretur. Ita Div. Cyprianus in vita Sancti Cæſarij Arelatenſis. Si ergo populus antiquis illis temporibus, Apoſtolorum ſæculo coævis, dum celebraretur Miſſa Pſalmos, Hymnos, Proſas, Antiphonas decantabat, quomodò repetebat quæ à Sacerdote dicebantur? Confirmari poteſt: inquit enim Div. Cyprianus *lib. de Oratione*: *Sacerdos parat fratrum mentes dicendo,* Surſum corda, *ut dum reſpondet plebs*, habemus ad Dominum; *admoneatur, nihil aliud ſe, quàm Dominum cogitare, debere.* Igitur cogitare tantùm, non autem cum Sacerdote verba proferre, populus admonetur.

5 Nec mihi licuit (quantum per laborem, & ſtudium potui) invenire praxim illam Apoſtolicam, ex qua, ut dicitur, mos erat plebi vocem ſuam Sacerdotis voci jungere. Sive enim Patres, ſive Doctores legerim, nullus eſt, qui hujus moris faciat mentionem. Teſtes appello, & adduco Div. Ceſarium, Div. Cyprianum, Div. Juſtinum, Div. Ambroſium, Div. Chryſoſtomum, & alios, quos in hoc capite ſæpe citavimus, in quibus neque leve eſt indicium præfatæ conſuetudinis; imò oppoſitum inſinuare videntur, ut conſtat ex dictis. Neque item ejuſdem moris, monimentum aliquod reperitur, apud Rupertum Abbatem *de Divinis Officiis.* Rabanum Maurum, *de inſtitution. Clericor.* Genebrardum *de Liturgia Apoſtolica* Caſſianum *libris inſtitution.* Hugonem Victorinum, *de Eccleſiaſticis officiis.* Remigium Antiſiodorenſem *in expoſitione Miſſæ.* Claudium de ſainctes *de Liturgiis Patrum.* Caſſandrum *in Liturgicis* Cardinalem Bonam in *libris Rerum Liturgicarum.* Si ergo aliquis, auctorem ullum inveniat, de hac conſuetudine tractantem,talis auctoris Fidem,ſcribendi cauſas, occaſiones, finem, & circunſtantias examinet: nec minus; ſit ne illud opus, proprium auctoris, cujus nomine inſcribitur, an potiùs alterius de erroribus ſuſpecti? Scio quòd juxta Div. Gregorium Magnum, *Epiſt.* 63. quæ eſt ad Joannem Epiſcopum Syracuſanum: *Dominica oratio apud Græcos ab omni populo dicitur, apud nos autem à ſolo Sacerdote.* Ex quibus conſtat in Eccleſia La-

Apud Patres,ac Doctores non legimus, moré fuiſſe tempore Apoſtolorum, jungendi vocé plebis, voci Sacerdotis.

Apud Græcos, in Miſſa, Oratio Dominica dicitur à Sacerdote, & populo.

tina

tina, morem non extitiſſe; ut populus cum Sacerdote verba Canonis aut conſecrationis repeteret: cur enim ſtante eo more, oratio Dominica apud nos non diceretur à populo, ſed à ſolo Sacerdote? In eo autem quod Græcis mos fuerit, Dominicam orationem in Miſſa à Sacerdote, & populo dici, evidenter demonſtratur, cætera conſecrationis, & Canonis verba, non à populo, ſed à ſolo Sacerdote proferri :aliàs, non diceretur quòd in Miſſa Dominica oratio diceretur à populo; ſed, quòd verba omnia Canonis, & conſecrationis ita ſimul repeterentur, à Sacerdote & plebe.

6 Satis confirmari poteſt laudabilis uſus Eccleſiæ Catholicæ, de non ſimul recitanda Miſſa à populo vulgari; ex eò quod Sacrificium Miſſæ, non debeat celebrari linguis vulgaribus, ut determinat Concilium Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 8. *de Sacrif. Miſſæ.* De quo laté doctéque agunt Petrus Soto *lectione* 15. *de Cærem. Miſſæ.* Cardinalis Bellarm. *tom.* 1. *lib.* 1. *de Verbo Dei cap.*2. §. *Propoſitio* Barthol. ab Angelis *Dialogo* 5. *de Miſſ.* §. 461. Unde ſicut Scriptura ſacra imprimi non debet linguis vernaculis, ut proviſum eſt ab Eccleſia, ne à ſimplici populo, & communi plebe legatur, ac perinde vileſcat ſublimitas myſteriorum illius; ſic verba ſanctiſſima, & preces quæ in ſanctiſſimo Sacrificio Miſſæ continentur, linguis vernaculis imprimi, aut vulgari non licet, ne fortè à communi plebe ſciantur, ſeu proferantur.

Sacrificiũ Miſſæ, linguis vernaculis celebrari non debet.

7 Secunda aſſertio. Non eſt de intentione Dei, quòd conſueta verba in Sacrificio Miſſæ, unà cum celebrante à communi plebe repetantur. Patet: quia ſolus *Pontifex*, hoc eſt Sacerdos, *ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis*: ut inquit Div. Paulus *cap.* 5. *ad Hebr.* Ergo de intentione Dei eſſe non poteſt, quòd communis populus intendat cum celebrante dona, & ſacrificia offerre; &c. Deinde ſi eſſet de intentione Dei, quod communis populus, prout viros ac mulieres comprehendens, præfata verba recitaret, neutiquam diceretur ab Apoſtolo 1. *ad Corint. c.* 14. *v.* 34. *Mulieres in Eccleſia taceant.* Concluditur tandem novum hunc morem; qui in præſenti propoſitione intenditur, eſſe contrarium intentioni Dei; quia verba præſertim Canonis, & conſecrationis tali, ac tan-

De intentione Dei non eſt, quòd à cõmuni plebe, orationes, & verba pro Sacrificio Miſſæ, repetãtur.

ta reverentiâ digna ſunt, ut cederet in magnum dedecus eorundem verborum, ſi à profanis recitarentur, ut conſtat ex ſupradictis.

8 Hæc propoſitio hucuſque impugnata nullo nititur fundamento, ſed eſt liberé prolata in expoſitione quadam, dolis, & falſitate plena, ſuper *Epiſt.* 1. *Div. Pauli ad Corint.* 14.16. cùm tamen in ſacro Textu juxta vulgatam editionem, nec leve reperiatur fundamentum ad hanc propoſitionem. Eam eſſe falſam, temerariam, & ſcandaloſam conſtat ex **Propoſitionis** eis, quæ diximus capite 1. pro notitia cenſurarum, quibus **cenſura.** damnatæ propoſitiones notari ſolent.

CAPUT XXXI.

Arcana ſequentium propoſitionum deteguntur, & extirpantur.

Propoſitio LXXXVII. *Modus plenus ſapientiâ, lumine, & Charitate, eſt dare Animabus tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati: petendi ſpiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minus ſatisfacere juſtitiæ Dei, antequam reconcilientur.*

Propoſitio LXXXVIII. *Ignoramus quid ſit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus ſtatim reſtitui poſſeſſioni bonorum illorum, quibus nos peccatum ſpoliavit, & detrectamus ſeparationis iſtius ferre confuſionem.*

1 IN harum prima propoſitione dicitur; modum eſſe plenum ſapientiâ, lumine, & Charitate, ſi tempus detur Animabus, in quo cum humilitate ſentiatur, & deploretur ſtatus peccati: in quo etiam tempore petatur à Deo ſpiritus pœnitentiæ, contritionis, & ſatisfaciendi, ſeu ad minus incipiendi ſatisfacere juſtitiæ Dei, antequam ipſæ Animæ, ab ſtatu peccati Deo reconcilientur per ſacramentalem abſolutionem. Unde præcedens propoſitio ſub his lenimentis errorem extumulat *Petri de Oſma* à Xyſto IV. damnatum, qui contendebat quòd in Sacramento Pœnitentiæ abſolutio à peccatis debeat differri, ac detineri pèr tempus neceſſarium, donec prius ſatisfactio ſacramentalis peragatur, ſaltem ſecundùm partem notabilem. Hæc autem erat Petri de Oſma propoſitio, ut conſtat ex Xyſti Bulla, quæ incipit: Liceat ea. *Non peracta pœnitentiâ, pœnitentes abſolvi non debent.*

Senſus, & error propoſitionis 87.

Petri de Oſma error.

In

2 In idem tendit propoſitio altera, quæ tenet: ignorare quid ſit peccatum, & pœnitentia illius, qui vult ſtatim reſtitui gratiæ per abſolutionem, non antea præmiſſa ſatisfactione; & qui detrectat eſſe ab Eccleſia ſeparatus per tempus ad ſatisfactionem neceſſarium. Hic iterum patet, ut ſæpe diximus, doceri in aliquot præſentium propoſitionum peccatores eſſe ab Eccleſia ſeparatos; ſic enim indicant extrema verba poſtremæ propoſitionis: *Detrectamus ſeparationis iſtius ferre confuſionem.* Ad veritatem rei oſtendendam quærimus: *Utrùm ſatisfactio Sacramentalis debeat præmitti abſolutioni?*

Exponitur propoſitio 88.

3 Ad punctum, in quo verticur omnis in præſenti difficultas, reſpondetur negativé. Eſt Catholica reſolutio; oppoſitum eſt damnatum non à Xyſto IV. ſolùm, ut diximus *num.* 1. ſed etiam ab Alexandro VIII. qui die 7. Decemb. 1690. anathemate fulgurivit ſequentes propoſitiones, quæ inter 31. ſunt 16. *Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni induxit non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti Lex, & præſcriptio, naturâ rei id ipſum quodammodo dictante.* 17. *Per illam praxim mox abſolvendi ordo pœnitentiæ eſt inverſus.* 18. *Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu.* 22. *Sacrilegi ſunt judicandi qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint.* Ideo Romæ die 20. Junij anni 1690. fuit ſuſpenſus uſque ad correctionem liber quidam Joannis Epiſcopi Caſtorienſis, qui relatis propoſitionibus plurimum favebat. Noſtram veritatem docet Catechiſmus Romanus *de Pœnit. Sacram. cap.* 12. *n.* 1. his verbis: *Antiquiſſimæ Eccleſiæ uſu receptum eſt, ut cùm pœnitentes à peccatis ſolvuntur, pœna aliqua eis irrogetur, cujus pœnæ ſolutio ſatisfactio vocari conſuevit.*

Præſentium propoſitionum error prædamnatus eſt.

4 Hæc autem conſuetudo præmittendi abſolutionem ſatisfactioni eſt modus re vera plenus ſapientiâ, lumine, prudentiâ, & Charitate, ut videtur ex ſequentibus fundamentis. *Primum.* Quia ſatisfactio eſt opus, quo homo condigné ſatisfacit Deo pro pœna temporali, peccatis remiſſis in altera vita debita: ut eſt commune Theologorum apud Bellarm. *lib.* 4. *de Pœnitent.* Compton. *tom.* 2. *Theolog. Diſput.* 91. *Sect.* 1. Atqui

Variè oſtenditur abſolutione debere ſatisfactioni antecedere.

qui ad ſatisfactionem de condigno requiritur ſtatus gratiæ; ut patet ex dictis de Merito *cap. 25.* ergo prior eſt ſupponenda abſolutio, & ad gratiam reſtitutio, quàm ſatisfactio. Confirmatur primò; quia ex Divo Thom. Divo Bonavent. quos ſequuntur Ægidius de Sacram. *tom. 2. diſp. 10. n. 22. cum ſequent.* & alij, ex parte perſonæ ſatisfacientis requiritur ut ſit in gratia. Secundò; quia ex Concilio Trident. *ſeſſ. 14. cap. 8.* ſatisfactio debet eſſe actus procedens ex gratia; inquit enim: *Neque verò ita noſtra eſt ſatisfactio hæc, quam pro peccatis noſtris exolvimus, ut non ſit per Chriſtum JESUM; nam qui ex nobis, tanquam ex nobis nihil poſſumus, & cooperante qui nos confortat, omnia poſſumus.* Ergo prævié ad ſatisfactionem neceſſaria eſt reſtitutio ad gratiam per abſolutionem. Tertiò confirmatur; quia ad ſatisfactionem pro pœna requiruntur eædem diſpoſitiones, & conditiones; quæ requiruntur pro merito gratiæ, & gloriæ; una autem ad meritum conditio eſt ſtatus gratiæ, ſeu quòd in Chriſto quis vivat. Hoc totum deducitur ex Concilio citato his verbis: *Omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt, in quo vivimus, in quo movemur, in quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.*

Ex hac doctrina implicat pœnitentia medicinalis.

5 *Secundum* fundamentum eſt: quia ex ſatisfactione prævia neceſſariò ad abſolutionem ſit impoſſibile, & implicatorium, quòd à Confeſſariis injungatur pœnitentibus, tanquam medicinalis pœnitentia, quòd per annum v. g. ſingulis menſibus confiteantur. Non enim poſſet quis eo ipſo in primo Sacramento petere abſolutionem, cùm ſatisfactio non dum eſſet perſoluta. Nec tamen eam poſſet perſolvere; neque enim ad ſequentes confeſſiones poſſet accedere, antequam prima per abſolutionem eſſet perfecta, & conſummata.

Quænam pœnitentia, juxta Sacros Canones, cuilibet peccato mortali injuncta ſit.

6 *Tertium*: quia olim (ut colligitur ex Canonibus pœnitentialibus Decreto Gratiani noſtri adjectis) pro quolibet peccato mortali injungenda erat pœnitentia ſeptennis, jejunando in ſingulis ſeptimanis in pane, & aqua per totum id tempus, diebus Lunæ, Mercurij, & Veneris: cujuſmodi pœnitentiam pro occultis etiam peccatis ſtatuerunt Sanctus Bonifacius, Benedictinus Monachus, & Archiepiſcopus Moguntinus, Sanctus Raymundus, Sanctus Vincentius Ferreyra, Sanctus Bona-

ventura,

ventura, ut teſtatur Vverlenſis *cap.* 2. *art.* 2. quanvis antiquorum Canonum rigor prudenter remiſſus ſit his temporibus, nam, ut ait Sanctus Leo Papa *Epiſt.* 90. *Multa ſunt, quæ pro neceſſitate temporum, aut conſideratione ætatum oportet temperare.* Et noſter Sanctus Gregorius Papa relatus in Decreto Gratiani *diſt.* 29. *c.* 2. *Regulæ SS. Patrum, pro tempore, loco, & perſona, & negotio inſtante neceſſitate traditæ ſunt.* Stante autem priſcis illis temporibus rigore Canonum, aut illa pœnitentia tam longa erat imprudenter, & implicatoriè ſtatuta, aut per totum illud ſeptennium non erant repetendæ confeſſiones, neque adimplendum præceptum Eccleſiaſticum de annua confeſſione. Sit tandem: *Quartum* fundamentum; quia ſi ſatisfactio ſemper eſſet præmittenda abſolutioni, pœnitens ſæpe exponeretur periculo æternæ damnationis; ſi nempe non habens perfectam contritionem ſine abſolutione moriatur. Et præſertim ſtando doctrinâ harum propoſitionum, juxta quam omnia peccatorum opera peccata ſunt; qui non haberet perfectam contritionem, peccaret in ipſo actu ſatisfactionis injunctæ, eam exequendo ante ſuſceptam abſolutionem. Valde periculoſum quòd ſatisfactio ſit præmittenda abſolutioni.

7 Objiciunt adverſæ partis patroni, quos Rigoriſtas nominare ſolent Authores Catholici. Praxis abſolvendi ante peractam ſatisfactionem cœpit invaleſcere in Eccleſia poſt tempora Divi Bernardi, ut docuit Caſtorienſis Epiſcopus ſuprà relatus in ſuo *Amore pœnitente*; nam per duodecim prima retro ſæcula mos fuit in Eccleſia non abſolvendi niſi peracta ſatisfactione, ut viſum fuit Anton. de Dominis, *de Rep. cap.* 7. *à num.* 29. Arnaldo *de freq. Comm. q.* 2. *à cap.* 7. *uſque ad* 19. Gabrieli *in Specimin. p.* 2. §. 35. & aliis Rigoriſtis apud Hilarium à Sancto Sepulchro ſuper propoſitiones damnatas per Alexandrum VIII. ergo dubitandum non eſt quòd ille ſatisfaciendi modus fuerit plenus ſapientiâ, lumine, & Charitate. Reſpondetur negando antecedens; in primis enim certum eſt praxim illam abſolvendi ante ſatisfactionem viguiſſe in Eccleſia per duodecim prima ſæcula præcedentia tempora Divi Bernardi, ut conſtat ex Morino *de adminiſtrat. pœnitentiæ, lib.* 9. *cap.* 14. *num.* 8. Alex. à Sancta Tereſia *in Tempeſt. noviſſ. art.* 15. & 16. Nicolao Du Bois in *Apolog. contra Synodum Racematoriam.* Deinde ſciendum eſt quòd illa abſolutio, quæ, ut dicitur in In Eccleſia ſemper viguit hodierna praxis de abſolutione ante ſatisfactionē.

argumento, non niſi poſt expletam pœnitentiam dabatur, non erat ſacramentalis; ſed tantùm pro foro externo deſtinata, ut per eam fieret notum debitam pœnitentiam fuiſſe expletam, ac inde poſſe, ac debere pœnitentem cum reliquis communicare. Neque enim abſolutio data poſt pœnitentiam eſſe poterat pro foro interno; nam ante hujuſmodi abſolutionem iis, qui publicam pœnitentiam faciebant, Euchariſtia dabatur, ut laté probat citatus Nicolaus Du Bois. Ex dictis autem facilé deducitur has propoſitiones eſſe pluries damnatas; eſſe perniciosas propter periculum, cui pœnitentes exponunt, ut notavimus *num.* 6. præcedenti; eſſe denique temerarias, hoc eſt, contra communem Eccleſiæ ſenſum, & conſenſum.

Exponitur abſolutio deſtinata pro foro externo.

Cenſura hujus propoſitionis.

CAPUT

CAPUT XXXII

Propoſitio LXXXIX. *in proprio ſenſu explicatur, & remiſſivè impugnatur.*

1 QUARTUS *decimus gradus converſionis peccatoris eſt; quòd, cùm ſit jam reconciliatus, habet jus aſſiſtendi Sacrificio Eccleſiæ.* Statuitur in hac propoſitione non poſſe peccatores aſſiſtere Sacrificio Miſſæ, dum lethali aliquo peccato ſorduerint; quapropter aſſeritur quòd, cùm peccator à culpis fuerit abſolutus, Deoque, & Eccleſiæ jam reconciliatus, tunc habebit jus aſſiſtendi Sacrificio Eccleſiæ. Igitur non poteſt quilibet peccator Eccleſiaſtico præcepto de auditione Sacri ſatisfacere, antequam per abſolutionem ſit reconciliatus. Sed quæres: peccet né per tranſgreſſionem hujus præcepti qui lethalibus implicatus jus non habet ſatisfaciendi, neque aſſiſtendi Sacrificio Eccleſiæ? Reſpondent peccare utique; nec mirum: nam etiam ſatisfaciendo peccaret impius; quia ut dicitur propoſitione 38. *Peccator non eſt liber niſi ad malum, ſine gratia liberatoris*; & propoſitione 40. *Sine gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.* Indeque omnia peccatorum opera, peccata cùm ſint eo ipſo, eis non licet aſſiſtere Sacrificio Miſſæ, ne Deum magis offendant per eam actionem, qua ſummo Deo cultum, & reverentiam magis exhibere videntur. Sed hoc fundamentum, ſeu potiùs deliramentum omnino corruit ex noſtris fundamentis, & impugnationibus *cap.* 15. & aliis in locis.

Tenor propoſitionis 89. & ſenſus ejuſdem.

Primum hujus propoſitionis fundamentum.

2 Aliud reſtat inſuper fundamentum ad eandem propoſitionem; videlicet, quòd cùm omnis peccator ſit extra Eccleſiam,

cleſiam, velut hæreticus, aut gentilis, ex quolibet peccato mortali; nullum jus habet, neque habere poteſt, aſſiſtendi Sacrificio Eccleſiæ, ſicut nullum jus ad id habet hæreticus, aut gentilis. Hoc tamen principium eſt omnino falſum, manetque impugnatum, & expugnatum *cap.* 28. Ex prædictis non negamus excommunicatos ab Eccleſia declaratos non habere jus aſſiſtendi Sacrificio Eccleſiæ.

Fundamentum aliud.



CAPUT

CAPUT XXXIII.

Confutatur propoſitio XC.

1 IN hac propoſitione duo veniunt examinanda: primum de errore ſuſpectum; ſecundum autem omnino erroneum,& apertè falſum, aſſeritur enim: *Eccleſia authoritatem habet excommunicandi, ut eam exerceat per primos Paſtores de conſenſu, ſaltem præſumpto, totius corporis.* Quatenus igitur dictum eſt quòd *Eccleſia habet authoritatem excommunicandi, ut eam exerceat per primos Paſtores*; ſi ſenſus fuerit quòd juriſdictio, & poteſtas excommunicandi à Chriſto data ſit immediaté Eccleſiæ, ſeu Chriſtianorum cœtui, non autem perſonaliter Divo Petro, & ejus ſucceſſoribus; falſa erit aſſertio. Si autem ſenſus fuerit, quòd in Eccleſia datur poteſtas, & juriſdictio ferendi excommunicationes, quæ tamen non toti Eccleſiæ, ſeu Chriſtianorum cœtui conveniat, ſed ſolis Paſtoribus, quibus à Chriſto data eſt in perſona Petri; evadit verus iſtiuſmodi ſenſus.

Tenor propoſitionis 90.

Petro,& ſucceſſoribus data eſt à Chriſto poteſtas excómunicandi.

2 Igitur Divus Petrus Eccleſiam perſonabat; data eſt autem Eccleſiæ poteſtas clavium, quia Petro, qui eam figurabat, data fuit in propria perſona, ideſt, ipſi Divo Petro perſonaliter, & ſucceſſoribus ejus. Unde Caietanus in ſuis Opuſculis *tom.1.tract.3.cap.3.§.Ad evidentiā*; ſic inquit: „Conſiderandum eſt unum dici à Sanctis, ſcilicet, Petrum ſignificaſſe Eccleſiam, cùm claves accepit. Duo autem exponi, ſeu deduci: Primum eſt; Eccleſia accepit claves, cùm Petrus claves accepit: Secundum eſt, quòd perſona Petri non accepit claves. Unde dupliciter contingit hic errare, vel negan-

Divus Petrus totius Eccleſiæ figurâ gerebat.

Hæc doctrina traditur à Caietano.

„ do primum, vel affirmando ſecundum. Et negare quidem „ Petrum Eccleſiam ſignificaſſe, eſt contradicere expoſitioni „ Sanctorum. Affirmare autem Eccleſiam ſic accepiſſe cla- „ ves, quod perſona Petri non acceperit, error eſt pluſquam „ hæreticus, quoniam Evangelica per hoc negatur hiſtoria. Præterea; ex eo quòd Petrus habeat juriſdictionem clavium, ſeu juriſdictionem, & authoritatem excommunicandi, (quæ eſt pars clavium poteſtatis) jam poteſt verificari quòd Eccleſia habeat eam authoritatem; quæ enim conveniunt parti, eo ipſo conveniunt toti reſpectivé: ſic enim dicitur haberi piſces in Mundo, quia in aliqua ejus parte, hoc eſt, in mari, habentur; & quòd in homine detur intellectus, ideo verificatur, quia in ejus Anima intellectus eſt; & ſimiliter ſic dicimus quòd in Eccleſia datur gratia juſtificans, quia datur in juſtis, qui ſunt illius pars optima. Eodem modo datur in Eccleſia poteſtas excommunicandi, quia Paſtores Eccleſiæ hanc habent authoritatem.

Prima pars hujus propoſitionis errore non caret.

3 Licét autem ſenſus hujus propoſitionis quo ad primam partem, ut diximus, varié exponi poſſit; tanquam certius judico quòd ibi aſſeratur authoritatem excommunicandi non eſſe à Chriſto datam Paſtoribus, ſed immediatè Chriſtianorum cœtui, ut eam authoritatem exerceat per Paſtores, ſic enim videtur deſumi in toto rigore, & proprietate verborum ex tenore primæ partis ejuſdem propoſitionis, & confirmari ex ſecunda parte, ad quam exponendam accedo.

Præcipuus error hujus propoſitionis, in eo, quòd Eccleſiæ regimen facit populare.

4 In ſecunda parte hujus propoſitionis ſtatuitur Papæ authoritatem, & juriſdictionem pro fulguratione excommunicationum pendere ex conſenſu ſaltem præſumpto totius Eccleſiæ. Præ oculis habe memoratam in præſenti propoſitionem: *Eccleſia authoritatem habet excommunicandi, ut eam exerceat per primos Paſtores, de conſenſu ſaltem præſumpto totius corporis.* Hoc autem eſt aperté erroneum, cùm Eccleſiæ regimen ſanciat Aritocraticum, ſive Democraticum, hoc eſt populare; nõ verò Monarchicum: in quo ſuſcitatur à pulvere tumulatus jam error Zuinglij, Caſtalion, & aliorum, qui contra Concilia, & Patres in populi adulationem docebant Summi Pontificis juriſdictionem, & poteſtatem Eccleſiæ cœtui ſubjici, aut ſubordinari. Pro ſtatuenda Catholica veritate ſit ...

SEC-

SECTIO I.

Summus omnium Paſtor, qui Chriſti Vicarium agit in terris, gaudet juriſdictione, poteſtate, & authoritate immediatè à Chriſto accepta, quæ reliquæ Catholicorum communitati data non eſt, neque illi aliquo modo eſt ſubjecta, ſive ſubordinata.

1 Concluſio in Epigraphe ſic præfixa conſtat ex multis Conciliis, præcipuè Calcedonenſi tempore Sancti Leonis Papæ, & Martiani Imperatoris; Conſtantienſi ſub Martino V. Florentino ſub Eugenio IV. in quibus ſæpe declaratur primi Paſtoris authoritatem Catholicorum communitati non eſſe ſubjectam.

2 Conſtat enim ex SS. PP. nam Cyrillus Alexandrinus *lib. Theſau.* ſic inquit: *Sicut Chriſtus accepit à Patre ſceptrum Eccleſiæ gentium, dux ex Iſrael egrediens, ſuper omnem principatum, & poteſtatem, ſuper omne quodcunque eſt, ut ei cuncta curventur; ſic & Petro, & ejus ſucceſſoribus pleniſſimè commiſit, & nulli alij, quàm Petro, Chriſtus quod ſuum eſt plenum, ſed ipſi ſoli dedit.* In hoc Alexandrini Patriarchæ teſtimonio quamplura nobis traduntur, Catholica doctrinà referta. In primis enim dicitur Chriſtum tradidiſſe Petro, & ejus ſucceſſoribus ſceptrum Eccleſiæ *pleniſſimè*, ſicut ipſe Dominus ſceptrum à Deo Patre acceperat: cúm tamen certum ſit Chriſti ſceptrum, authoritatem, & juriſdictionem à Deo Patre acceptam, nulli hominum, aut eorum communitati fuiſſe ſubordinatam, rectè deducitur neque taliter ſubjectam, aut ſubordinatam eſſe Petri authoritatem, & ſucceſſorum ejus in Eccleſia. Dicitur præterea ab eodem Sancto Doctore Chriſtum Dominum juriſdictionem, & ſceptrum ſuum plenum, atque pleniſſimé commiſiſſe Petro, & ſucceſſoribus ejuſdem: ergo ipſis nullam authoritatem, aut juriſdictionem negavit, ſive diminuit; hæc autem plenitudo poteſtatis ſtare nequit cum illa erga Eccleſiam ſubjectione. Statuitur denique teſtimonio relato Præſulis Alexandrini Chriſti authoritatem nulli alteri à Divo Petro, & ſucceſſoribus eſſe à Chriſto Domino commiſſam: ergo, dempto Petro, & ſucceſſoribus ejus, non eſt in Eccleſia Chriſti ſuprema

Chriſti poteſtas nulli hominum erat ſubordinata.

ma

ma authoritas; quæ proinde nulli alteri debet eſſe ſubjecta, ſed ſupra omnem authoritatem, ut ex aliis adducendis teſtimoniis patebit.

Petri, & ſucceſſorum authoritas abſoluta, independens, & Monarchica.

3 Eadem eſt Divi Auguſtini mens, *lib. Quæſt. veter. & nov. Teſt. q. 75.* dicentis: *Salvator pro ſe, & Petro dare jubet dydrachma, quia ſicut in Salvatore erant omnes cauſæ magiſterij; ita & poſt Salvatorem omnes in Petro continentur, ipſum enim conſtituit caput eorum, ut caput eſſet Dominici gregis.* Accedunt Divus Hilarius *Comment. in Matth. c. 16.* inquiens: *O Beatus Cæli Janitor, cujus arbitrio claves æterni aditûs traduntur, cujus terreſtre judicium, præjudicata authoritas ſit in Cælo, ut quæ in terris aut ligata ſunt, aut ſoluta, ſtatuti ejuſdem conditionem obtineant & in Cælo.* Ubi notanda ſunt illa verba, *cujus arbitrio claves æterni aditûs traduntur*; quæ ſatis probant Eccleſiaſticam authoritatem arbitrio ſolius primi Paſtoris, non alteri judicio, aut conſenſui eſſe ſubjectam. Divus Cyrillus Patriarcha Hieroſolymitanus ex perſona Chriſti loquens ſic dicit Petro: *Tu cum fine, & ego ſine fine, cum omnibus, quos loco tui ponam, plenè, & perfectè, Sacramento, & authoritate, ego ſicut ſum & tecum.* Et ut reliquos Patres omittam, Cyrillum Alexandrinum, quem pro initio propoſui, pro complemento audiamus eodem loco ſuprà citato: *Ipſius Apoſtolici throni Romanorum Pontificum ſolius eſt reprehendere, corrigere, ſtatuere, ſolvere, diſponere, & loco illius ligare, qui illum ædificavit.* Non igitur eſt authoritatis Eccleſiæ quod eſt ſolius Romani Pontificis.

Idem probatur ex Sacro Textu.

4 Nec deeſt comprobatio Sacræ Scripturæ manifeſtè atteſtantis Eccleſiaſticam authoritatem, & juriſdictionem non in multis, vel paucioribus aliquibus, quaſi democraticè, & populariter eſſe conſtitutam; ſed in uno tantùm Principe ſitam eſſe monarchicè abſque aliqua ſubjectione, ſubordinatione, ſive dependentia. Colligitur id ex eo, quòd Chriſtus Eccleſiam ſuam inſtituens, ſupremam, monarchicam, & independentem authoritatem, & juriſdictionem contulit Summo Paſtori; nollens Rempublicam Chriſtianam in terris diſponere ſub regimine populari multorum, aut paucorum; ſed ſub juriſdictione unîus tantùm, Petri ſcilicet, (& ſucceſſorum) cui promiſit ſupremam in Eccleſiâ poteſtatem, *Matthæi 16.* dicens: *Tibi dabo claves Regni Cælorum. Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis; & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum*

& in

& in Cælis. Conſtat autem ex *Joan. ultim.* promiſſionem ſuam ex hibuiſſe Deum, Petro committendo curam omnium ovium ſuarum, quas Petri juriſdictioni ſubjecit his verbis: *Paſce oves meas.* Hic nota; citata Chriſti verba, ſive promittentis, ſive exhibentis juriſdictionem, & authoritatem Eccleſiaſticam, non ad univerſam Eccleſiam, non ad aliquos, ſed ad ſolum Petrum in perſonâ propriâ dicta fuiſſe, ut ſonant illa verba: *Tibi dabo claves, &c. Quodcunque ligaveris; quodcunque ſolveris, &c. Paſce oves, &c.* Unde eſt maximè notandum Chriſtum Dominum, authoritatem ſupremam in Eccleſia, nuſquam toti Eccleſiæ, aut aliquibus ex eà promiſiſſe, ſed ſoli Petro; ut conſtat ex illis *Matth. 16. verbis: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & tibi dabo claves Regni Cælorum, & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis.* Quia igitur authoritas clavium deſumenda eſt à Chriſti inſtitutione, perperam ſtatuitur eam datam eſſe Eccleſiæ, ſeu Chriſtianorum cœtui, ut per primos Paſtores exerceatur; aut Summi Paſtoris authoritatem, Eccleſiæ univerſæ ſubjectam eſſe, cùm neutrum, ex Chriſti inſtitutione conſtet.

Soli Petro (& ſucceſſoribus) in propriâ perſonâ eſt dictum. *Tibi dabo claves, &c.*

5 Rationibus probatur noſtrũ inſtinctũ. *Primò.* Quia Eccleſia non eſt Chriſti authoritatis, & juriſdictionis Vicaria. Neque item Petrus (& ejus ſucceſſores) eſt Vicarius Eccleſiæ, ſed Chriſti in terris Vicarius: ergo Chriſti authoritas ſoli Petro, & ſucceſſoribus data eſt. Antecedens conſtat ex Concilio Lugdunenſi in *cap. Ubi pericul.* de electionibus *lib. 6.* & in capitulo *Quanvis diſt.* 21. Item ex Concilio Florentino ſub Eugenio IV. *Secundò,* quia Petrus, & ejus Succeſſores Chriſti Vicarij plenam accipiunt à JESU Chriſto poteſtatem in terris: ergo talis poteſtas eiſdem data eſt, non reliquæ Eccleſiæ, ut condiſtinctæ à Papa. Iterum ergo authoritas Papæ Eccleſiæ nullo modo ſubjecta eſt; aliter non diceretur plena illa poteſtas, quæ à Chriſto data eſt Papæ, ſed inchoata. Antecedens conſtat ex generali nuper citato Concilio Florentino, ubi in literis unionis Græcorum, Armeniorum, & Jacobitarum cum Eccleſiâ Romanâ habetur hæc verba: *Diffinimus Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanũ Pontificem in univerſum Orbem tenere primatũ. Et ipſum Romanum Pontificem Succeſſorem eſſe B. Principis Apoſtolorum, &*

Eccleſia non eſt Vicaria Chriſti: ſolus Petrus eſt Vicarius Chriſti.

Petrus non eſt Vicarius Eccleſiæ, eſt Chriſti Vicarius.

verum

verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, ac Doctorem exiſtere; & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino noſtro JESU Chriſto plenam poteſtatem, traditam eſſe, quemadmodum etiam in geſtis œcumenicorum Conciliorum, & ſacris Canonibus continetur. Tertiò. Quia Chriſtum decebat, Eccleſiam ſuam ſub perfectiore regimine atque moderatione inſtituere; nullum autem regimen eſt perfectius, quàm imperium unius, omnino independentis ab aliis, vel etiam ab uno altero. Unde Div. Juſtinus Martyr *orat ad Gent.* inquit: *Monarchia ſive unius imperium, peccatum eſſe conſuevit; regimen verò multorum: non bonum ſed bellorum ſeminarium.* Theodoretus *lib. 3. de Angelis:* ſic ait: *Unius Principis poteſtatem, velut rem optimam laudamus.* Div. Thom. *1. p. q. 53. a. 5.* ſic docet: *Optima eſt gubernatio quæ fit per unum; quia gubernatio eſt directio ad finem, unitas autem pertinet ad rationem bonitatis, nam ſicut omnia deſiderant bonitatem, ita & unitatem, ſine quâ eſſe non poſſunt, quia unumquodque in tantum eſt, in quantum unum eſt.* Propriùs autem ad præſentem doctrinam idem Angelicus Doctor *in 4. contra Gentiles cap. 76.* inquiens: *Sic Salvator noſter inſtituit, quia regimen Eccleſiæ eſt optimè ordinatum; optimum autem regimen eſt unius. Quod ex fine regiminis apparet; eſt enim finis pax, quæ in unitate conſiſtit, & conſtat quòd melius eſt cauſa unitatis unus, quàm multi, qui non niſi ut in unum venientes, eam cauſant. Eſt ergo Eccleſiæ regimen inſtitutum, ut unus ſolus præſit Reipublicæ.* Quartò tandem corroboratur; quia poteſtas Summi Paſtoris, neque eis traditur à Concilio aliquo, neque ab Eccleſiâ, ſeu à populo Chriſtiano: ergo non eſt cur dicatur, eſſe totius Eccleſiæ, authoritatem illam, quâ gaudet Sũmi Paſtores; aut eam authoritatẽ, à cõſenſu totius Eccleſiæ pendere, ad proprium munus exercendum.

Imperium Monarchicum, quovis alio regimine, eſt perfectius

Summus Pontifex authoritatem accipit immediatè à Deo, non ab hominibus.

SECTIO II.

Proponuntur, & exploduntur adverſariorum cavillationes.

1 HÆretici (non ſolùm hujus temporis) variè conantur explodere Catholicam veritatem. Primò enim intendunt, quòd Eccleſia per ſe populariter, ſeu democraticè authoritatem habet ſupra Papam, ut ab Eccleſia condiſtinctum, & inde inferunt: ergo ipſa Eccleſia eſt quæ habet autho-

uthoritatem excommunicandi per primos Paſtores. Quapropter, non poſſunt primi Paſtores excommunicare niſi de conſenſu, ſaltem præſumpto, totius Eccleſiæ, tunc enim cenſetur eis datam eſſe authoritatem à tota Eccleſia ad excommunicandum.

Adverſariorum audax inſania.

2 Objiciunt igitur primò ad probationem hujus aſſumpti, acta Concilij Conſtantienſis ſub Joanne XXIII. anno Domini 1415. à quo *Seſſ.*5. die 6. menſis Aprilis ſic ſanctum eſt. *Hæc Sacroſancta Synodus declarat, quòd ipſa in Spiritu Sancto legitimè congregata, Concilium generale faciens, & Eccleſiam Catholicam repræſentans, poteſtatem à Chriſto immediatè habet; cui quilibet cujuſque ſtatûs, vel dignitatis, etiam ſi Papalis exiſtat obedire tenetur in his quæ pertinent ad Fidem, & extirpationem dicti ſchiſmatis, & reformationem dictæ Eccleſiæ, tam in capite quàm in membris.* Et infra: *Item declarat, quòd quicunque cujuſcunque conditionis, ſtatûs, dignitatis, etiam ſi Papalis, qui mandatis, ſtatutis, ſeu ordinationibus aut præceptis hujus Sacræ Synodi, & cujuſcunque alterius Concilii generalis legitimè congregati ſuper præmiſſis, ſeu ad ea pertinentibus factis, vel faciendis, obedire contumaciter contempſerit, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubjiciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia Juris ſubſidia ſi opus fuerit recurrendo.* Ex quibus duo ſunt apertiſſima. Primum; quòd Eccleſia habet immediatè authoritatem, & juriſdictionem à Chriſto datam. Secundum; eam eſſe ſupra Papam.

An Eccleſia habeat authoritatem immediatè a Chriſto datam?

An ipſa Eccceſia, ſeu fidelium cōgregatio ſit ſupra Papam.

3 Hæc videntur eſſe confirmata à Concilio Baſilienſi anno Domini 1431. celebrato ſub Eugenio IV. nam *Seſſione* 2. & 18. reſumpta ſunt hæc Decreta. Deinde in eodem Concilio Conſtantienſi *Seſſione* 8. damnatus fuit hic error Joannis Uvicleff. inter alios ejuſdem authoris, videlicet: *Non eſt de neceſſitate ſalutis credere, Romanam Eccleſiam, eſſe ſupremam inter alias Eccleſias: error; ſi per Romanam Eccleſiam. intelligatur univerſalis Eccleſia, aut Concilium generale, aut pro quanto negare primatum Summi Pontificis ſuper alias Eccleſias particulares.* Ex hàc autem damnatione colligitur, quòd Eccleſia univerſalis, ſeu Concilium generale, eſt ſuperior aliis Eccleſiis particularibus; at verò Summus Pontifex cum Eccleſià Romanà, eſt una particularis Eccleſia, in proprià intelligentià præſentis locutionis: ergo Summus Pontifex eſt inferior Concilio, ſeu univerſali Eccle-

ſiæ. Et oſtenditur, juxta hunc ſenſum, explicandam eſſe intentionem Concilii Conſtantienſis; ipſum enim differentiam agnoſcit inter primatum Concilii, & Summi Pontificis: nam de Concilio, ſeu univerſali Eccleſiâ repræſentatâ in Concilio generali, ſimpliciter dictum eſt, quòd ſit ſuprema inter omnes alias Eccleſias: aſt de Summo Pontifice, quòd primatum tenet reſpectu Eccleſiarum particularium.

4 Ad hanc objectionem, quæ, ut patet, difficultate non caret, primò reſpondendum occurrit ex Caietano *tom.* 1. *tract.* 1. *de comparatione authoritatis Papæ, & Concilij cap.* 8. acta illa Concilii Conſtantienſis, non eſſe authẽticâ authoritaté veri Concilii facta, quoniam celebrata fuere tempore ſchiſmatis, quo in Eccleſia erant tres Papæ, ſcilicet Joannes XXIII. Gregorius XII. & Benedictus XIII. quorum nullus dicto Concilio aderat.

Solutio prima ex Caiet.

5 Si autem dicatur; quòd Martinus V. (aliàs III. propterea dictus V. quia multi Scriptores confundunt in ſerie Pontificum, nomen Martini, & Marini) qui fuit legitimus ſucceſſor Gregorii XII. ſedato ſchiſmate, & Eccleſiâ in pace compoſitâ, approbavit Synodũ Conſtantienſem, & ipſius Decreta, in materiis Fidei: eſſeque materiam Fidei, quòd Eccleſia, ſeu Concilium generale, ſit ſupra Papam, aut é contra. Reſpondendum eſt; dupliciter contingere, aliquid tractari, in materia Fidei; ſcilicet materialiter, aut formaliter. Tunc tractatur formaliter materia Fidei, quando tractatur ut credenda, vel ut damnanda â Fide. Tunc tractatur ſolùm materialiter, quando tractatur res quidem ad Fidem pertinens; ſed non ut credenda; vel, ut damnanda; ſed quàcunque aliâ ratione. Quæ autem tractantur ſolùm materialiter, non ſumuntur pro definitis, ac tenendis ut certis; nam veré definita non ſunt. Igitur Martinus V. approbavit, ea quæ à dicto Concilio definita ſunt, tanquam de fide credenda: qualia fuerunt quædam ſtatuta in materiis Fidei, contra Joannem Uvicleff. in *Seſſ.* 8. & contra Joannem Hus, in *Seſſ.* 15. & contra Hieronymum de Praga, in *Seſſ.* 21. Aſt multa alia fuerũt tractata in eodẽ Concilio, ſed non ut materia Fidei; non enim formaliter ſed materialiter tãtùm ad Fidẽ ſpectabant, quod liquet ex *Seſſionibus* 4. & 5. ejuſdẽ Concilii. Et probatur, quia nulli fuerunt ibi deputati (ut loquitur Caietanus)

Poteſt in Conciliis aliquid tractari in materia Fidei vel materialiter, vel formaliter.

nus) ad videndum de Fide; quin potiùs deputatio in materia fidei cœpit poſtea quam depræſentibus actum eſt, ſcilicet in *ſeſſione 6*. Et tandem circa præſentem materiam, nulla ſit mentio de credendo, vel non credendo; Martinus autem approbavit quæ erant credenda, vel damnanda.

6 Secundò autem reſpondetur: Quòd (ſtante dicto Concilio) verum eſt quòd Eccleſia univerſalis, in Concilio Generali legitimé congregata, authoritatem habe t immediaté a JESU Chriſto; hoc tamen ideo eſt, quia Concilium Generale legitimé congregari nequit, niſi cum authoritate Papali, ſolus enim Papa poteſt Concilium Generale convocare, cui per ſe, vel per Legatos præſidet, ut eſt commune apud Theologos & Canoniſtas. Dicitur ergo, Concilium Generale habere authoritatem immediatè à Chriſto, quia in eo eſt authoritas Papæ, quæ à Chriſto immediatè data eſt, non autém, ex eò quia Concilium ut condiſtinctum à Papa, & excluſivé ab eo, vicibus, & authoritate Chriſti gaudeat, immediaté acceptà, cùm oppoſitum conſtet ex Sacrà Scripturà.

Concilium generale, ut includens authoritatem Papalé, dicitur habere authoritatem immediaté à Chiſto.

7 Ad hunc tamen ſolutione indiget illud in eodem Concilio ſtabilitum, ſcilicet, quòd Papa tenetur obedire dicto Concilio, & quòd, ſi obedire contempſerit, puniendus ſit. Ex quibus facilé deducitur Concilium Generale, ſeu Eccleſiam legitimé congregatam, eſſe Papæ ſuperiorem. Sed eſt reſpondendum, quòd ibi Concilium non eſt intelligendum procedere circa Papam certum, de cujus authoritate, & ſupremà in Eccleſia poteſtate prudenter non dubitetur. Loquitur ergo Concilium de Papa dubio, de cujus ſupremà authoritatate non eſt certitudo. Et certé hoc tantúm videtur pertinere, & ſpectare directé ad illa Decreta Concilii citati, celebrati tempore ſchiſmatis, quando erant in Eccleſià plures Papæ, & nullus pro tunc indubitatus de ſuà electione. Aſt quòd ille Papa, de quo neſcitur, utrùm legitimé ſit electus Papa, debeat, & teneatur tanquam non Papa obedire, docent communiter Theologi cum Caiet. *tom.* 1. *Opuſculorum tract.* 1. *cap.* 8. & ita expedire patet, primò ex intuitu boni communis: ſecundò, à paritate: id enim, quod neſcitur conſecratum, pro non conſecrato habetur, & reconſecratur juxta Sacros Canones, (ut patet extrà de Presbytero non baptizato *cap. Veniens* Et de *Conſecrat, diſt.* 1. *cap.*

Papa de cujus verà electione, & authoritate prudenter non dubitatur, Concilio non eſt ſubjectus, neque illi tenetur obedire.

Papa de cujus electione, & authoritate, non eſt certitudo, tenetur obedire Concilio Generali.

Solemnitates) ſic ſimiliter, &c.

8 Quòd autem præjacta hæc ex Concilio Conſtantienſi, confirmata fuerint à Concilio Baſilienſi, parum, aut nihil refert primò, quia quanvis ſint confirmata, ſic tamen interpretanda ſunt. Secundò quia circa tale Concilium Baſilienſe, duo notari debent. Primum (referente Caietano) quòd, licèt à noſtro Eugenio IV. fuerit approbatum quo ad inchoationem & proſecutionem, & multa pro illo Concilio in Bullis ſuis dixerit, nũquam tamen illius approbavit Decreta, quin potiùs in Concilio Florentino ſtatim diffinivit Romanum Pontificem eſſe caput, Paſtorem, Doctorem, & Rectorem univerſalis Eccleſiæ. Secundùm: (ſic referente Cardinali Turrecremata *lib. 3. de Eccleſia cap.* 100. qui præſens fuit utrique Concilio) quòd multi intervenerunt defectus in Concilio Baſilienſi circa conflationẽ illorum Decretorum. Scilicet; quòd nõn fuerunt unanimiter concluſa, nec cum conſenſu Præſidentium legatorum Papæ, qui talibus intereſſe recuſarunt: nec expectatis oratoribus Angliæ, & Caſtellæ, quos in via noverant conſtitutos: nec auditi ſunt viri multi ſapientes, videntes hæc eſſe contra doctrinam Sanctorum. Sed promulgata ſunt illa decreta ad furorem hoſtium Apoſtolicæ Sedis, cum multitudine populi nullius authoritatis.

Varia obſervãda, & examinãda, circa valorem, & celebrationem Concilii Baſilienſis.

9 Modò reſpondendum eſt ad corroborationem præcedentis argumenti, deductam ex quadam damnatione illius articuli Joannis Vvicleff, facta à Martino V. ut patet ex *num.* 3. præcedenti; in qua damnatione docebatur, quod ſit error, non credere Romanam Eccleſiam, eſſe ſupremam inter alias Eccleſias, ſi per Ramanam Eccleſiam intelligitur Eccleſia univerſalis, vel Concilium univerſale; aut pro quanto negat primatum Summi Pontificis, ſuper particulares Eccleſias. Reſpondetur igitur ex Caietano *tom.* 1. *Opuſc. tract.* 1. *cap.* 9. Quòd quia comparatio eſt inter diverſa, & hæc tria, ſcilicet Eccleſia univerſalis, Concilium univerſale, & Eccleſia Romana, ſingula ſunt quædam corpora myſtica integra conſtantia ex capite, & membris reliquis: & in capite, non ſolùm conveniunt, ſed identificantur (Papa ſiquidem caput proprium univerſalis Eccleſiæ, & Concilij, & Romanæ Eccleſiæ eſt) in membris autem reliquis diſtinguuntur; vel ſicut re-

Solutio ad cõfirmationem num. 3. pro argumento præjacto.

præ-

præſentans, & repræſentatum, ut membra Eccleſiæ, & Concilij; vel ſicut pars, & totum, ſicut membra reliqua Romanæ Eccleſiæ, partes ſunt membrorum reliquorum, Concilij, & Eccleſiæ univerſalis, ut patet: id circo cùm ſit comparatio inter Eccleſiam, ſeu Concilium univerſale, & Eccleſiam Romanam, non ſit comparatio ſecundùm caput, ſed ſecundùm reliqua utriûſque membra: ſecundùm quæ; rectè dicitur, quòd tam Eccleſia, quàm Synodus univerſalis, eſt ſuperior Eccleſiâ Romana, ut ex illo articulo deducitur; unde admiſſio illius comparativè nihil concludit contra Papæ authoritatem.

10 Alio etiam modo intendunt hoſtes veritatis Catholicæ, hanc propoſitionem 90. quam rejecimus, probare; nam ex ſacra Scriptura colligi dicunt, quòd authoritas, & plena jurisdictio Eccleſiaſtica, ſit à Chriſto data non primò Paſtori, ſed univerſo Catholicorum cœtui; hoc eſt Eccleſiæ, ſecundùm totum: non ſecundùm aliquam ejus partem, hoc eſt reſpectivè ad Papam. Quanvis enim à Chriſto ſoli Petro dictum fuerit *Matth.16. Tibi dabo claves Regni Cælorum. Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum, & in Cælis, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis*; & *Joan. ultimo*: *Paſce oves meas*; hoc (inquiunt) dictum fuiſſe Petro, non in propriâ perſona, ſed in figura totius Eccleſiæ, quæ in Petro repræſentabatur. Unde Ad ſacram paginam recurrũt adverſarij.

11 Objiciunt ſecundò; quòd ex Matthæi *capite* 18. ſatis conſtat authoritatem prælatitiam, itemque excommunicandi juriſdictionem à Chriſto datam eſſe Eccleſiaſticæ communitati; ibi enim docetur fratres peccantes, correptionem, & monitionem reſpuentes; ad Eccleſiam deferendos eſſe; quàm ſi non audiant, eo ipſo habeantur pro excommunicatis; imò pro Ethnicis. Deferentur igitur ad Eccleſiam, tanquam ad ſuperiorem, propter authoritatem, quam habet, ſibi datam à Chriſto, in Petro repræſentatæ. Qui autem Eccleſiam audire noluerit, habendus eſt ſicut Ethnicus, hoc eſt, ab Eccleſia ſeparatus, ſupponitur enim quòd Eccleſia ſumpta pro cœtu Catholicorum ad excommunicandum habet poteſtatem. Præſcribitur formula fraternæ correctionis.
Citatus locus Div. Matthæi ſic habet: *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum. Si te*

audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit adhibe tecum adhuc, unum vel duos, ut in ore duorum vel trium teſtium, ſtet omne verbum. Quòd ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ; ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi, ſicut Ethnicus, & publicanus. Et urgent, nam per Eccleſiam hic intelligitur, non Præſul, ſed Fidelium cœtus, & multitudo, ut docent Div. Hieronymus, Div. Anſelmus, apud A Lapide, ac Divus Gregorius Magnus *lib.* 4. *Epiſt.* 38. Magiſque confirmatur; nam ſtatim poſtquam dictum eſt, habendum ſicut Ethnicum, & publicanum, hoc eſt, excommunicandum eſſe, qui Eccleſiam non audierit, ſubjungitur: *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata, & in Cælis, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in Cælis.* Hic autem, ut contextu patet, poteſtas alligandi, atque ſolvendi, pertinet ad Eccleſiam, pro cœtu Fidelium; cui correptus frater audire tenetur ſub anathemate.

12 Reſpondetur cum Div. Joanne Chryſoſtomo, Theophylacto, Euthymio, & aliis abſonam eſſe hanc expoſitionem, & interpretationem, quatenus ex ea intenditur, deferendos eſſe peccatores, & accuſandos apud Eccleſiam, ut ab ea excommunicentur. Nam quando Sancti Patres relati, per ly *dic Eccleſiæ* accipiunt Chriſtianorum cœtum, ſolùm intendunt, quòd Chriſtus hic velit, ut coram fidelium communitate peccator arguatur, ut pudefiat atque emendetur. Nunquam autem ſomniarunt Sancti Patres, fidelium communitatem hebere authoritatem, ut aliquem ſive per ſe, ſive per Paſtores excommunicet. Unde cùm citato Chryſoſtomo, & alijs, intelligimus per Eccleſiam, ejus Prælatos, & Paſtores, qui Eccleſiam ſive ſeorſim, ſive in Synodo, & Concilio repræſentant, ſicut Magiſtratus repræſentat Rempublicam, & Rex regnum repræſentat. Et cõfirmatur ex ipſo cõtextu: quia Chriſtus jubet in præſenti Eccleſiam audiri, ideſt Eccleſiæ obediri à Reo, alioqui hoc ipſo, habendum pro excommunicato, imò pro Ethnico; obedientia autem ſolùm defertur Prælatis Eccleſiæ. Præterea: id quòd additur; *quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata, & in Cælis; &c.* intelligi nequit, niſi de Prælatis, ſolùm enim ſupremo Eccleſiæ Prælato dictum fuerat: *Matth.* 16. *Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum, & in Cælis.*

Peccator correptus, ſi emendatior nõ fiat; quo fine apud Eccleſiam, ſeu Chriſtianorum cœtum, erit accuſandus?

Dic Eccleſiæ ideſt, *Eccleſiæ Prælatis.*

Hi-

13 Hic notandum propono; quòd, licét hucuſque dixerimus excommunicandi authoritatem ſitam eſſe, non in Eccleſia univerſaliter ſumpta pro Fidelium cœtu, ſed in primo Paſtore, non inde negamus inferiores alios Prælatos poteſtatem habere excommunicandi; neque enim locuti ſumus de primo Paſtore, ut condiſtincto à reliquis Paſtoribus; ſed per comparationem, & diſtinctionem à communi corpore Eccleſiæ, ſeorſim à capite. Certum enim eſt Summum Pontificem habere ordinariam poteſtatem excommunicandi, ſibi datam immediaté à Chriſto, ut patet ex illo *Matth.* 16. *Tibi dabo claves Regni Cælorum: quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis.* Aſt non eſt dubitandum ordinariam poteſtatem ferendi cenſuras eſſe quoque penes Epiſcopos omnes habentes juriſdictionem, ut habetur ex Concilio Trident. *Seſſ.* 6. *de Reform.* Hæc autem authoritas, & poteſtas in Epiſcopis eſt de Jure humano, quia immediaté eis impenditur à Summo Pontifice; tamen aliquo modo eſt de Jure Divino, ſaltem radicaliter, ut notant Suar. de *Cenſ. Diſp.*2. *Sect.* 2. Pereyra *tract. de Cenſur. quæſt.* 4. & ratio eſt, quia Chriſtus ſtatuit ut in Eccleſia eſſent Epiſcopi ut Paſtores, juxta illud *ad Epheſ.* 4. *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos::: alios autem Paſtores.* Et *Actor.* 20. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos.* Pertinet autem ad ordinariam poteſtatem Paſtoris authoritas ligandi, & ſeparandi in ordine ad conſervationem gregis in foro interno, & externo, ſine quo grex Domini conſervari nequit. Sunt & alij, quibus competit ordinaria authoritas ferendi excommunicationes, ut Cardinales in propriis Eccleſiis; Superiores Religionum; multi Abbates, Archidiaconi, Archipresbyteri; hæc tamen ad eos pertinent, qui de Cenſuris agunt.

Prælati inferiores habentes etiam excōmunicandi authoritatem.

14 Objiciunt tertiò. Illæ excommunicationes, quæ impoſitæ ſunt per modum legis, ut ſe habent omnes illæ, quæ ſunt de corpore Juris, non obligant, niſi adſit conſenſus, & acceptatio populi: ergo authoritas excommunicandi pendet à conſenſu ſaltem præſumpto corporis Eccleſiæ. Antecedens probatur, quia prædictæ excommunicationes ſunt quædam leges Eccleſiaſticæ pœnales; neceſſarium autem eſt ut lex recepta ſit ad hoc, ut vim habeat obligandi. Ita *Gloſſa in cap.* 1.

Utrùm excōmunicationes à Jure requirant populorum acceptationem?

in verbo Frangere de Treuga, & Pace, & Panormit. *ibi num.*4. & Felin. *in* 6. Sylveſt. *v. Lex*, *q.* 6. *v.* 4. Joan. Dried. *lib.* 1. *de Libert. Chriſti*, *cap.* 9. *Conſ.* 2. Alphonſ. à Caſtro *lib.* 1. *de poteſt. legis pœnalis*, *cap.* 1. Navarr. *in Manual. c.* 23. *n.* 41. Barthol. Ugolin. *de Cenſur. Eccleſ. tabula* 1. *cap.* 9. §. 9. *num.* 1. Sayr. *Clavi Reg. lib.* 3. *c.* 5. Et confirmatur, quia multæ ſunt excommunicationes, quæ vim non habent, quia defuit illis conſenſus, & acceptatio populi. Patet exemplo in excommunicatione contenta in Conſtitutione Clementis VIII. *Religioſæ Congregationis* prohibente Religioſis munerum largitiones, quæ Conſtitutio nunquam obligavit in Hiſpania, ibi enim nunquam fuit recepta, ut tenent Peyrines, Sanches *lib.* 7. *Decalogi cap.* 19. *num.* 42. 100. & 105. Suares Luſitanus de *Pœnitent. tract.* 7. *diſp.* 3. *ſect.* 1. *n.* 416. Sed contra: aliud enim eſt, quòd primus Paſtor non habeat authoritatem excommunicandi, niſi de conſenſu totius Eccleſiæ; & aliud eſt, quòd quidem habeat eam authoritatem abſque depēdentia; ſed excommunicationem ab eo impoſitam non ligare, niſi prævia acceptatione, & conſenſu.

Aliud eſt excommunicationem non obligare ante acceptationem, & aliud eſt authoritatem excommunicandi eſſe dependentem à populi authoritate, & jurisdictione.

15 Hoc ſecundum in Lege Civili plerumque ſemper eſt verum; etenim, ut præfati Authores tradunt, Lex Civilis non promulgatur, niſi ſub conditione ſaltem tacita, ſi ſcilicet à communitate acceptetur: non enim expedit homines ita per poteſtatem humanam gubernari, ut renitentes, atque inviti adigantur lege ad aliquid faciendum, quod alioquin neque lege naturali, neque Divina (ut ſupponi debet) præſtare tenentur. Quanvis à peccato non excuſentur ij, qui nulla juſta ratione ducti adverſùs voluntatem Principis conditoris à principio in cauſa ſunt, nè lex juſta Principis publicam utilitatem ſpectans recipiatur, eique obviam eunt. Sic Fel. *in cap.* 2. *de Treuga, & Pace,* Marcus Anton. *Cucch. lib.* 1. *Inſtit. Maior. tit.* 3. *num.* 34. Neque hoc cuipiam durum, aut abſurdum videri debet, inquit Sayrus citatus, cùm Principis Legis Civilis conditoris poteſtas quodammodo ab arbitrio populi pendere videatur, quandoquidem ſecularis poteſtatis authoritas ipſi Principi, ſeu Magiſtratui à populo delegata ſit ad leges ferendas, quæ ad bonam Reipublicæ moderationem utiles videbuntur adeò, ut leges, quæ ab his Principibus, aut Magiſtratibus

Leges Civiles non obligāt, niſi acceptentur; ſi præcipiant aliquid extra Jus Divinum, aut naturale.

Peccant qui ſine cauſa ſe opponunt Legibus Principum.

tratibus conditæ ſunt, ideo validæ dicendæ ſint, quia ex ipſius populi conſenſu prodiiſſe cenſeantur. Hinc eſt, quòd hoc de ſola poteſtate laica ſit intelligendum, ut docet Alphonſus de Caſtro ſupracitatus, quoniam hæc ſola à populo ſuæ poteſtatis robur accipit. Unde noſter Sayrus in *Clavi Reg. lib.* 3. *cap.* 5. inquit: *Eccleſiaſtica poteſtas, quia non à populo, ſed ab ipſo Deo vim ſuæ poteſtatis habet, ideo etiam ſine populi conſenſu leges condere valet de his rebus, quæ ad finem ultimum conſequendum aut neceſſariæ, aut valde conducibiles eſſent.*

Summus Pontifex poteſt cōdere leges independenter à cōſenſu populi.

16 Hinc ad confirmationes patet ſolutio: nam, ſi aliquæ leges Eccleſiaſticæ ſpirituales, & excommunicationes vigorem non habeant in aliquibus Provinciis, non ideo eſt, quia primo Paſtori deficiat completa, expedita, & nulli ſubjecta authoritas, ſibi ipſi immediaté, & ſoli à Chriſto data; ſed ex eo eſſe dicimus; quia ſupponitur ex parte primi Paſtoris hæc tacita conditio: (*niſi detur aliqua juſta cauſa, quæ ſi prius nota eſſet, lex eadem, aut excommunicatio non poneretur*) tunc enim jam extat, interpretativa ſaltem, voluntas derogatoria legis, ut videri eſt apud Becanum *tract.* 3. *de Legibus, cap.* 6. *de Lege humana, Quæſt.* 8. *num.* 3. ubi citat Panormitanum, Felinum, Innocentium, Oſtienſem, & alios, docentes quòd, quanvis Summus Pontifex obligare poſſit Chriſtianos ad obſervandas leges, quas condidit, & ad acceptandas, non tamen vult eas obligare ante acceptationem. Et ſanè ita cogere poteſt Chriſtianos, (inquiunt citati) quia Pontifex gaudet poteſtate non à populo, ſed à Chriſto ſibi data. Non tamen vult ad vitandas occaſiones peccandi.

Prima ratio cur leges Eccleſiaſticæ aliquando non obligent, niſi acceptētur.

17 Alia etiam ratio poteſt aſſignari, cur aliquando excommunicationes Pontificiæ in aliquibus Provinciis non obligent; ſcilicet quia ibi nunquam habuerunt ſufficientem promulgationem; docent enim aliqui cum noſtro Panormitano Abb. *in cap. Cognoſcentes, num.* 7. *de Conſtit.* Franc. Coſcius Senenſis *in repet. dicti cap. Cognoſcentes, num.* 100. Angelica *in verbo Lex, num.* 13. Caiet. 1. 2. *q.* 90. *art.* 4. & ibi Barthol. Medina *dub.* 1. *poſt concluſionem* 2. *& duob. ultimis.* Ratio eorum eſt; quòd ſtatuta Papalia non ſolùm requirant promulgationem in Curia, ſed etiam in Provinciis, Diœceſibus, & Eccleſiis Cathedralibus. Oppoſitum tamen pluribus placet, exiſtimantibus

Alia ejuſdem ratio; ſcilicet quia non habēt ubique ſufficiētem promulgationem.

tibus Decreta Papalia vim obligandi habere, quàm primùm in Curia Romana publicentur, & in Acie Campi Floræ, & ad valvas Baſilicæ Apoſtolorum Principis affixæ ſint, & in Cancellaria Apoſtolica pro publicatis habeantur, nec neceſſe eſſe ut in ſingulis Provinciis promulgentur, niſi id in Bullis ipſis exprimatur. Sic Joan. Monachus *in Regul. in generali*, *de Regulis Jur. in 6.* Joan. Andr. *ſup. data Sexti*, Panormit. *in cap. Noverit. num.* 3. *de ſent. Excommunicat.* Pau. de Eleazar. *in præm. Clement.* Imo. Toloſan. *quæſt.* 445. *dub.* 2. Gomezius *in Procemio Regul. Cancellar. quæſt.* 2. *ante finem*, Sylveſter *v. Lex*, *q.* 6. *v.* 3. Marcus Antonius Cucchus *lib.* 1. *Inſtit. Maior. tit.* 3. *num.* 19. Gregor. de Valent. *tom.* 2. *diſput.* 7. *q.* 5. *p.* 5. *dub.* 2. Joan. Azor. *parte* 1. *Inſtit. Moral. lib.* 5. *cap.* 3. *dub.* 3. Emmanuel Rodrig. *tom.* 1. *Quæſt. Regul. quæſt.* 6. *art.* 2. *in fine*, Antonius de Burgos *repet. in d. cap. Cognoſcentes*, *num.* 208. citans Archidiacon. in *cap. fin. diſt.* 16.

Quænam promulgatio (juxta plures) ſufficiat, ut leges Papales obligẽt?

18 Quæres: Quænam cenſura ſit aptanda huic impugnatæ propoſitioni? Reſpondeo eam eſſe hæreticam, (& juxta Caietanum in hoc capite ſæpe citatum, eam eſſe pluſquam hæreticam) eſt enim oppoſita ſacræ Scripturæ, ut patet ex dictis *Sect.* 1. *num.* 4. Eſſe quoque temerariam, hoc eſt, contra communem Conciliorum, totius Eccleſiæ, & Sanctorum Patrum doctrinam, ut conſtat ex dictis eadem *Sect.* 1. *per totam*; ac tandem eſſe ſchiſmati faventem: nam ſemel admiſſa doctrinâ hujus propoſitionis, facilis eſt receſſus ab obedientia Prælatorum, eo quòd non illorum ſit, ſed Eccleſiæ excommunicandi authoritas; item quia ex defectu juriſdictionis nullius roboris erunt excommunicationes, quæ non ſint de conſenſu Eccleſiæ explorato, & præſumpto ſaltem. Ac inde Angli, Scoti, Saxonij, & alij hæretici, qui ſe ſe jactant veros Eccleſiæ filios, non conſentientes excommunicationibus, quas in ipſos fert Summus Pontifex, merito eas excommunicationum ſententias pro nullis poterunt habere.

Cenſura hujus propoſitionis.

CAPUT

CAPUT XXXIV.

Exploditur propoſitio XCI.

1 HÆC propoſitio ſic tenet: *Excommunicationis injuſtæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito noſtro; nunquam eximus ab Eccleſia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulſi, quando Deo, JESU Chriſto, atque ipſi Eccleſiæ per Charitatem affixi ſumus.* Contendit igitur excommunicationem injuſtam non eſſe metuendam. Eam neminem impedire à ſacramentorum receptione, contra ſtatutum *in c. Cûm illorum, & c. ſiquem, de ſententia excom.* neque ab activa collatione Sacramentorum, & Miſſæ celebratione, contra *cap. ſi celebret, & cap. Latores de Clerico excom. miniſtr.* neque ab obtinendis Beneficiis Eccleſiaſticis; non obſtante *cap. Paſtoralis de Clerico excommun. miniſt.* eam tandem nullum ab Eccleſia ſeparare, neque à Sanctorum communione. Hæc omnia in gratiam Janſeniſtarum prolata ſunt, né forté in re cenſeantur excommunicati; quippe qui ex ſola ira, indignatione, & nequitia hominum immerito ſunt excommunicationibus fulguriti. Sed falſitas hujus nequiſſimi, temerarij, & hæretici frumenti pro Janſeniſtis evaneſcet *cap. 37.* Ex quibus dubitari non poteſt hanc propoſitionem, quatenus ſtatuit: *Nunquam eximus ab Eccleſia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulſi,* Eccleſiæ, ejus praxi, & Paſtoribus injurioſam eſſe, & contumelioſam. In cæteris autem eſt falſa, erronea, & ſcandaloſa, communem, veram, & ſanam doctrinam omnino evertens. Pro quo

Tenor, & ſenſus propoſitionis 91.

Janſeniſtis favet.

2 Notandum eſt communem doctrinam magnum invenire diſcrimen inter excommunicationem injuſtam, & nullam;

Excommunicatio injuſta, & nulla inter ſe differunt.

lam, ut conſtat ex noſtro Sayro de *Cenſuris, lib.*1. *c.*17. *num.*1. & in ſua *Clavi Regia lib.*3.*cap.*7. Suar. de *Cenſuris diſp.*4.*ſect.*7.*num.*1. & ſic paſſim Doctores. Illa eſt excommunicatio nulla, cui deeſt aliquod eſſentiale juxta regulas Sacrorum Canonum, aut cui deficit aliqua conditio ita neceſſaria ad excommunicationem ferendam, ut abſque illa excommunicatio nequeat ſtare. Unde erit nulla excommunicatio, ſi ſit lata à non habente juriſdictionem, à denuntiato, excommunicato, interdicto; aut ſi ſit poſt legitimam Appellationem. Ita Navar. *cap.*27.*n.*7. Sayrus *lib.*1.*c.*6. Sâ *in Aphoriſmis v. Excommunicatio.* Excommunicatio autem injuſta illa eſt; in cujus ſententia æquitatis, & juſtitiæ Ordo ſervatus non fuit; & hoc ſive tantùm in extrinſecis, & accidentalibus, ſive etiam in eſſentialibus, & intrinſecis, quapropter non ſolùm evadat injuſta, ſed etiam nulla. Unde in excommunicationibus latiùs patet ratio *injuſtæ* excommunicationis, quàm ratio *nullius*: omnis enim excommunicatio nulla eo ipſo eſt injuſta, non tamen omnis injuſta excommunicatio erit nulla, poterit enim habere defectum juſtitiæ in extrinſecis, & accidentalibus tantùm, ut plerumque accidit in excommunicationibus, quæ ex animo tantùm ſunt injuſtæ, de quibus num. 4. & 10.

Quænam ſit excommunicatio nulla?

Quænam excommunicatio injuſta?

Latiùs patet excommunicatio injuſta, quàm nulla.

3 His poſitis, quia præſens propoſitio 91. agit de ſolis excommunicationibus injuſtis, de ipſis quæritur: Utrùm excommunicatio injuſta, eo ipſo ſit nullius efficacitatis, nullius roboris, ac proinde nulla ratione metuenda? Reſolutioni præmitto: ex triplici cauſa, aut ex tribus principiis excommunicationem aliquam dici injuſtam, ut videri eſt apud Sayrum de *Cenſur. lib.* 1. *cap.* 17. ſcilicet ex animo, ex ordine, & ex cauſa: ut colligitur ex *Gloſſ. in ſumma* 11. *q.* 3. *in verbo* ſed ponatur: & *in cap. Sacro in verbo* juſta, *de ſententia excommunicationis*, & latiùs traditur *in cap. Epiſc.*§. *Si ergo* 11.*q.*3. Accedunt Div. Thom. *in addit.* 3.*p.q.* 21. *a.* 4. Alexander de Ales 4.*p. q.* 22. *memb.* 2. *art.* 1. Richard. 4. *d.* 18. *a.* 3. *q.*5. Durandus, Bachon, Paludanus, Gabriel, Hoſtienſis, Aſtenſis, noſter Panormitanus, & alij apud noſtrum Sayrum de *Cenſuris, lib.* 1. *c.* 17. *n.* 1.

An omnis excommunicatio injuſta ſit nulla, & non metuenda?

Excõmunicatio tribus modis poteſt eſſe injuſta.

4 Excõmunicatio injuſta ex animo eſt illa, quæ, & ſi fundetur in vera, & rationabili cauſa, attamen promulgatur non ex zelo

Excommunicatio injuſta ex animo.

zelo juſtitiæ; ſed ex odio, indignatione, invidia, vel iniquo ſimili altero principio: *arg. c. Illo* 11. *q.* 3. *& c. Cùm medicinalis de ſententia excommunicat. lib.* 6. Illa eſt excommunicatio injuſta ex ordine, quæ habet veram, & rationabilem cauſam; ut fit quando excommunicationem proferens movetur ex Charitate, & zelo; non tamen ſervatur ordo traditus à Sacris Canonibus ad ſententiam excommunicationis; ut ſi v. g. excommunicationem non præceſſit monitio Canonica, vel ſi non fuit facta coram perſonis idoneis, per quas ſi opus fuerit poſſit probari. *Cap. Sacrum, c. Statutum de ſententia excommunicationis, lib.* 6. Injuſta excommunicatio ex cauſa eſt illa, ad cujus ſententiam non exhibetur cauſa. Vel ſi aliqua aſſignatur, non eſt vera; vel ſi eſt vera, eſt inſufficiens, aut quia eſt valde levis, ac ideo indigna tali pœnâ, Suar. *de Cenſur. diſp.* 18. *ſ.* 3. aut quia cauſa, ſive delictum fuit in re difficillima ad exequendum; habetur enim in Jure pro impoſſibili: Sá in *Aphoriſmis v. Excommunicatio, num.*18. vel tandem quia non fuit recté probata: *arg. c. Sacro de ſentent. excommun.* & ibi *Gloſſ. in verbo* rationabili, & facit *cap. Nemo* 2. *q.* 1. *& cap. Ut debitas de Appellat.* Excommunicatio his cauſis injuſta dicitur injuſta ex parte excommunicationis, & excommunicantis. Poteſt tamen eſſe injuſta ex parte excommunitati, ut ſi quis excommunicetur pro falſo crimine ſibi imputato, & in Judicio ſatis probato: tunc enim excommunicatus eſt innocens, ac ideo injuſté excommunicatus: Judex tamen recté, & juſté illum excommunicavit ſecundùm allegata, & probata: quia per teſtes inventus eſt nocens.

Injuſta ex ordine.

Injuſta ex cauſa.

Excommunicatio injuſta ex parte excommunicantis, & excommunicationis, vel ex parte excommunicati.

Quæſtionis Reſolutio.

5 NEque omnis excommunicatio injuſta eſt eo ipſo contemnenda, ſeu non metuenda, irrita, & nullius effectùs. In primis enim excommunicatio injuſta ex animo ſemper eſt valida, tam in foro interno, quàm in foro externo, ſi habeat alias ſolemnitates eſſentialiter requiſitas, & indiſpenſabiliter neceſſarias. Ita Divo Thom. *in addit.* 3. *q.*21. *a.* 4. Div. Antonin. 3. *p. tit.* 24. *c.* 73. Tabien. *v. Excommunicatio* 2. §.10. Martinus Ledeſm. 2. 4. *q.*23. *a.* 4. Sotus 4. *diſt.* 22.

Neque omnis excommunicatio injuſta eſt nulla.

q. 1.

q. 1. *a.* 3. Covarr. *in cap. Alma mater.* 1. *p.* §. 7. Henriq. *lib.* 13. *de Excom. c.* 15. Hug. de *Cenſur. Eccleſ.* Sayrus de *Cenſur. lib.* 1. *c.* 17. & omnes alij Doctores citati *num.* 3. *præcedenti.* Probatur primò; quia, ut ſupponitur, reliquæ cauſæ neceſſariæ ad excommunicationem ponendam omnes concurrunt: aliás talis excommunicatio non diceretur ſolùm ex animo injuſta; atqui poſitis omnibus cauſis requiſitis, neceſſariò intelligitur effectus in actu poſitus: ergo. Probatur ſecundò; quia ſi hic deficeret excommunicatio, eſſet ex defectu ſe habente ex parte cauſæ efficientis, in qua invenitur odium, ira, indignatio, aut alia non diſſimilis paſſio; ſed hoc non obſtat virtuti, & efficacitati cauſæ activæ, ſive efficientis ejus excommunicationis: ergo. Probatur minor: quia cauſa effectiva excommunicationis conſtituitur talis per ſolam juriſdictionem; hæc tamen non deperditur per iram, odium, indignationem, &c. Quanvis ergo peccet Judex ita excommunicando, ac inde excommunicatio ſit injuſta, ea tamen excommunicatione ligatur excommunicatus, quia peccatum, & iniqua intentio Judicis; non tollit virtutem ſententiæ: imò neque ejuſdem ſententiæ juſtitiam, quia ibi injuſtitia eſt tantùm ex parte Judicis, non ex parte excommunicationis; quia ut ſupponitur datur vera culpa, ob quam Reus ſit dignus pœná excommunicationis; hæc autem, quia in cæteris non deficit, valida eſt.

Excommunicatio injuſta ex defectu ordinis aliquando eſt nulla.

6 Excommunicatio injuſta ex defectu ordinis, in ea quippe non fuit ſervatus ordo Juris, aliquando eſt irrita, & nulla, ut ſi aliquis excommunicetur excommunicatione particulari, quin præcedat monitio; ut tenent Doctores communiter cum Sá *in Aphoriſm. v. Excommunicatio, num.* 9. & ibi citatis Vival. Sayr. Cova. Sot. Ratio eſt, quia nemo poteſt excommunicari, niſi ob contumaciam, & inobedientiam; non autem videtur inobediens, & contumax qui admonitus priùs non fuit, ut à culpa deſiſtat. Multoties autem ſine prævia monitione excommunicatio eſt valida, ut docet Sayrus *de Cenſuris, lib.* 1. *c.* 17. *n.* 6. Sunt enim aliquot exceptiones, in quibus excommunicatio tenet, abſque admonitione præmiſſa. Prima eſt: quando Judex præcipit ſub excommunicatione latæ ſententiæ, tunc enim non requiritur alia monitio, quia jam datur annexa contumacia. Ita Joan. de Lignano *tract. de Cenſur.* Angel. *v. Ex-*

commu-

communicatio 1. *num.* 1. Henriq. *lib.* 13. *de Excommunicat. c.* 17. §. 3. Secunda: quando Reus ſe abſcondit, tunc enim ſatis eſt, ſi monitio fiat ad ipſius domum, dummodo conſtet Reum ſe abſcondere, ut fugiat monitionem. Innoc. *in cap. finali, num.* 3. *de eo, qui mittitur in poſſeſſ.* & facit textus *in cap.* 1. *Qui matrimon. accuſ. poſſunt.* Rota *Deciſ.* 11. *de dolo, & contum.* Tertia; quando Reus jam ſemel fuit perſonaliter citatus; tunc enim reliquæ citationes fieri poſſunt ad domum: ex Felino in *cap. Cùm ſit Romana, n.* 14. *de Appellatione*, Rota *Deciſ.* 399. *in noviſ.* Covarr. Hugolin. & alij cum Sayr. *de Cenſ. lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 13.

Utrùm ſit valida excommunicatio injuſta ex defectu cauſæ; ut cùm innocens propter crimen ei impoſitum, & falſò probatū excōmunicatur?

7 ☞ Sententia excommunicationis injuſta ex defectu cauſæ; quia ſcilicet cauſa aut nulla eſt, aut non æquè, & legitimè probata, ſed falſò tantùm probata, per iniquos teſtes, impiè, ac doloſè per jurantes; ut cùm innocens ſecundùm allegata, & probata judicatur nocens, & pœnâ excommunicatione dignus; tunc eſt valde dubium, & controverſum; utrùm præfata ſententia excommunicationis injuſtæ ſit valida, nec nè? Canoniſtæ affirmant eſſe validam; & ſic injuſtè excommunicatum debere ad ſuperiorem recurrere pro abſolutione, né videatur contemnere ſententiam Eccleſiaſticam. Ita Gratian. & Gloſſ. *in c. Sacro, & in c. Per tuas de Sentent. excomm.* Joan. Cald. *in Repet. in c. Ab excommunicato, num.* 15. Panormit. ibi: *num.* 10. *de Reſcript.* Hoſt. *lib.* 5. *tit. de ſent. excom. num.* 11. *v. Quis ſit ejus effectus*, Summa Altienſ. 2. *p. lib.* 7. *tit.* 8. *a.* 2. Angelica *in v. Excommunicatio*, 1. §. 18. Navar. *in Manual. c.* 27. *num.* 3. & alij quibus accedunt nonnulli etiam Theologi, ut Alelexander de Ales 4. *p. ſum. q.* 22. *memb.* 2. *a.* 2. Durand. *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 4. *n.* 6. & cum illis Richardus, Gabriel, Joannes de Bachonis, & Paludanus. Communior autem apud Theologos ſententia in præſenti docet hanc excommunicationem eſſe abſolutè nullam in foro interno, & in foro externo etiam nullam, præciſo tamen ſcandalo; eſtque verior, & omnino tenenda reſolutio, ſtando principiis Theologicis. Ratio eſt, quia Theologi magis attendunt ad ſtatum conſcientiæ; cùm igitur Reus ſit intrinſecè, & verè innocens coram Deo, pœna, & ſententia eſt intrinſecè, & abſolutè injuſta, indebita, & coram Deo nulla. Confirmatur: quia non eſt dicendum quòd Prælatus,

Quid reſpondeât Canoniſtæ

Theologorum ſententia.

aut Judex velit, & intendat excommunicare, & ſeparare ab Eccleſiæ communicatione aliquem innocentem: ergo in tali excommunicationis ſententia ſemper eſt ſubintelligenda iſta conditionalis; ſcilicet ſi Reus veré eſt nocens. Imò dicendum non eſt poſſe Judicem excommunicare juſtum, & innocentem quà talem; atqui prædictus Reus in foro interno eſt innocens, imò, & in foro externo, præciſo ſcandalo: ergo. Videatur Caietan. 2.2.*q.* 70. *art.*4. *ad ſecundum*;& *in Opuſculis tom.*1. *tract.* 19. Sotus *relect. de tegend. ſecret. memb.*3. *q.*1. *Conc.*4. & *in* 4. *diſt.* 22. *q.* 1. *art.* 3. *Conc.* 4. Ledeſma, uterque Medina, Corduba *lib.* 7. *q.* 43. Gregor. de Valent. *diſt.* 7. *q.* 17. *p.* 3. *t.* 4. Sà in *v. Excommunicatio*, *n.* 4. & innumeri alij; quibus addendus eſt ex Canoniſtis Navarrus apud Sà loco citato.

8 Hic tamen cum Sayro de *Cenſuris lib.*1. *cap.*17. duo ſunt valde notanda. *Primum* eſt; quòd ſi cauſa ad excommunicationem non fuerit abſolutè juſta, fuerit tamen ſaltem dubia; quatenus ſcilicet dubitetur, utrùm talis cauſa ſit juſta, aut non? Tunc dicendum eſt quòd ſententia excommunicationis ligat, & Reus debet ſe gerere tanquam excommunicatum; ſi forté illa excommunicationis ſententia non contineat alium manifeſtum, & intolerabilem errorem. Ita ſupponitur neceſſariò à Canoniſtis: expreſſé autem docetur à Theologis communiter. Videatur Sotus *in* 4. *diſt.* 22. *q.* 1. *a.*3. *Conc.* 2. Henriques, & alij; hujus ratio eſt, quia, cùm homo in cauſa propria Judex eſſe nec debeat, nec poſſit, in eo dubio debet ſtare pro ſententia Judicis, præſertim cùm ita deceat rationem ſubditi, & ſtatum ſuperioris.

Valida eſt excommunicatiō, quādo cauſa ad eam eſt dubia.

9 *Secundum* eſt; quòd injuſté excommunicatus, & innocens, ut nocens tamen repertus juxta allegata, & probata, quanvis in conſcientia, & in foro interno excommunicatus non ſit, debet in foro externo ſe gerere tanquam excommunicatum: primò ad vitandum ſcandalum; ſecundò né videatur cenſuram Eccleſiaſticam contemnere. Ita Navarr. *cap.*27. *num.* 3. Caiet. 2.2. *q.*70. *art.*4. *ad* 2. Ledeſma de *Matrim. quæſt.* 55. *a.* 11. Greg. de Val. *diſt.*7. *q.* 17. *p.*3. *t.* 4. Aliàs ſubjicietur pœnis ſtatutis contra excommunicatos non ſervantes cenſuras. Covarr. *in cap. Alma mater*, 1. *p.* §. 7. *n.* 7. Panorm. *in cap. Per tuas*, *n.* 3. *de ſent. excommunicationis*, & alij.

Innocens injuſté excōmunicatus debet ſe gerere in forò externo, tanquam excommunicatum.

Eſt

10 Eſt igitur colligendum ex dictis excommunicationes injuſtas eſſe metuendas; plures enim ſunt excommunicationes injuſtæ, ac validæ, ut ſe habent omnes illæ, quæ ex animo injuſtæ ſunt; quæ autem in foro interno ſunt invalidæ, quia injuſtæ ſunt; quæ autem in foro interno ſunt invalidæ, quia abſolutio impetretur, aut conſtet de nullitate, & habeantur communiter pro nullis in foro externo; ſic enim eſt communis doctrina apud Sà, & Valentiam. Tandemque magni eſt faciendum illud Div. Gregorij Papæ, Magnique Eccleſiæ Doctoris Axioma *Hom.* 26. *in Evang.* quod etiam refertur à noſtro Gratiano 11. *q*,3- *cap.*1. *Sententia Paſtoris, ſive juſta, ſive injuſta, timenda eſt.*

Excõmunicatio injuſta ſemper eſt timenda, & in foro externo ſemper obſervanda.

CAPUT XXXV.

Propoſitiones 92. & 93. explicantur, & refutantur.

EXPLICANTUR, ET REFUTANTUR *ſequentes duæ propoſitiones.*

1 EXPLICANDA, ac refutanda ſequitur propoſitio XCII. cujus tenor hic eſt: *Pati potiùs in pace excommunicationem, & anathema injuſtum, quàm prodere veritatem, eſt imitari Sãctum Paulum: tantùm abeſt ut ſit erigere ſe contra authoritatem, aut ſcindere unitatem.* Circa præſentem articulum notandum: quòd ſi in ſenſu metaphyſico, & meré ſpeculativa diſputatione procedatur, facta quadam hypotheſi, vel quadam ſuppoſitione admiſſa, nobis erit potiùs eligendum excommunicationem injuſtam, hoc eſt, ſine cauſa, pati, quàm prodere veritatem. Potiùs enim deteſtandum, ac timendum eſt cuilibet à veritate Catholica, & ſana Eccleſiæ doctrina deviare, quàm propter iſtiuſmodi veritatis firmam confeſſionem injuſté excommunicari. Ratio eſt primò: quia talis excommunicatio eo ipſo eſt nulla, ut conſtat ex præcedente *cap. num.* 7. Secundò; quia proditio veritatis præfatæ eſt peccaminoſa ex ſe, gratiæ ſanctificanti omnino oppoſita: aſt ea excommunicatio nec gratiam deſtruit, neque nos â Deo ſejungit.

Senſus propoſitionis 92.

Adverſarij, quãtum adhæreant præſentiũ propoſitionum, & janſenianæ ſectæ erroribus.

2 Conſtat autem quòd propoſitio 92. non procedat in eo ſenſu, in quo facta ſuppoſitione, unum è duobus foret eligendum, injuſta ſcilicet excommunicatio, vel proditio veritatis; procedit igitur propoſitio in ſenſu longè alio. Pro quo ſciendum eſt quòd Authores præſentium propoſitionum ipſarum erro-

erroribus, & Janſenianæ ſectæ ita hærent, ut eoſdem pro veriſſimis, infallibilibus, ſanis, & omnino certis conſtanter teneant; adeòque oppoſitam S. Matris Eccleſiæ doctrinam, præfatas propoſitiones, & Janſenij ſectam damnantem, omnino falſam dicant, & Catholicæ veritati oppoſitam judicent. Quapropter, ut ab his erroribus, ac deliramentis diſcedant illorum peſſimi magiſtri, pietas S. Matris Eccleſiæ, & zelus Summorum Pontificum eos errores, & eoſdem approbantes, tenentes, ac defendentes, damnavit, & anathematizavit. Tanta autem eſt Janſeniſtarum, & Novatorum contumacia, ut potiùs velint excommunicationum ictibus vulnerari, quàm à falſis ſuis dogmatibus deviare: id enim eſſe dicunt à veritate diſcedere, ſeu prodere veritatem. Hoc autem eſt abſurdum, temerarium, impium, & ſcandaloſum; id enim, quod à Sancta Matre Eccleſia in re dogmatica ſanctum eſt, verum, & infallibile eſt, ac tanquam indubitabile tenendum, ut videri eſt in *Procem. numero 2. & ſequent.* itemque *numero vigeſimo, & ſequenti.*

3 His expoſitis, pro refellenda hac propoſitione 92. poſſet excitari quæſtio: Qualis nam ſit vera, tenenda, & ſana doctrina? Ea, quæ traditur à Janſeniſtis in quinque famoſis propoſitionibus damnatis per ſanctiſſimos DD. NN. Innocentium X. & Alexandrum VII. & quæ etiam continetur in propoſitionibus recenter damnatis per Bullam *Unigenitus*; an potiùs ea, quæ nobis eſt inſpirata à Sancta Sede Apoſtolica in Bullis, quæ damnant præfatas propoſitiones tanquam hæreticas, hæreſi proximas, ſcandaloſas, impias, erroneas, falſas, &c. Abſit, quòd iterum examinemus quæ luce meridiana clariora ſunt. Quis Catholicorum, quis ſanæ mentis veram dicet doctrinam, quam damnavit Eccleſia Sancta, & Catholica, ab Spiritu Sancto edocta, & illuminata, Eccleſiarum omnium Mater, & Magiſtra?

4 Janſeniſtæ, & Novatores potiùs eligentes excommunicationem ſuſtinere, quàm reſipiſcere à ſuis falſis doctrinis (quas tamen veritates appellant) ſtatuũt hoc eſſe imitari Sanctum Paulum, qui, ut conſtat ex *Epiſt. ad Rom. c. 9. v. 3.* de ſe ipſo inquit: *Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.* Aſt perperam, & abſque fundamento deducitur præ- Quidam locus ex Epiſt. ad Rom. c. 9. explicatur.

 ſens

ſens propoſitio ex verbis Apoſtoli, quæ nullatenus talem patiuntur expoſitionem. Ad veram interpretationem ſciendum eſt *anathema* ſignificare (juxta Budæum) ſeparationem, ſucciſionem, exitium æternum, & extremum. Unde Syrus pro *anathema* vertit *cherma*, & in Hebræo habetur *cherem*, quæ omnia eandem habent ſignificationem, quam dedimus ex Budæo. Significat ergo Paulus ſe optaſſe æternam ſeparationem a Beatitudine, & futura gloria cum Chriſto, ut Judæi ſalvi facti eſſent. Sic enim legimus in *Exod.* 32. *v.* 31. pro Judæorum ſalute, Moyſen in hunc modum Deo fuiſſe locutum: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Quæ quidem optio, cæcæ charitatis exceſſui tribuenda eſt. Hanc autem eſſe veriorem loci illius ad Romanos intelligentiam, conſtat ex Theodoret. Oecumen. Anſelmo Theophyl. Catharin. Chryſoſt. Caſſian. & aliis. Et quanvis alij aliter interpretentur Divi Pauli mentem; nullus invenitur, qui huic impugnatæ propoſitioni favere videantur.

PROPOSITIO XCIII.

JESUS quandoque ſanat vulnera, quæ præceps primorum Paſtorum feſtinatio infligit, ſine ipſius mandato. JESUS reſtituit quod ipſi inconſideratio zelo reſcindunt.

Senſus, & cenſuræ iſtius propoſitionis.

5 SEnſus iſtius propoſitionis eſt, per ſe apertiſſimus, & ex dicendis amplius conſtabit. Ea propoſitio in primis eſt ſcandaloſa, injurioſa, & contumelioſa in Summos Pontifices, primos totius gregis Dominici Paſtores venerandos: quia Romanos Pontifices fidelibus, & infidelibus facit exoſos; inquit enim eos aliquando feſtinando, præcipitanter, & imprudenter ab Eccleſia ſeparare, & excommunicare bonos, & Eccleſiæ filios non degeneres.

6 Eſt etiam propoſitio relata falſa, & hæretica, ad minus hæreſi proxima; addit enim Chriſtum JESUM non ſtare pro ſententia Summi Pontificis (ex feſtinatione, ut ipſi inquiũt) excommunicantis, & ab Eccleſia aliquos ſeparantis. Ratio

iſtius notæ, ſive cenſuræ probatur. Nam ex eo quòd aſſeratur dari de facto aliquem per Summum Pontificem excommunicatione ligatum in terris, non autem ligatum & in Cælis, contradicitur Evangelio *Matth.* 16. *verſ.* 19. ubi Chriſtus Dominus Petro, & ſucceſſoribus ejus ſic inquit: *Tibi dabo claves Regni Cælorum, & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum, & in Cælis.* Vel ergo dicendum cum Evangeliſta, ligatum eſſe in Cælis, quem Chriſti Vicarius in terris ligavit; vel tenendum ad mentem hujus propoſitionis Chriſtum ſanare vulnera, quæ infligit primus Paſtor: & reſtituere de Cælo, quod Summus Pontifex reſcindit in terris. Si hoc ultimũ eligas, à Sacræ Scripturæ veritate devias: *Crede ergo Evangeliſtæ*; ut clamat Auguſtinus *tract.* 1. *in Joan.* circa medium.

7 Scio intentum hujus propoſitionis eſſe ad probandum Janſeniſtarum doctrinam immerito à Sede Apoſtolica damnatam, ipſoſque Janſenianos ex feſtinatione, & inconſiderato zelo Summorum Pontificum fuiſſe anathematizatos. Sed contra: nam in primis capite ſequenti demonſtrabimus quàm juſté Janſeniana doctrina fuerit proſcripta. Deinde dici nequit quòd ſancta Sedes feſtinanter procedat in damnandis erroribus, & hæreticis excommunicandis. Nam ex Bulla ſanctiſſimi Domini noſtri Clementis XI. quæ incipit *Paſtoralis* adversùs eos, qui, præſenti Conſtitutioni Unigenitus debitam obedientiam præſtare recuſarunt, vel recuſaverint, (quam relatam Bullam *Paſtoralis* ad finem hujus operis apponemus) ſatis conſtat, quæ, & quanta in hoc graviſſimo, arduoque negotio damnandi præſentes propoſitiones, & earum authores excommunicandi, egerit Summus Pontifex per plures annos; Divino nanque in primis implorato auxilio, curà omni, ſtudio, ac labore, prout rei gravitas expoſcebat, diutiſſimé collatis: Theologorum examine, & eorum de hac re diſputationibus præmiſſis: cæteras etiam quaſcunque potuit Apoſtolicæ ſolicitudinis partes, interponere non prætermiſit. Non minor fuit cura, & diligentia, quam præmiſit felicis recordationis Alexander VII. pro damnandis quinque Janſenij famoſis propoſitionibus; adhibitis enim coram Eminentiſſimis Dominis Cardinalibus Inquiſitoribus, & coram ſe eruditiſſimis Theologis, (imò; & quendam Abbatem de la Lana,

Scopus hujus propoſitionis.

Cura, ſtudium, & labor Sũmorum Pontificũ, antequam ad propoſitionum damnationem ventum ſit.

Lana; aliofque Janſenianæ doctrinæ fautores orantes admiſit (eorum vota non ſolùm in diſputationibus audivit, ſed etiam in ſcriptis redacta magna patientiâ, ſtudio, ac diligentiâ illa perſcrutatus fuit; ut tandem afflante Spiritu Sancto, in Pervigilio Pentecoſtes ad condemnationem deveniret. Vide Cardinalem Albitium, teſtem oculatum, in *lib. de Inconſtantia Fidei, cap. 3. n. 26.*



CAPUT

CAPUT XXXVI.

Diſcutitur propoſitio XXXCIV. & refellitur.

1 HÆc propoſitio ſic tenet: *Nihil peiorem de Eccleſia opinionem ingerit inimicis ejus, quàm videre illic dominatum exerceri ſupra Fidem Fidelium, & foveri diviſiones propter res, quæ nec Fidem lædunt, nec mores.* Duo ibi continentur æquè abſurda; cùm enim dicitur in Eccleſia exerceri dominatum ſupra Fidem in rebus, quæ ad eam, aut ad mores non pertinent, parvi fit authoritas Summi Pontificis in definiendis rebus, quæ ad Fidei puritatem, & morum compoſitionem ſpectant: procedit enim relata propoſitio 94. quaſi non ſit in Eccleſia aliqua viva regula credendi veritatem, & mores componendi; ſed ſola voluntas hominum jubentium credere quod eis libuerit ſive verum, ſive falſum. Hic error ſequenti concluſione eſt corrigendus.

Propoſitio 94. & ejuſdem expoſitio.

Abſurdũ primũ in hac propoſitione contentum.

Summus Pontifex in definiendis quæ credenda ſunt, habendus eſt tanquam viva Regula Fidei, & credendorum, non prout ei libeat ex cæca voluntate, ſed prout Spiritu Sancto (cujus afflatu in his gaudet) illi inſpirante judicat. Sicut etiam definiendo quæ circa mores tenenda ſint, nequit errare.

2 DUm autem dicitur in eadem propoſitione dominatum illum ſupra Chriſtianorum Fidem exerceri circa *res, quæ nec Fidem lædunt, nec mores*; intelligunt adverſarij quinque famoſas Janſenij propoſitiones à Sancta Sede Apoſtolica damnatas in proprio ſenſu, neque Fidem lædere, neque

Secundum abſurdum, quod in eadem propoſitione invenitur.

neque mores. Hoc erit ſimiliter caſtigandũ concluſione ſequẽti;

Quinque Janſenianæ propoſitiones damnatæ, juxta proprium ſenſum, tum Fidei, tum moribus opponuntur.

3 PRobatur prima concluſio, & quo ad primam partem conſtat ex variis promiſſionibus in ſacris Literis Petro, & ejus ſucceſſoribus à Chriſto factis. Legitur enim *Luc.* 22. *v.* 32. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Et apud *Matth.* 16. 18. ſic habetur: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferi non prævalebunt adverſùs eam.* Forma autem conſtitutiva Eccleſiæ Fides eſt, ut diximus *cap.* 28. *ſ.* 2. hæc autem in Petro, & ſucceſſoribus ita fundata, & ſtabilita eſt, ut portæ inferi adverſùs eam non poſſint prævalere; quia in Fide neque Petrus, neque ejus ſucceſſores errare poterunt; ex ſpeciali providentia, & manutenentia Spiritûs Sancti. Unde *Joan.* 14. *v.* 17. ita dicitur: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclytum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum: Spiritum veritatis, quem Mundus capere non poteſt: vos autem cognoſcetis, quia apud vos manebit.* Hæc autem aſſiſtentia Spiritûs Sancti in rebus Fidei definiendis, ex eo quòd Eccleſiæ fuerit promiſſa, Summo Pontifici promiſſa eſt; ipſe enim eſt qui aut per ſe ſolum, aut in Conciliis generalibus ejuſdem poteſtate congregatis, authoritatem habet definiendi, & ſtatuendi quæ fide tenenda ſunt. Hinc eſt quòd in Concilio Florentino in Decreto Eugenij definitur *Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem eſſe caput totius Eccleſiæ, & omnium Chriſtianorum Patrem, & Doctorem.*

Summus Pontifex eſt regula infallibilis credendorum.

4 Quòd autem etiam infallibili veritate gaudeat Summus Pontifex ab Spiritu Sancto, in reſolvendis controverſiis, & dubiis, quæ pertinent ad morum inſtructionem, quotieſcunque de Cathedra ea definit, ut totius Eccleſiæ caput, Pater, & Doctor, conſtat ex Scriptura etiam. Nam ex eo quòd *Matth.* 16. 18. Petro, & ſucceſſoribus ejus promiſſæ fuerint claves Regni Cælorum: *Tibi dabo claves Regni Cælorum,* conſtat quòd per claves denotetur facultas patefaciendi Cæleſte Regnum Fidelibus, ut vel hæretici fatentur apud noſtrum Peres in *Pen-*

tateuc,

tateuc. volum. 5. *dub.* 5. *c.* 3. *num.* 56. Certum tamen eſt quòd Summus Pontifex januas Regni Cælorum,& viam ad illas non ſolùm aperit, oſtendendo Fidelibus quæ credenda ſunt, quæ ve deteſtanda; ſed etiam docendo quæ pro moribus rectè componendis ſectari poſſint; & quæ fugere teneantur, ut Cælum valeant poſſidere: ſiquidem *coinquinatum nihil, aut abominationem faciens, & mendacium intrabit in eam Gloriam: Apocal.* 21. 27. Confirmatur primò: quia, ut conſtat ex 1. *ad Timoth.* 3. *v.* 5. *Eccleſia eſt columna veritatis*: non ergo poterit à veritate deficere, definiendo de Cathedra in eis,quæ pertinent ad mores; aliter jam non *columna* veritatis. Confirmatur ſecundò; quia Eccleſia non ſolùm eſt edocta ab Spiritu Sancto in materiis Fidei, ſed etiam morum; aliàs Spiritus Sanctus non doceret Eccleſiam omnem veritatem, quod eſſet contra teſtimonium Joannis *c.* 16. *n.* 13. dicentis: *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Unde Nicolaus Papa, relatus à noſtro Gratiano 17. *q.*4. *cap. Nemini* inquit: *Nemini licitum ſit de Sedis Apoſtolicæ judicio judicare, aut illius ſententiam retractare præmiſſam; videlicet propter Romanæ Eccleſiæ primatum, Chriſti munere in Petro Apoſtolo divinitus collocatum.* Plura alia de hac re præmiſimus in Proœmialibus.

Idem dicendum in his, quæ pertinent ad mores.

5 Modò ad oſtendendam, & probandam ſecundam concluſionem, in qua fuit ſtatutum, quinque illas propoſitiones damnatas, ex doctrina Cornelij Janſenij Epiſcopi Iprenſis excerptas, tum Fidei, tum moribus opponi. Eſt autem tenor præfatarum propoſitionum, prout ſequitur.

Janſenianæ propoſitiones.

PRIMA.

Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia; quâ poſſibilia fiant.

Quinque Janſenij propoſitiones.

SECUNDA.

Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.

TERTIA.

Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur

in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.

QUARTA.

Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium Fidei; & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.

QUINTA.

Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.

6 HArum prima propoſitio eſt hæretica, & Fidem Catholicam lædit: dicitur enim *Eccleſiaſtici* 15. *v.* 11. *Non dixeris per Deum abeſt.* Et *Deuteronomij* 30. ſic legitur: *Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt.* Si autem hoc verum, ac de fide eſt in lege veteri, quantò magis in Evangelica, quæ eſt lex gratiæ, & miſericordiæ? Unde in 1. *Joan. cap.* 5. *v.* 3. dicitur: *Et mandata ejus gravia non ſunt. Matth.* 11. *v.* 30. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Et tandem 1. *ad Corint. cap.* 10. *v.* 13. *Fidelis Deus, qui non patitur vos tentari ſupra id, quod poteſtis.* Accedunt Sacra Concilia idem tanquam de Fide ſtatuentia. Nam Arauſicanum II. *Canone* 25. ſic ait. *Hoc ſecundùm Fidem Catholicam credimus, quòd accepta per Baptiſmum gratiâ, omnes baptizati, Chriſto auxiliante, & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint, ac debeant, ſi fideliter laborare velint, adimplere.* Concilium Senonenſe, aliàs Pariſienſe contra Lutherum, *cap.* 15. ſic ſtatuit: *Neque tamen tanta gratiæ neceſſitas libero præjudicat arbitrio, cùm illa ſemper in promptu ſit, & nè momentum quidem prætereat, in quo Deus non ſtet ad oſtium, & pulſet.* Tridentinum *ſeſſ.* 6. *cap.* 11. ſic definit: *Nemo temeraria illa, & à Patribus ſub anathemate prohibita voce uti debet; Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia.* Et *Canon.* 18. eadem repetit. *Si quis dixerit Dei præcepta homini, etiam juſtificato, & ſub gratia conſtituto eſſe ad obſervandum impoſſibilia; anathema ſit.*

Prima propoſitio Janſenij Fidem lædit.

7 Secunda Janſenij propoſitio ſtatuens quòd in ſtatu naturæ lapſæ interiori gratiæ nunquam reſiſtatur, Fidem etiam lædit,

Secunda Janſenij propoſitio Fidem lædit.

lædit, unde merito ab Apoſtolica Sede fuit tanquam hæretica declarata, & uti talis damnata. Id probatur facilé; quia præfata propoſitio eſt oppoſita Sacris Scripturis, quæ ſæpe conqueruntur internas gratias excitationis, & vocationis ab hominibus fuiſſe deſpectas. Unde *Proverb.* 1. *v.* 24. *Vocavi, & renuiſtis: extendi manus meas, & non fuit qui aſpiceret; deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis.* Item *Iſaiæ* 5. legitur: *Judicate inter me, & vineam meam. Quid eſt, quod debui facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* In novo Teſtamento habetur *Actor.* 7. *v.* 51. egregium teſtimonium de quibuſdam hominibus Divinæ gratiæ reſiſtentibus; dicitur enim: *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis. Sicuti patres veſtri, ita & vos.* Quid autem eſt Spiritui Sancto reſiſtere, niſi ejuſdem interioribus vocationibus, & excitationibus reluctari? Confirmatur ex Tridentino *Seſſ.* 6. *cap.* 5. docente: *Peccatores per excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando diſponi: ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat, inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abjicere poteſt.* Quibus verbis duo contra Lutherum teſtatur Concilium: primum eſt; hominem liberé aſſentiri, & cooperari Divinæ gratiæ; ſecundum eſt poſſe hominem eam gratiam conſequenter abjicere; ac proinde eam non eſſe talem, cui non poſſit in natura lapſa reſiſti. Unde *Canon.* 4. ſic definitum eſt: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti::: neque poſſe diſſentire, ſi velit, &c. anathema ſit.* Vide quæ diximus *cap.* 7. *Sect.* 5. per totam.

8 Tertia propoſitio, in qua Janſenius aſſerebat ad meritum, & demeritum in ſtatu naturæ lapſæ non eſſe requiſitam libertatem á neceſſitate, ſed ſufficere libertatem à coactione; neceſſariò evertit omnem doctrinam de moribus. *Primò*; quia tota ratio moralitatis, hoc eſt, bonitatis, aut malitiæ actuum humanorum, ut principium exigit libertatem à neceſſitate in operante. *Secundo*; quia per hanc tertiam Janſenij propoſitionem rejiciuntur, & contemnuntur omnes regulæ doctrinæ moralis; fatumque inducitur, ut cuncta ex inevitabili neceſ- *Tertia propoſitio Jāſenij Fidem lædit, & mores.*

ſitate procedant. Deinde eſt ipſa propoſitio hæretica, proindeque Fidem lædit: paſſim enim in Sacro Textu commendatur libertas à neceſſitate in meritum, vel demeritum, conceſſa naturæ lapſæ. Unde *Geneſ.* 4. *v.*7. dictum eſt ad Cainum fratricidio noxium: *Non nè ſi bene egeris, recipies; ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit? Sed ſub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Et libro *Numer. cap.* 30. *v.* 14. ſic habetur: *In arbitrio viri erit, ut faciat, ſive non faciat.* Et *Joſuè* 24. *v.* 14. Hæc leguntur: *Nunc ergo timete Dominum, & ſervite ei perfecto corde, atque veriſſimo, & auferte Deos, quibus ſervierunt patres veſtri in Meſopotania, & in Ægypto, ac ſervite Domino. Sin autem malum vobis videtur, ut Domino ſerviatis, optio vobis datur, eligite hodie quod placet, cui ſervire potiſſimùm debeatis.* Eccleſiaſtici 15. *v.* 14. habetur hic locus planè contra doctrinam Janſenij: *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui.* Aliud teſtimonium convenientiſſimum reperitur ejuſdem Eccleſiaſtici *cap.* 31. *v.* 11. his verbis, quæ ad meritum requiſitam probant indifferentiam, ſeu libertatem à neceſſitate, videlicet: *qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus; facere mala, & non fecit; ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino.* Idem colligitur ex teſtimoniis adductis Concilij Tridentini, quæ appoſuimus numero præcedenti, quæ ſatis probant in homine libertatem à neceſſitate. Id etiam conſtat ex eodem *cap.* 7. *ſect.* 5. ſuprà allegata.

In quarta propoſitione errat Jáſenius dupliciter circa Fidem. Primò; negando neceſſitatem gratiæ ad initium Fidei, & meriti.

9 Quarta Janſeniana propoſitio docet in primis ſemipelagianos admiſiſſe prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem, ad ſingulos actus meritorios, etiamque ad initium Fidei. Hæc aſſertionis pars, prout ſemipelagianorum ſectam ita exponit, accurato examine indiget, videtur enim Janſenium non rectè explicare ſemipelagianorum doctrinam: ſi enim ſemipelagiani admittebant neceſſitatem gratiæ interioris ad initium Fidei, & ad ſingulos actus gratiæ, aut beatitudinis meritorios, abſque cauſa damnatur ſecta ſemipelagiana; quòd enim auxilium Divinæ gratiæ ſit omnino neceſſarium ad initium Fidei, conſtat ex multis Sacræ Scripturæ locis, nam *ad Philip.* 1. inquit Apoſtolus: *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut in eum credatis, ſed etiam ut pro illo patiamini.* Et ad *Epheſios* 2. inquit idem Div. Paulus: *Gratiâ eſtis ſalvati per Fidem, & hoc non ex vobis,*

Dei

Dei enim donum eſt. Patet etiam quòd nullus poſſit vel minimum actum meritorium elicere ſine gratia; quapropter *Joannis* 15. dicitur: *ſine me nihil poteſtis facere.* Et 2. *ad Corint.* 3. inquit Apoſtolus: *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis.*

10 Igitur certum eſt apud Doctores ſemipelagianos admiſiſſe, à nobis eſſe, & non à gratia, tam initium Fidei, quàm meritum. Unde Div. Auguſtinus *lib. de dono Perſev. cap.* 17. de hæreſi ſemipelagianorum inquit: *Hi initium Fidei, & uſque in finem perſeverantiam, ſic in noſtra conſtituunt poteſtate, ut Dei dona eſſe non putent; neque ad hæc habenda, & retinenda Deum operari noſtras cogitationes, & voluntates.* Idem videri poteſt apud Div. Hilarium *Epiſt. ad Auguſt.* de Maſſilienſibus.

11 Dices. Pelagiani naturæ tribuebant meritum, & initium Fidei: non ergo iſte, ſed alius eſt Semipelagianorum error; nam Pelagiani, & Semipelagiani in aliquo differunt. Pater Franciſcus à Sancto Auguſtino Macedo, Luſitanus ex Seraphica Divi Franciſci familia, vir ſingularis ingenii, tenet aliquos extitiſſe Semipelagianos, qui à Pelagianis in re nihil diſcriminabantur; aliquos autem fuiſſe Semipelagianos, qui quidem ad meritum, & initium Fidei gratiam neceſſariam admittebant. Hi tamen errabant, quia (inquit) judicabant eam gratiam eſſe indifferentem; ac inde, cùm liberi arbitrii non cauſaret determinationem, ſed ab ipſo arbitrio expectaret determinationem, adhuc locus remanebat merito naturali.

Qualiſnam fuerit Semipelagianorum error?

12 Semipelagiana hæreſis ita explanata, rectè exponitur à Macêdo; hoc tamen eſt intelligendum cum aliquo grano ſalis. Nam etiã nonnulli Catholici cùm Jeſuitis cõmuniter defendunt gratiam ad meritum nobis datam eſſe indifferentem, & indeterminatam, determinandamque à noſtro conſenſu, qui neceſſariò eſt expectandus ad congruitatem gratiæ abſque liberi arbitrij noſtri præjudicio. Eſt tamen hoc magnum diſcrimen inter Authores Catholicos, & Semipelagianos, quòd illi ſtatuunt auxilium Divinæ gratiæ ſuam ſumere determinationem, & congruitatem à libero arbitrio, adjuto, & elevato per ipſummet auxilium Divinæ gratiæ: iſti verò, ſcilicet Semipelagiani, hanc determinationem, & congruitatem gratiæ provenire dicunt ab arbitrio creato, & ejus conſenſu nudo, & ſe-

cundùm vires tantùm naturæ conſiderato: unde congruitas gratiæ, & omnis ratio meriti ſoli naturæ cōſequenter tribuitur juxta Semipelagianos; & in hoc conſiſtit ipſorum hæreſis.

13 Janſenius, qui *lib. 8. de hæreſi Pelagiana* ſtatuit Pelagianos poſuiſſe initium Fidei, & meriti, non in naturâ nudâ, & deſtitutâ omni auxilio interioris gratiæ, ſed auxiliatâ, & adjutâ gratiâ ſufficienti, quæ licèt daret poſſe, non tamen daret de facto operari: Sentit Pelagianos ſolùm erraſſe in eo quòd vellent dari aliquam gratiam talem, ut voluntas humana adjuta ab illa poſſet non operari: ſeu aliter; *cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare*, pro libertate ſua: ut conſtat ex hac quarta propoſitione Janſeniana. Aſt in hoc potiùs errat Janſenius, quàm errarent Semipelagiani: jam enim oſtendimus *num. 7.* præcedenti contra ſecundam propoſitionem Janſenij; in ſtatu naturæ lapſæ dari nobis auxilium Divinæ gratiæ, cui tamen aliquando reſiſtitur. Huc ſpectant quæ diximus eodem *num. 7. & cap. 7. ſect. 5.*

Janſenij circa doctrinam Pelagianam judicium.

Errat ſecundò; negando quòd in naturâ lapſâ Divinæ gratiæ poſſit reſiſti.

14 Quinta demum Janſenij propoſitio, quæ tenet *Semipelagianum eſſe dicere Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe*, lædit mores, oppoſitum enim docetur in totâ Eccleſiâ Catholicâ, & Sanctâ. Fidem etiam lædit, conſtat enim ex Sacrâ Scripturâ Chriſtum pro omnibus fuiſſe mortuum, & cōſequenter pro omnibus ſanguinem fudiſſe; inquit enim Paulus ad *Rom. 8. v. 32. Proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Et 2. *ad Corint. 5. v. 14. Si unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt; & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* Et 1. *ad Timot. 2. Unus mediator Dei, & hominum Chriſtus JESUS, qui dedit redemptionem ſemet ipſum pro omnibus.* Idem ſanctū eſt tanquam de fide certum à plurimis Conciliis: nam in Arelatenſi coacto ſub Simplicio Papa ann. 475. §. 6. ſic habetur: *Item anathema ille, qui dixit quòd Chriſtus non pro omnibus mortuus eſt.* In Cariſiacenſi, quod fuit coactum anno 849. ſeu potiùs anno 853. hæc habentur: *Chriſtus JESUS Dominus noſter, ſicut nullus homo eſt, fuit, vel erit, cujus natura in illo aſſumpta non fuerit, ita nullus eſt, fuit, vel erit homo, pro quo paſſus non fuerit.* Tandem in Tridentino *ſeſſ. 6. cap. 3.* ſic dicitur: *Et ſi ille* (Chriſtus) *pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt.* Plura alia videri poſſunt *cap. 7. ſect. 8.*

Quinta propoſitio Janſenij lædit Fidem; & mores etiam lædit.

15 Ex

15 Ex dictis tria ſunt colligẽda. Primũ: Janſenij propoſitiones damnatas à S. Sede Apoſtolica, mores, & Fidem lædere. Secundũ: hanc propoſitionem 94. quo ad primam partem ſeditioſam eſſe, ad ſchiſmaque excitantem, ut conſtat ex dictis *num.* 1. hujus capitis. Tertium tandem eſt: hanc ipſam propoſitionem quo ad alteram partem eſſe captioſam, hæreſim ſapientem, & faventem hæreſi Janſenianæ, ut conſtat ex *num.* 2. præcedenti.

Propoſitionis 94. cenſura.

CAPUT XXXVII.

ERROR PROPOSITIONIS XCV. APERITUR.

1 EST autem citata propoſitio pro ut ſequitur: *Veritates eò devenerunt, ut ſint lingua quaſi peregrina pleriſque Chriſtianis, & modus eas prædicandi eſt veluti idioma incognitum: adeò remotus eſt à ſimplicitate Apoſtolorum, & ſupra communem captum Fidelium; neque ſatis advertitur quòd hic defectus ſit unum ex ſignis maximè ſenſibilibus ſenectutis Eccleſiæ, & iræ Dei in filios ſuos.* Nihil adverſùs Chriſti Sponſam Eccleſiam contumelioſius excogitari poteſt: in hac enim propoſitione duo in Eccleſiæ dedecus proferuntur. *Primum* eſt Eccleſiam eſſe veritatis ignatam; dicitur enim veritates pleriſque Chriſtianis eſſe linguam peregrinam, & veluti idioma incognitum. *Secundum*, & quaſi à primo deductum, eſt: ipſam Eccleſiam jam jam deficere, eſſeque exitio propinquam; Deo in ipſam, & in filios ſuos ir ato. Ut Sanctam Dei Eccleſiam ab hàc contumelioſá propoſi tone vindicemus, duplicem ſtatuemus concluſionem.

Tenor propoſitionis 95.

Eſt in Eccleſiam contumelioſa.

Explicatur ſenſus propoſitionis.

PRIMA CONCLUSIO

Cognitio puræ, atque dogmaticæ veritatis nullo tempore poteſt ab Eccleſiâ deficere.

2 COncluſio eſt indubitabilis apud Catholicos, patet enim ex variis Sacræ Scripturæ locis; nam *Joan.* 14. 17. dicitur: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclytum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis, quem Mundus capere non poteſt; vos autem cognoſcetis, quia apud vos manebit, &*

Ex SacràScripturà probatur concluſio.

erit in vobis. Et *cap.* 16. *v.* 13. dicitur: *Cùm venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Idem docuit Div. Paulus, in cujus Epiſtola 1. *ad Timot. cap.* 3. *v.* 15. ob ejuſdem veritatem non defecturam dicitur *Eccleſia columna, & firmamentum veritatis.* Et ad *Epheſ.* 4. inquit idem Paulus: *Alios quidem dedit* (Spiritus Sanctus) *Apoſtolos, alios Evangeliſtas, alios autem Prophetas, alios autem Paſtores, & Doctores in opus miniſterij, ut non ſimus ſicut parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ.* Quibus verbis oſtenditur diſpoſitio Spiritûs Sancti, né aliquando Ecleſia ſit à veritate deſtituta.

3 Apud Sanctos Patres communis eſt noſtra concluſio, Probatur ex
quorum ut alios omittam, eos tantùm in teſtimonium addu- Patribus.
cam, qui ad Summi Pontificatûs apicem fuerunt ſublimati. In-
ter hos ducatum fert Fabianus, qui floruit ad annum Chriſti Fabianus.
237. Hic ſoli Authoritati Apoſtolicæ tribuit inter peregrina judicia veritatem detegere; inquit enim *Epiſt.* 1. *ad Hilar. Epiſc. Peregrina judicia, ſalvâ in omnibus authoritate Apoſtolicâ, generali ſanctione prohibemus.* Malé ergo Sedis Apoſtolicæ erga omnem Eccleſiam doctrina judicatur tanquam lingua peregrina Chriſtianis, eſt enim judicium ſupremæ Sedis, quod ſolum diſcernit verum à peregrino.

4 Reliqui Patres magnis laudibus efferunt Sanctæ Apoſtolicæ Sedis veritatem, quâ univerſa Eccleſia in obſcuriſſimis difficultatibus edocetur, & illuſtratur. Felix 1. ad annum Chriſ-
ti 270. *Epiſt* 1. *ſemper dubia, & maiora negotia, terminum ab hàc* Felix I.
*Sanctà Sede, à tempore Apoſtolorum, qui eam ſuis documentis inſtru-
xerunt, accipere conſueverunt.* Marcellus I. ad annum Chriſti 304. Marcellus I.
Epiſt. 1. *ad Epiſcop. Antioch. A' diſpotione Romanæ Eccleſiæ nos deviare non oportet, ad quam cuncta maiora Eccleſiæ negotia (Diviná diſponente gratiâ) juſſa ſunt referri, ut ab eà regulariter diſponantur,
à quà ſumpſére principia.* Melchiades ad annũ 312. *Epiſt. ad Epiſc.* Melchiades.
*Hiſpaniæ: Dei ordinatione ordinatũ credimus, ut ſemper maiores cauſæ ad unam Beati Petri ſedem cōfluerent, ut inde ſuſcipiant finem judiciorum, unde acceperunt initia inſtitutionum, nè quandoque à ſuo diſcre-
parent capite.* Liberius ad annum 351. *Epiſt. ad Athanaſ. Olim,* Liberius.
*& ab initio tantam accepimus à Beato Petro fiduciam, ut habeamus authoritatem pro univerſali Eccleſià ad rectam defendendam Fidem, qua-
tenus nulli liceat ſtatutum Eccleſiæ commovere.* Damaſus ad annum Damaſus.

380.

380. *Epiſt. ad Stephan. Scitis, Fratres Chariſſimi, Apoſtolicam ſedem eſſe conſtitutam Eccleſiarum. Tu es enim (Chriſtus dixit) Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Tu membrorum meorum exiſtis Princeps, & Doctor Orthodoxx, atque immaculatæ Fidei, cujus vice hodie gratiâ Dei legatione fungimur, & omnes hujus Sanctæ Sedis Præſules ejus vices geſſerunt, gerunt, & gerent.* Gelaſius ad annum 492. *Epiſt. ad Epiſc. Dardaniæ, v. 9. q. 3. cap. Cuncta. Cuncta per Mundum agnovit Eccleſia, quoniam Sedes Beati Petri jus habet reſolvendi, utpote quæ de omni Eccleſiâ fas habet judicandi, neque quenquam liceat de ejus judicare judicio.* Gregorius Magnus ad annũ 590. *lib. 4. regiſt. Epiſt. 52. ad Epiſc. Galliæ: Siquã verò cõtentionem de Fidei cauſá evenire contigerit, aut negotium emerſerit, cujus vehemens ſic fortaſſe dubietas, & pro ſui magnitudine judicio ſedis Apoſtolicæ indigeat examinatâ diligentiùs veritate, relatione ſuâ ad noſtram ſtudeat perducere notitiam, quatenus à nobis valeat congruâ ſine dubio ſententiâ terminari.* Idem Doctor Magnus, & Pontifex Maximus apud noſtrum Gratian. *d. 12. cap. Præceptis,* ſic inquit: *Nulli dubium ſit quòd Sanctæ Religionis relatio ad Sedem Apoſtolicam, quaſi ad caput Eccleſiarum, referri debet, & inde normam ſumere, unde ſumpſit exordium. Si quis hæc Apoſtolicæ Sedis præcepta non obſervaverit, præcepti honoris hoſtis eſſe non dubitetur.*

Gelaſius.

Gregorius Magnus.

5 Patet igitur quòd ſtando judiciis ſanctorum Patrum Sedis Apoſtolicæ doctrina, non ſolùm peregrina lingua Chriſtianis non eſt; ſed potiùs é contrario, ipſius Sedis Apoſtolicæ, & ejus veritatis eſt; in opinionum caligine, ac dubitationum varietate indefectibilem oſtendere veritatem, univerſali Eccleſiæ pro luce habendam, ac retinendam.

SECUNDA CONCLUSIO.

Maximum abſurdum eſt opinari Eccleſiam Dei deficere.

Eeclefia Dei nequit *ſeneſcere*, hoc eſt, *deficere*; nam ut inquit Apoſtolus ad Hebr. 8. *Quod antiquatur, & ſeneſcit, prope interitum eſt.*

6 Potiſſima ratio hujus aſſertionis ex Sacris Literis eſt deprompta; legitur enim *lib. 2. Reg. cap. 7. verſ. 13. Stabiliam thronum Regni ejus uſque in ſempiternum.* Et 1. *Paralip. 22. 10. Firmabitur ſolium Regni ejus ſuper Iſrael in æternum.* Pſalm. 44. 17. *Populi confitebuntur tibi in æternum, & in ſæculum ſæculi.* Pſal. 45. 5. *ſanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus,*

Deus

Deus in medio ejus non commovebitur. Pſalm. 48. 29. *In æternum ſervabo illi miſericordiam meam, & teſtamentum meum fidele ipſi. Et ponam in ſæculum ſæculi ſemen ejus, & thronus ejus ſicut dies Cæli, & ſicut Sol in conſpectu meo, & ſicut Luna perfecta in æternum.* Iſai. 33.20. *Reſpice Sion civitatem ſolennitatis noſtræ, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur clavi ejus in ſempiternum, & omnis funiculus ejus non rumpetur.* Oſeæ 2. 18. *Et ſponſabo te mihi in æternum in juſtitia, & judicio, & in miſericordia, & in miſerationibus; & ſponſabo te mihi in fide.* Matth. 28.2. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Joan. 16. 16. *Paracletus ſpiritus veritatis manebit apud vos in æternum.* Hæc autem (aliis relictis) teſtimonia de Eccleſia nunquam defectura duratione intelliguntur à Patribus, & Doctoribus communiter; quorum expoſitiones omitto, quia illorum ſenſum ex dicendis patefaciam.

7 Ex Græcis hanc veritatem Catholicam docuerunt Euſebius Cæſarienſis de *præparat. Evang. c.* 1. *Hoc nomine donata* (Eccleſia) *radices egit, luce Fidei ſplendet, neque hoſtibus terga dat, neque ipſis januis mortis cedit propter pauca verba, quæ Chriſtus protulit: Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Alexander Epiſcopus Alexandr. *Epiſt. ad Alexandr. Epiſc. Conſtant. Eccleſiam unam ſanctam Catholicam cognoſcimus, quæ ſicut nunquam expugnari poteſt, ſic omnium hæreticorum incurſionem evincit.* Athanaſius *orati.* quòd unus eſt Chriſtus: *Chriſtus ait: ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Fidelis ſermo, & non vacillans promiſſio Eccleſia invicta res eſt, etiamſi infernus ipſe moveatur.* Baſilius *ſuper Iſai.* 8. *Quemadmodum acceſſione incenſæ materiæ flamma in maius attollitur, ſic qui toto niſu ſtudere demoliri Eccleſiam, eam ad auguſtiorem poteſtatem extulerunt.* Nazianzenus *orat.* 23. *in laudem Heronis. Perſecutiones illuſtriorem* Eccleſiam *per ſupplicia reddebant.* Idem in *Carmine ad Epiſ. Tormentiſque Fides gravibus, magè fulta vigebat.* Chryſoſtomus *tom.* 1. *Hom. in Eutropium, & in id* Adſtitit Regina: *Nihil fortius Eccleſia. Spes tua ſit Cælo ſublimior, & latior terrâ, nunquam ſentit ſenectutem, adoleſcit ſemper, ac viget: quare ſcriptura oſtendens inconcuſſam ejus ſtabilitatem, montem vocat.* Idem Chryſoſtomus *ſerm. de Pentecoſt. Hic ſanguis* (Chriſti) *irrigat Eccleſiam, & ideo plantaria ejus marceſcere non poſſunt, nec amittere folia arbuſta ejus; nec ſubjacet neceſſitati corporis, ſed Spiri-*

Doctores, & Patres pro noſtra concluſione.

Ex Græcis.

tûs Sancti gratia eam gubernat, & ideo non ſeneſcit, nec contrahitur, nec opprimitur. Euthymius ſuper illud Pſalm. Deus in medio ejus non commovebitur: *Non commovebitur Eccleſia vi aliqua viſibilium, ſeu inviſibilium inimicorum, conantium eam evertere, portæ enim inferi non prævalebunt adverſùs eam.*

Ex Latinis.

8 Ex Latinis idem prædicant Martialis *Epiſt. ad Burdegalenſes*: *Firma Eccleſia Dei, & Chriſti, nec cadere, nec dirumpi poterit unquam.* Hilarius *lib. 8. de Trinit.* *ſupra confeſſionis petram Eccleſiæ ædificatio eſt; per hanc Fidem infirmæ ſunt adverſùs eam portæ inferorum.* Ambroſius *lib. 4.* Examerон *cap. 2.* *Eccleſia tempora ſua habet perſequutionis, & pacis, nam videtur ſicut Luna deficere, ſed non deficit. Obumbrari poteſt, deficere non poteſt.* Hieronymus *ſup. Iſai. 4.* *Super petram fundata eſt Eccleſia, nulla tempeſtate concutitur, nullo turbine, ventiſque ſubvertitur.*

Ex Patribus, ac Doctoribus, qui ſub Regula S. P. Benedicti Eccleſiam illuſtrarunt.

9 Accedunt jam ſpecialiter Patres, qui ſub Regula Sancti Benedicti militantes, ſapientiâ, & ſanctitate Eccleſiam illuſtrarunt. Div. Gregorius M. *ſuper 5. Pſalm. Pœnitentialem*: *Terra dicta eſt Eccleſia, quia in ſoliditate Fidei perpetua perſeverat; unde per Salomonem dicitur: Terra autem in æternum ſtat.* Anſelmus in *Matth. 28.* *Ex eo quòd Chriſtus dixit: Vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi, intelligitur quòd uſque in finem ſæculi non ſunt defuturi in Mundo qui Divina manſione ſint digni.* Sanctus Beda dictus Venerabilis, *lib. 3. in Samuelem cap. 5.* *Nunquam exterminari poteſt Eccleſia Chriſti de medio.* Bernardus Favus Claravalenſis *Serm. 79. in Cantic.* *Ex tunc, & deinceps non deficiet genus Chriſtianum, nec Fides de terra, nec Charitas de Eccleſia.*

5 Ex Oraculis Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum teſtimoniis, quibus concluſiones præcedentes probavimus, duo deducuntur; ſcilicet, neque Eccleſiam Dei deficere, aut ſeneſcere; neque etiam veritatis ignaram eſſe. Evaneſcunt illa, quæ abadverſariis, *iræ Dei in filios ſuos*, ſigna dicebantur; tanquam ſi Eccleſia, Dei chariſſima Sponſa, amplius non eſſet: neque enim fieri poteſt ut dilectiſſima Chriſti Sponſa, quæ illi ſtabili, & inſolubili connubio juncta eſt in æternum, ab Sponſi amplexu caſtiſſimo diſſolvatur, Divina id atteſtante promiſſione per Oſeam *cap. 2.* *Et ſponſabo te mihi in æternum in juſtitia, & judicio:*

judicio : & in miſericordia , & in miſerationibus. Et ſponſabo te mihi in Fide. Taceant ergo, neque objiciant adverſarij cum Queſnello illud *Danielis* 9: *Deficiet hoſtia ; & Sacrificium* ; neque hoc interpretentur erroneè de Eccleſiæ defectione, quod dictum eſt de defectione Synagogæ: de Chriſti enim Sponſa Eccleſia ſcriptum eſt *Matth.* 28. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.*

CAPUT

CAPUT XXXIX.

DETEGUNTUR ERRORES SEQUENTIUM *propoſitionum.*

PROPOSITIO XCVI.

Deus permittit ut omnes Poteſtates ſint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non poſſit, niſi Divinæ gratiæ.

PROPOSITIO XCVII.

Nimis ſæpe contingit membra illa, quæ magis ſanctè, ac magis ſtrictè unita Eccleſiæ ſunt, reſpici, atque tractari tanquam indigna, ut ſint in Eccleſia, vel tanquam ab ea ſeparata; ſed juſtus vivit ex Fide, & non ex opinione hominum.

PROPOSITIO XCVIII.

Status perſecutionis, & pœnarum, quas quis tolerat, tanquam Hæreticus, flagitioſus, & impius, ultima plerumque probatio eſt, & maximè meritoria, utpote quæ facit homiuem magis conformem, JESU Chriſto.

Harum propoſitionũ cẽſura.

1 RElatæ propoſitiones non ſolùm ſunt contumelioſæ in Poteſtates, & Principes Eccleſiaſticos, ac ſæculares, quos exprobrant ſanctorum hominum, & veritatis perſequutores; verùm etiam ſeditioſæ ſunt, & ſchiſmaticæ, anſam præbentes ad ſchiſma, & ſeditionem. Quis enim vellet eaſdem Poteſtates ſequi, dum eas judicaret oppoſitas Prædicatoribus veritatis? Evidens autẽ eſt quod in propoſitione 96.tã injurioſè cenſetur de omnibus Poteſtatibus.

2 Fateor hanc propoſitionem (ſi virus evomant Autho-

res

res ejus) eſſe piam, & Catholicam *abſque eo, quod intrinſecus latet.* Legimus enim non ſolùm in hiſtoriis Eccleſiaſticis, verùm etiam in Sacris Literis Deum permiſiſſe, præſertim in exordio naſcentis Eccleſiæ, Poteſtates ſeculi Prædicatoribus veritatis eſſe contrarias. Quas enim perſecutiones paſſi non ſunt omnes Apoſtoli, primæ Evangelicæ legis tubæ? Quæ vincula, carceres, & exilia; quot æquulea, ungulas, gladios, & ignes, non ſanctificarunt illi primi ſucceſſores Petri Apoſtolorum Principis, & veritatis oracula? Si Pontificum Romanorum ſeriem, & acta legamus; à Div. Petro uſque ad Sanctum Sylveſtrum I. qui inter Summos Prælatos trigeſimum quartum locum obtinuit; unum tantùm Dionyſium I. (qui in ordine vigeſimus ſextus eſt) inveniemus, quem per illa quatuor prima ſecula Imperatorum perſecutio martyrio non coronaverit. Exponitur propoſitio 96.

3 Hujus verò propoſitionis 96. error in eo ſtat quòd non illos Chriſtiani gregis Paſtores, aut alios Catholicæ Fidei cultores puriſſimos, veritatis dicat Prædicatores; ſed Janſenianos nominet, jactetque veritatis Præcones: Principes autem ex Fidei zelo, & amore, Janſeniſtis adverſantes, dicuntur in hac propoſitione, veritatis adverſarij. Ejus error,

4 Janſeniſtarum victoriam, hoc eſt, ſectam intumeſcentem, & à quibuſdam per ſummum errorem, ſive per dolum receptam, inquit hæc propoſitio, non niſi Divinæ gratiæ eſſe tribuendam. Sed contra; nam exinde conſequenter tenendum eſſet Divinam gratiam influere in errores, & pertinaciam. Janſeniſtæ, ideo hos peſſimos fructus tribuunt Divinæ gratiæ, quia eoſdem judicant veritatis doctrinam, etiam poſtquam à Sancta Sede Apoſtolica damnatos ſcimus. Sed contra; nam eo ipſo fateri tenentur Janſenij diſcipuli Summum Pontificem Eccleſiam de Cathedra docentem, præcipuè in materiis de Fide, miſeré erraviſſe; quod neutiquam eſt aſſerendum, ut conſtat ex dictis in diſputatione procemiali, *numero* 2. Deinde ex dictis *cap.* 36. *à num.* 5. manifeſtum eſt quinque famoſos articulos Janſenij à Sancta Sede Romana merito damnatos, oppoſitos eſſe ſacræ Paginæ, & Conciliis, proindeque Catholicæ veritati contrarios.

5 Doctrina propoſitionis 97. venenum præcedentis pro-

poſitionis imbibit; inquit enim: *Nimis ſæpe contingit membra illa, quæ magis ſanctè, ac magis ſtrictè unita Eccleſiæ ſunt, reſpici, atque tractari, tanquam indigna, ut ſint in Eccleſia vel tanquam ab ea ſeparata. Sed juſtus ex Fide vivit, & non ex opinione hominum.*

Senſus propoſitionis 97. & impugnatur.

Hic jam quæritur: Quænam ſint illa tam ſancta membra, quæ Eccleſiæ Dei magis ſtrictè, magiſque ſanctè unita ſunt? Reſpondent ea membra eſſe Janſeniſtas. Hos, inquiunt, tanquam indignos ut in Eccleſia ſint, ſeparatos eſſe; quia ab Apoſtolica Sede anathemate ſunt percuſſi, donec deſiſtant à doctrina, in quinque Janſenij propoſitionibus contenta. Ex hoc autem fit evidens hanc propoſitionem 97. eſſe in Sedem Apoſtolicam contumelioſam, eamque reddere odioſam Chriſtiano gregi, utpote ſancta membra à cæterorum communicatione iniqué ſeparantem. Aſt hæc propoſitio nulla nova indiget impugnatione: oſtendimus enim *cap. 36. à numero 5.* & aliis in locis, quæ ibidem citantur, Janſenij doctrinam eſſe hæreticam, juxta cenſuram Sanctæ Matris Eccleſiæ, Fidem, & mores lædere, ſectam perditionis introducentem, in perniciem veritatis, Doctrinæ, & morum totius Eccleſiæ, ejuſque membrorum; proindeque, nè reliqua membra putreſiant, merito ſunt hæc ab Eccleſia ſeparata tanquam indigna.

6 A præcedentibus diſtat prope nihil propoſitio 98. ibi: *Status perſecutionis, & pœnarum, quas quis tolerat tanquam hæreticus, flagitioſus, & impius, ultima plerumque probatio eſt, & maximè meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem JESU Chriſto.*

Rejicitur propoſitio 98.

Status ille perſecutionis, & pœnarum, de quo loquitur propoſitio, eſt ſtatus excommunicationis, & pœnarum, quibus Sancta Apoſtolica Sedes Janſenianos fulgurivit, tanquam impios, temerarios, ſcandaloſos, hæreticos, &c. Quia autem dicitur, tolerantiam hujus ſtatûs pœnarum, probationem eſſe valde, meritoriam, quippe qua homo redditur JESU Chriſto magis conformis: quis non videt hanc propoſitionem confirmare Janſeniſtas, non ſolùm in ſuis erroribus, ſed etiam in contumacia contra cenſuras, in eos inflictas à Sancta Sede Apoſtolica? Unde hæc propoſitio non ſolùm eſt in Sedem Apoſtolicam contumelioſa, ſed etiam hæreſim, & ſeditionem

nem

nemfovens. Tenendum eſt igitur ſtatum illum perſecutionis, & pœnarum neque eſſe meritorium, neque hominem reddere JESU conformem. Ratio eſt, quia tolerantia hujus ſtatûs conſiſtit in contumacia circa errores, & hæreſes meritò damnatas à Sede Apoſtolica, & ſimul in quadam inobedientia erga Summi Pontificis Conſtitutiones.



CAPUT XL.

CONFUTANTUR SEQUENTES PROPOSITIONES.

PROPOSITIO XCIX.

Pervicacia, præventio, obſtinatio in nollendo aut aliquid examinare, aut agnoſcere ſe fuiſſe deceptum, mutat quotidie quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in ſuá Eccleſià poſuit, ut in eà eſſet odor vitæ; v. g. libros bonos, inſtructiones, ſancta exempla, &c.

PROPOSITIO C.

Tempus deplorabile, in quo creditur honorari Deus perſequendo veritatem, ejuſque diſcipulos. Tempus hoc advenit:: haberi, & tractari à Religionis Miniſtris tanquam impium, & indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in ſocietate Sanctorum, eſt hominibus piis morte corporis mors terribilior. Fruſtrà quis blanditur ſibi de ſuarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis perſequendo flammâ, ferroque viros probos, ſi proprià paſſione eſt excæcatus, aut abreptus alienà, propterea quòd nihil vult examinare. Frequenter credimus ſacrificare Deo impium, & ſacraficamus Diabolo Dei ſervum.

1 Contumelioſa, & injurioſa eſt in Summum Pontificem hæc propoſitio 99. illum enim facit *primò* pertinacem, & obſtinatum in nollendo aliquid examinare, ut rei magnitudo, & juſtitia cauſæ poſtulat; ſcilicet bonos libros, inſtructiones, exempla Sanctorum. Sunt autem hæc libri Janſenii; Novum

Cenſura, & ſenſus propoſitionis 99.

vum teſtamentum Monteſe, jam dudum reprobatum, (utpote à Vulgata Editione, quæ tot ſæculorum uſu in Eccleſiâ probata eſt, atque ab Orthodoxis omnibus pro authenticâ recepta, multipliciter diſcrepans) & libri alii his ſimiles damnati. Deinde: quia in eâdem propoſitione arguitur Summus Pontifex de obſtinatione,& pertinacia in nollēdo agnoſcere, ſe fuiſſe deceptum in damnando libros præfatos; colligitur *ſecundò* ex doctrina hujus propoſitionis, Summum Pontificem erraviſſe definiendo de cathedrâ, quænam doctrina ab Univerſâ Eccleſiâ tenenda ſit, quænam verò abominanda,& fugienda.

2 Primus error verſatur circa materiam facti,ac inde per ipſum factum rite impugnatur. Conſtat igitur nec unam quidem propoſitionem à Summis Pontificibus fuiſſe aliquando damnatam, quin damnationem præcederet accuratiſſimum Qualificatorum,& in Sacrâ Theologiâ Magiſtrorum examen; Purpuratorum Patrum Venerabilium, exactiſſima diligentia, atque conſilium: verbo,& ſcripto pro veritate indaganda, diſputationes inter præſtantiſſimos Theologos coram Eminentiſſimis Patribus adverſús pravitatem ſupremis in Eccleſiâ Inquiſitoribus integerrimis;imò & coram ipſo Beatiſſimo Domino Chriſto in terris Vicario, indefectibili, ac vivâ regulâ veritatis.

Nec una quidē propoſitio à Sancta Sede Apoſtolicâ eſt aliquando damnata, omiſſo examine,ac diſquiſitione neceſſaria.

3 Id, ipſo facto, in primis patet ex Conciliis habitis ad damnandas has propoſitiones,quæ continentur in Conſtitutione *Unigenitus*, ubi ſic legitur, §. *Hinc adſpirante*, ut videri eſt *cap.* 1. „ Hinc adſpirante Domino, ejus que cœleſti ope confiſi, ſalutare opus ſedulò, diligenter que, ut rei magnitudo poſtulabat, aggreſſi ſumus; ac plurimas ex prædicto libro, juxta ſuprà recenſitas reſpective editiones,fideliter extractas, & tum Gallico, tum Latino idiomate expreſſas Propoſitiones à compluribus in Sacrâ Theologiâ Magiſtris, primò quidem coram duobus ex Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus accuratè diſcuti, deinde verò coram Nobis adhibito etiam aliorum plurium Cardinaliū conſilio, quàm maximâ diligentiâ,ac maturitate,ſingularum inſuper propoſitionum cum ipſomet libri textu exactiſſimé factâ collatione, pluries literatis Congregationibus, expendi, & examinari mandavimus, &c.

Varia examina accuratiſſima, quæ præſentium propoſitionum damnationem præceſſerunt.

4 Et poſtea §. *Auditis*, ut habetur eodem *cap.* 1. hæc habentur. „Auditis itaque, tum voce, tum ſcripto Nobis exhi-„bitis præfatorum Cardinalium, aliorumque Theologorum „ſuffragiis, Divinique in primis Luminis, privatis ad eum fi-„nem, publiciſque etiam indictis precibus, implorato præſi-„dio; omnes, & ſingulas propoſitiones præinſertas, tanquam „falſas, &c. damnamus, & reprobamus.

Magna deligẽtia ad hibita ad condemnandas propoſitiones Janſenij.

5 Non minus ſtudium, aut inæqualis diligentia fuit adhibita ad errores Janſenij damnandos, ut conſtat ex teſtimonio Cardinalis Albitij, viri ſummæ integritatis, *lib. de inconſtantia in Fide, cap. 3. num.* 26. ita inquientis: „Quæ quidem diligentia, „me aſſiſtente Aſſeſſore ſupremæ, & univerſalis Inquiſitionis, „Romanæ, & maxima quidem adhibita fuit, cùm ſanctæ me-„moriæ Innocentius Decimus ad condemnationem quinque „propoſitionum, ex Auguſtino Janſenij decerptarum, devent. „Non enim contentus fuit quòd in plurimis Congregationi-„bus habitis coram Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis Supre-„mæ Inquiſitionis Cardinalibus Inquiſitoribus ſententiæ Doc-„tiſſimorum Theologorum, Qualificatorum Ordinariorum, „adhibitis etiam extraordinariis Qualificatoribus, exquireren-„tur, ſed ipſemet Innocentius per plures dies eorundem The-„ologorum Qualificatorum ſententias, maximá cum patientià „audivit, & coram ſe, Cardinalibus Inquiſitoribus, & Theo-„gis Qualificatoribus quendam Abbatem de la Lana, alioſque „doctrinæ Janſenianæ fautores orantes admiſit; votaque „Theologorum Qualificatorum in ſcriptis redacta, magno „ſtudio, & diligentiâ perſcrutatus fuit; aliiſque eruditiſſimis „viris in conſilium adhibitis, ac indictis per Eccleſias Urbis „ſupplicationibus, tandem in pervigilio Pentecoſtes ad con-„demnationem prædictarum quinque propoſitionem devenit, „afflante equidem Spiritu Sancto, cujus aſſiſtentia in hoc gra-„viſſimo negotio ſemper evidentiſſime apparuit. Quia igitur maior diligenti, ut ex dictis liquet, excogitari non poteſt, quæ ad propoſitionum damnationem præmitti debuiſſet à Sancta Sede Apoſtolica; diſcedant ferentes confuſionem ſuam, quicunque aliter ſentiunt, aut ſcribunt de examine, diſcuſſione, & conſultationibus præviis ad propoſitionum proſcriptionem edendam: neque enim eſt aliud negotium, quod Cathedra

Sancti

Sancti Petri diutiùs aut attentiùs meditata ſit.

6 Secundus error aſtruens Summos Pontifices deceptos eſſe in damnatione eorum librorum, de quibus egimus mentionem *num.* 1. corruit primò;quia ex dictis eodem *num.* 1. præcedenti, & ex traditis *cap.* 37. *à num.* 5. ſatis conſtat libros Janſenij, & Novum Teſtamentum Montenſe Sacræ Scripturæ Vulgatæ editionis, Fidei, & moribus valde opponi. Corruit ſecundò: quia ſupponit Summum Pontificem, tanquam Eccleſiæ Univerſalem Doctorem, Maximum Supremum, & Irrefragabilem, doctrinam de Cathedrà ſtatuentem, decipi, aut decipere poſſe; quod eſt varié impugnatum *cap.* 36. *num.* 3. & 4. itemque ex dictis in Proœmio.

7 Colligendum hanc propoſitionem 99. non ſolùm eſſe contumelioſam, & injurioſam in Summos Pontifices; verùm etiam hæreſibus eſſe faventem, & hæreticis ipſis, ſcilicet Janſenianis, & aliis præfatorum librorum authoribus. *Cenſura propoſitionis 99.*

§.

8 Altera propoſitio ſuprà affixa, quæ in ordine eſt centeſima,quaſi per compedium continet errores propoſitionum 92.96.97.& 99. inquit enim:*Tempus deplorabile,quo creditur honorari Deus, perſequendo veritatem, ejuſque diſcipulos.* Sed quodnam erit illud tempus deplorabile? Reſponſio eſt in promptu. *Tempus hoc advenit.* Nunc enim (ut dicitur in eadem propoſitione) homines pii, magis ſanctè, ſtrictèque Eccleſiæ uniti, tractantur à Religionis Miniſtris (hoc eſt Principibus Eccleſiaſticis, & ſecularibus) tanquam impij, & indigni omni commercio cum Deo, & Chriſtianis Orthodoxis. Unde dicitur: *Haberi, & tractari à Religionis Miniſtris tanquam impium, & indignum omni commercio cum Deo; tanquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in ſocietate Sanctorum, eſt hominibus piis morte corporis mors terribilior.* Iſti autem homines pii ſunt Janſeniſtæ, quos coercendo, & puniendo Chriſtiani Principes veritatem perſequi dicuntur in hac propoſitione. Ab hujus contumeliæ nota Catholicos Principes, & eorum Miniſtros jam ſuprà vindicavimus, ex quo oſtendimus Janſeniſtarum dogmata in quinque famoſis articulis damnatis eſſe veré hæ- *Propoſitio 100 multatum propoſitionū errores continet; ejus ſenſus exponitur.*

hæretica, ut conſtat ex *cap. 36. præcedentiâ num. 5.*

9 Semel autem admiſſo, & oſtenſo infallibiliter (ut certò oſtendimus, & probavimus dicto *cap. 36.*) Janſenianos eſſe veré hæreticos, condigné, ac jure merito excitantur Principes, atque Miniſtri ad eos perſequendos, & puniendos: §. *primo*, ſententia excommunicationis maioris, ut habetur *cap. Ad abolendam, cap. Excommunicamus* 1. 2. *tit. in Decret. & in 6. & Can.* 1. *Bullæ Cœnæ*, §. *ſecundo*, Irregularitate ex citato *cap. Ad abolendam, & cap. Saluberrimum* 1. *quæſt.* 3. §. *Tertio*, privatione omnis Eccleſiaſticæ dignitatis, Officij, aut Beneficij, & inhabilitate ad ipſa, ex *cap. Didicimus, cap. Pudenda* 24. *Quæſt. cap. Præter*, 32. *Diſt. cap. Quo jure Diſt.* 6. *cap. Ad abolendam, cap. Excommunicantis* 1. *de hæret. cap. Ut commiſſi eodem tit. in* 6. §. *Quarto*, Bonorum privatione, & publicatione, quibus privantur hæretici á die commiſſi criminis, ex *l. Manichæos, l. Cognoſcimus, cap. de hæreticis*, & alibi, §. *Quinto* perpetua infamia ex *cap. de hæret. cap. Infamis*, 6. *q.* 1. *cap. Alieni* 2. *q.* 7. *cap. Infamibus de reg. Jur. cap. Excommunicamus* 1. *de hæret. & cap.* 2. §. *Hæretici, eodem tit. in* 6. §. Tandem *Sexto* traditione delinquentis Curiæ ſæculari, hoc eſt, ſupplicio mortis, ex Jure Civili *l. Manichæos, l. Arriani, l. Quicunque, cap. de hær.* Et ex *Canon. c. Ad abolendam, c. ſicut ait, cap. Excommunicamus* 1. *de hæret.* & alibi. Cæterùm hac ultima pœnâ plectuntur ſolùm impœnitentes, & incorrigibiles, à quibus non longè abeſſe dicerem recentiores Janſeniſtas propter ſummam eorum contumaciam, & obſtinationem.

Jenſeniani quibus pœnis digni ſunt.

10 Additur etiam quòd *fruſtra quis blanditur ſibi de ſuarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis, perſequendo flammâ, ferroque viros probros, ſi propria paſſione eſt excæcatus, aut abreptus aliena, propterea quòd nihil vult examinare.* In his iterum repetitur error præcedentis propoſitionis 99. nam per hæc verba detrahitur Summus Pontifex, ac Eminentiſſimi ejus Conciliarij, de pertinacia, & obſtinatione in nollendo, ex propria paſſione, examinare Janſenij errores; aut in nollendo agnoſcere ſe fuiſſe deceptos. Hanc impudentiam adverſariorum refellimus, impugnando præcedentem propoſitionem. Et ſané nullam aliam cæcitatem, contumaciam, & deceptionem agnoſco in præſentibus ab ea, in qua laborant adverſarij; ſi enim

Adverſarij ſũt excæcati, ut videant propriam contumaciam; cúm tamẽ oculos habeant, ut alienam (quæ in re nulla eſt, videant cæcitatem.

enim abſque cæcitate legant, & abſque deceptione, & contumacia ad ea intendant, quæ ſummatim diximus *cap. 37. â num.* 5. agnoſcent ſolos Janſenianos eſſe contumaces, obſtinatos, & cæcos; quod evidentiùs demonſtrant Dechamps, Macedo, Gonet, Aguirre, & innumeri alij Doctores, qui præclariſſimos tractatus mira ſapientiá, & eruditione plenos adverſùs Janſenianos ediderunt.

11 Poſtremò adduntur in eadem propoſitione hæc verba contumeliâ, & deſperatione plena. *Frequenter credimus ſacrificare Deo impium, & ſacrificamus diabolo Dei ſervum.* Et ſenſus eſt: quòd Summus Pontifex, excommunicando Janſeniſtas tanquam impios, ſacrificat diabolo ſervos Dei, eos enim ab Eccleſia ſeparat. Videant autem quæ ſcripſimus *cap.* 36. *á num.* 5. agnoſcentque Janſenianos non Dei ſervos eſſe, ſed veré hæreticos, magiſtros mendaces, in diaboli doctrina imbutos; puriſſimam doctrinam Chriſti, & ipſius Eccleſiæ, non ſolùm deſpicientes, ſed etiam virulentis dogmatibus ſordidantes.

12 Ex præmiſſis colligitur hanc propoſitionem eſſe falſam, impiam, temerariam, & ſcandaloſam, in Summum Pontificem, & alios utriûſque ſtatûs Principes injurioſam, hæreſi Janſenianæ, & ipſis Janſeniſtis faventem. Cenſura propoſitionis 100.

CAPUT

CAPUT XLI.

REFELLITUR PROPOSITIO CI.

1 EST hæc ultima propoſitio inter damnatas à Sanctiſſimo Domino Clemente XI. in Conſtitutione *Unigenitus*, cujus tenor eſt prout ſequitur. *Nihil Spiritui Dei, & doctrinæ JESU Chriſti magis opponitur, quàm communia facere juramenta in Eccleſia. Quia hoc eſt multiplicare occaſiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis; & efficere ut nomen, & veritas Dei aliquando deſerviant concilio impiorum.* Senſus iſtius propoſitionis tendit eliminare ab Eccleſia juramenta, quæ in Gallicis, & Belgio exiguntur contra Janſenianam Hæreſim, & præſtantur ab iis, qui ad gradum aliquem aſcendunt, vel ad aliquam dignitatem, ad aliquod ve Beneficium, aut officium eliguntur. Hæc juramenta in præſenti propoſitione dicuntur pejerandi occaſiones, & laquei infirmis, ac idiotis: quidam enim ad obtinendam dignitatem, ad quam anhelant, ejurant vocibus quod animo retinent; alij verò mentalibus utentes reſtrictionibus, & ſubdolè jurantes Janſenianam hæreſim, non affectu, ſed verbis tantùm deteſtantur. Utrùm autem hæc ratio ſufficientem præbeat materiam, & occaſionem ad hoc ultimum articulum? Reſolvendum infra ad num. 9.

Propoſitionis 101.

Tenor.

Senſus.

Juramentū eſt actus Religionis.

2 Dico igitur *primò*. Juramentum legitimè factum eſt actus virtutis Religionis, ſeu Latriæ. Ita communiter Theologi cum Divo Thom. 2. 2. *q.* 98. *art.* 2. & 4. Unde Div. Hieronymus in *Matth.* 5. ſic inquit: *Qui jurat, aut veneratur, aut diligit Deum, per quem jurat.* Ratio id probat: nam qui jurat, teſtimonium

timonium

timonium Divinum invocat ad veritatem confirmandam; atqui unum teſtimonium non confirmatur tanquam certum, & verum, niſi per aliud certius, & verius illo: ergo qui jurat fatetur teſtimonium Divinum eſſe proprio teſtimonio verius, & certius; ac inde Deum per iſtum actum jurandi colit. Minor probatur primò: quia propter quod unum quodque tale, & illud magis; teſtimonium autem humanum fit verius, & certius per teſtimonium Dei in teſtem vocati: ergo. Secundò; quia, ut inquit Paulus ad *Hebr. 6. homines per maiorem ſe jurant.*

3 Confirmatur. Quia Apoſtolus multoties juravit; nam *ad Rom.* 1. inquit: *Teſtis eſt mihi Deus*, & 2. *ad Corint.* 1. ſic ait: *Teſtem Deum invoco.* Tandem *ad Philip.* 1: juravit dicens: *Teſtis eſt mihi Deus.* Ut autem omittam alia ex Novo, & Veteri Teſtamento, conſtat ex *Apocalyp.* 10. Sanctum quendam Angelum juraſſe per nomen Dei, & Chriſtum toties juraſſe, quoties uſurpavit illud *Amen, Amen*, teſtatur Divus Hieron. ſuper illud *Ezech.* 16. *Vivo ego dicit Dominus.* Idem tenent Chryſoſt. *Hom.* 11. *in Epiſt. ad Hebr.* Oecumenus *in Hebr.* 3. & conſtat ex cap. *Et ſi Chriſtus, de jurejurando.* Tandem teſtatur Scriptura Deum juraſſe: nam *Geneſ.* 22. juravit Abrahæ quòd ex ejus ſemine miſſurus eſſet ſuper omnes gentes benedictionem; & *Pſal.* 109. habetur: *Juravit Dòminus, &c.* Hæc eſt Catholicorum doctrina cum Divo Auguſt. *lib.* 19. *contra Fauſtum, cap.* 23. *& Serm.* 28. *de verbis Apoſtoli*, Chryſoſtomo, & Hieronymo ſuprá relatis, Divo Thom. 2. 2. *q.* 90. *art.* 2. *&* 4. Caiet. Aragon. ibidem, Alex. de Ales in *ſum. part.* 3. *q.* 31. *memb.* 2. *a.* 2. *&* 3. Div. Bonav. 3. *diſt.* 39. *a.* 2. *q.* 1. Richard. ibidem, *art.* 1. *q.* 1. Scot. ibidem; Gabriel *q. unica art.* 2. *concluſ.* 1. Sancto Antonin. *p.* 2. *tit.* 10. *cap.* 3. §. 2. & communiter Doctores.

Sæpe juraverũt Apoſtolus, Angelus, Chriſtus, ipſeque Deus.

4 Nonnulli Hæretici, ut Manichæi, teſte Div. Bonaventura *in* 3. *diſt.* 39. *art.* 2. *q.* 1. Vvicleffus in errore 43. damnato a Concilio Conſtantienſi *ſeſſ.* 8. Anabaptiſtæ apud Cochleo *contra eoſdem*, docuerunt juramentum omne eſſe illicitum; his favet, ac illorum hæreſim ſapit hæc ultima propoſitio; quæ in eo fundatur quòd in Veteri, & Novo Teſtamento omne juramentum videtur fuiſſe interdictum. Dicitur enim per Oſeam *c.* 4. *Neque juraveritis vivit Dòminus.* Et Zacharias *cap.*

Propoſitio 101 variis hæreticis favet.

5. in-

5. inquit: *Omnis jurans ex hoc ſimiliter judicabitur.* *Matthæi* 5. videtur juramenta fuiſſe prohibita à Chriſto, dicitur enim: *Dictum eſt antiquis: Non perjurabis; reddes autem Domino juramenta tua: Ego autem dico vobis, non jurare omnino.* Similiter *Jacobi* 5. ita legitur: *Ante omnia, fratres mei, nolite jurare neque per Cælum, neque per terram, neque aliud quodcunque juramentum.* Poterit fortaſſe confirmari hic error ex eo quòd Div. Hieron. *in cap.* 5. *Matth.* (prout refertur in *cap. Conſiderat.* 22. *q.* 1.) inquit conceſſum fuiſſe Judæis jurare per Deum, non quòd eſſet rectum hoc facere, ſed quòd minus malum eſſet jurare per Deum, quàm per Idola jurare. Idem Sanctus Doctor in *cap.* 14. *Hierem.* inquit Evangelium prohibere juramentum. Ratio autem, ut videtur ex hac propoſitione, eſt: quia in juramentis, præcipuè ſi exigantur à Miniſtris, multiplicantur occaſiones pejerandi, & efficitur; ut nomen, & veritas Dei aliquando deſerviant concilio impiorum.

Juraméta qualiter in Sacra Pagina ſint prohibita?

5 Reſpondetur ad textus Sacræ Scripturæ, in ea non prohiberi juramentum ſub præcepto, ſed tantùm ſub conſilio. Ita Divus Bernardus *Hom.* 65. *in Cant.* Putant non nulli cum Suario à Chriſto ſolùm fuiſſe prohibitum juramẽtum in profanis rebus, non autem in Sacris. Sed contra, nam illa Chriſti verba, *non jurare omnino* ſunt valde generalia, neque admittere videntur eam reſtrictionem. Eadem inſtantia urget contra eos, qui reſpondent à Chriſto prohiberi tantum juramentum non neceſſarium, minimè vero neceſſarium juramentum. Standum igitur pro ſolutione Divi Bernardi, quem ſequuntur Divus Thomas, Gabr. Sotus, & alij apud Sayrum in *Clav. Reg. lib.* 5. *cap.* 3. Datur igitur duplex præceptum non jurandi; unum quod excludit juramenta indiſcreta, quæ fiunt abſque veritate, judicio, aut juſtitia; & hoc eſt ſecundum in lege præceptum. Alterum non jurandi præceptum, eſt latius; ſed minus rigoroſum; quanvis enim prohibeat omnino jurare, non eſt ſecundùm hanc latitudinem, verum præceptum, ſed conſilium dictans abſtinendum eſſe ab omni juramento, ſive licito, ſive illicito. Ab hoc ſecundo, quidem propter ipſius jurij deformitatem; à primo illo, nè ex facilitate, & conſuetudine jurandi, fiat tranſitus ad perjurium. Unde Divus Auguſt. *Epiſt.* 104. *ad Publicolam* ait: *In novo Teſtamento dictum eſt:* *Nè*

Secundũ præceptum Decalogi ſolúm prohibet juramenta in vanũ, ſeu indiſcreta.

Prohibetur etiá omne juraméntum licitum, & illicitũ; aſt ſub conſilio, & per nõ ſub præcepto, reſpectivé d juraméta licita.

Nè omnino juremus; quod mihi non propterea dictum videtur, quia verum jurare peccatum eſt; ſed quia pejerare im mane peccatum eſt, à quo longè nos eſſe voluit, qui omnino nè juremus admonuit.

6 Noſtra ſolutio ratione firmatur ex Sayro: multa enim prohiberi ſcimus, quia per ſe mala ſunt, ut furtum, homicidium, & alia; quædam verò ideo prohibentur, quia, & ſi non ſint per ſe mala, ſi tamen fiant frequenter, & paſſim, inde mala ſequentur. Sic vinum per ſe non eſt malum, præſertim ſi uſque ad ebrietatem non ſumatur; & tamen vinum ab Apoſtolo *ad Epheſ.* 5. prohibetur, quia, ut inquit Hieronymus, venter mero æſtuans, facilè deſpumat in libidinem: unde Apoſtolus: *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Sic, & juramentum per ſe malum non eſt, cùm introductum ſit ex fine bono, ſcilicet ad finiendas controverſias, ut loquitur Apoſtolus ad *Hebr.* 6. & ex bono principio procedat, videlicet ex æſtimatione, quam habemus de Divina infallibilitate, credentes Deum ſummam, & infallibilem veritatem eſſe, omniumque rerum notitiam habere; quia tamen ex frequenti, & incauta juratione naſcitur ſæpe perjurium, juxta illud *Eccleſiaſt.* 13. *Vir multum jurans implebitur iniquitate,* ideo juſtis ex cauſis prohibetur ſub Concilio omne juramentum, quanvis aliter honeſtum; né aliquando irritetur juramentum ex cauſa juſta. Hic igitur eſt ſenſus, quo, juxta Divum Hieronymum, juramentum prohibetur ab Evangelio. Sic etiam intelligendus eſt idem Doctor Maximus dum dicit juramentum non eſſe rectè factum, ſed malum eſſe, quanvis comparativé ſit minus malum jurare per Deum, quàm per Idòla; quia ſcilicet jurare poterit occaſionem gignere ad pejerandum.

Cur juramenta licita ſub conſilio ſint prohibita?

7 Ad rationem oppoſitam in fine numeri 4. in qua fundatur præſens propoſitio; reſpondetur eam eſſe nullius momenti. Aliàs fundamento ſimili foret probandum omnia præcepta Divina, & humana opponi etiam Spiritui Dei; qui enim talia præcepta imponunt occaſionem præbent ad trangreſſiones. Igitur hoc ſcandalum, ſive occaſio tum pejerandi, tum violandi præcepta; non eſt occaſio data, ſed accepta, ac ideo non vitanda, cùm ad alios juſtos fines deſerviat. Nam etiam Phariſæi ex Chriſti prædicatione, & miraculis magis excitabantur ad odium, invidiam, & murmurationem; nec tamen

Non tenemur ceſſare ab opere juſto, & conveniente propter ſcandalū ab eo acceptum, & non datum.

Chriſti prædicatio, & miraculorum multitudo erat vituperanda, tanquam Phariſæis præbens occaſionem peccandi. Similiter ſicut non eſt dicendum Chriſtum feciſſe ut ejus prædicatio, & virtus inſerviret concilio impiorum, eo quòd inde ſcandalum accipiebant Phariſæi; ita etiam dicendum non eſt illos, qui præfata juramenta exigunt in Galliis, & Belgio, *multiplicare occaſiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis, & efficere ut nomen, & veritas Dei aliquando deſerviant concilio impiorum.*

Datur præceptum præſtandi aliquando juramenta.

8 Dico *ſecundò* Juramentum juſtum, hoc eſt cum veritate juſtitia, & judicio, non ſolùm eſt licitum, ut diximus, ac inde nullo modo oppoſitum Spiritui Dei, & JESU Chriſti doctrinæ; ſed etiam datur præceptum naturale, & Divinum, omnibus hominibus commune, præſtandi juramentum, quando recta ratio ad id induxerit. Id probatur primò ex uſu, & praxi Fidelium. Habet enim poteſtas publica vim petendi à ſubditis juramentum, videlicet quoties id neceſſarium erit ad detegenda, coercendaque mala, quæ in damnum proximi, & multò magis Reipublicæ redundant. Unde juſtiſſimé juramentum exigitur pro Fide; ut cùm quis jurat ſe nunquam relapſum in ſchiſma, ſive hæreſim; ut habetur *de conſecrat. Diſp. 2. cam Ego Berengarius. Et prima quæſtio 7. can. Quoties.* Ex quo detrahendum non eſt, ſed laudandum potius, quòd in Galliâ ab Eccleſiaſticis juramentum exigatur de rejiciendis, ac damnandis Janſenij propoſitionibus in proprio ſenſu ab Authore intento; juxta formulam præſcriptam ab Alexandro Papa VII. id enim maximé Eccleſiæ puritati congruit, & Fidei integritati. Probatur ſecundò: quia ex unà parte ad regimen Eccleſiaſticæ Reipublicæ juramentum eſt convenientiſſimum bonum, & maxime neceſſarium: ex alterà verò parte Chriſtus ſolùm prohibuit ſub præcepto ſtrictè ſumpto nos jurare quando neque adeſt neceſſitas, nec utilitas: nam *Exod. 2. 7.* ſic habetur: *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum.* Sic ſimiliter *Deuter. 5. 11.* ſic ſanctum eſt: *Non uſurpabis nomen Dei tui fruſtrà, quia non erit impunitus qui ſuper ré vanâ nomen ejus aſſumpſerit.* Ergo, concurrentibus ſimul juramenti honeſtate, & neceſſitate pro bono publico, qui juramentum impedire præſumpſerit, aget contra exigentiam neceſſitatis publicæ, & boni communis: ac inde

Juſtiſſimé exigitur juramentum in Gallia de damnandis erroribus Janſenij.

contra

contra præceptum naturale,ac Divinum.Sic Alexand.de Ales. *p.* 3.*q.*31.*memb.*2.*a* 4. Sotus *lib.*8.*de Juſt. q.* 1.*a* 2.Covarr. *in cap. Quamvis p.*1.§.6.*num.*4. *de Pačt.in* 6. Petrus de Arag.22.*q.*98.*a* 4. Summa Corona *tract.de Juram.p.*3.*n.*13.Gregor.de Valent.*tom.* 3.*diſp.*6.*quæſt.*7.*punct.*3.*in fin.* Sayrus in Clavi Reg.*lib.*5.*c.*3.*n.*4. 5.Præterea ad complementum præſentis doctrinæ.

9 Dico *tertiò* non eſſe peccatum, ſed licitum eſſe cum juſtà, & convenienti cauſá, & multò magis cum neceſſitate, juramentum poſtulare à perjuraturo, ſive ad id parato, ſive non: ſi non conſtat certò illum eſſe perjuraturum. Ita Divus *Thom.*22. *q.*89.*art.*4. Suar. Sanch.Sal.Leſſ.apud Bonac.*t.*2.*d.*4. *de Jur.q.*1. Caſtro Pal.*tom.*3.*diſp.*1. *de Jur.p.*13.*n.*11.Tamburin.*tom.*1.*lib.*2. *Explicationis Decal.*1. *de Juram.*§.6.Ratio eſt,quia juſta cauſa excuſat à culpà, quando ab aliquo expoſcitur opus ex ſe indifferens. Hinc deducit Tamburinus citatus cum Azor, Bonacinà, & aliis poſſe Judicem ratione officij; privatum ratione ſui juris tuendi, vel expoſcendi; Imperatorem ratione fœderis firmandi, petere ab iis juramentum, qui perperam juraturi, per ipſorum malitiam *probabiliter* credentur.Et addunt *probabiliter*; quia, ut inquit Tamburinus relatus, ſub dubio,etiam ſine cauſá, petere juramentum ex omnium ſententià poterunt; ſiquidem in dubio alterum velle pejerare non eſt præſumendum.

Licitum eſt juramentum exigere,ab eo,quẽ certò nõ ſcimu eſſe pejeraturũ.

Imò & ab eo qui probab ſiliter, aut ſub dubio cenſetur perjuratorus.

Ab illis autem, quos certò ſcimus pejeraturos, ad huc (neceſſitate, & juſtà cauſa interveniente) poſſumus juramenta exigere etiam promiſſoria, ut expreſſé docent cum Divo Thom. Suar.*tom.*2.*deReligion.lib.*3.*de Jur.cap.*14.Sanch.*lib.*3.*in Decalog.c.* 8.*n.*8. Caſtrop.*tom.*3.*d.*1.*de Jur.p.*10.*n.*11.Tambur.*l.c.* Ducuntur hàc ratione; quià juſta cauſa excuſat à culpà illum, qui ab alio exigit opus ex ſe indifferens,licét ſciatur cum peccato illud opus eſſe faciendum. Ideo enim, ut tenet communis doctrina apud Caietanum, non peccat ille, qui neceſſitate compulſus mutuum ab uſurario petit. Aſt in hoc cauté eſt procedendum, né quis videatur erga proximum charitatis immemor, dum propriæ utilitati, & neceſſitati conſulit. Illo autem charitatis Axiomate: *Charitas bene ordinata incipit à ſe ipſa*, non temere abutendum eſt; ſed valde prudenter eſt utendum.Quia verò Sancta Mater Eccleſia contra Janſenianam doctrinam juramenta non exigit ab his, quos certò, aut probabiliter ſcit pejeraturos, ſed

Si adſit cauſa juſta,poteſt juramentum peti ab eo, quem certo perjeraturum credimus.

Qui cum juſta cauſa mutuum petit ab uſurario, non peccat.

ſed tantùm ab his quos ad plurimum dubitat pejeraturos, (imò à pleriſque eorum nec eſt dubitandi cauſa, plurimis enim ex ipſis Janſeniana doctrina exoſa eſt) nullo principio damnari poteſt Alexandri VII. inſtitutio, & Sanctæ Matris Eccleſiæ conſuetudo.

Hujus ultimæ propoſitionis cenſura.

10 Ex præmiſſis eſt colligendum hanc ultimam propoſitionem, eſſe in Chriſti Eccleſiam contumelioſam, ut inſpectâ formula ejuſdem articuli conſtat. Item, eſſe temerariam; adverſatur enim non ſolùm Patribus, Sacris Canonibus, & Conciliis, ſed totius Eccleſiæ praxi, petendi pro publicâ, & privatâ utilitate juramenta in Judiciis, contractibus, abjurationibus, ac tandem in componendis diſcordiis inter nationes, & Princi pes Ultimò ultimam propoſitionem, hæreſi Janſenianæ favére ipſius enim ſcopus eſt à Galliarum, & Belgij partibus expellere juramenta de rejiciendis, ac damnandis Janſenianis articulis juxta ſenſum ab Authore intentum, ut fuit ſtatutum, per felicis recordationis Alexandrum Papam VII. quæ quidem conſtitutio abjurandi, ac deteſtandi Janſenianas theſes neutiquam deſervit impiorum concilio, ſed plurimum cedit in laudem omnipotentis: cui ſoli Deo honor, & gloria. Ipſi laus per æterna ſecula, ejuſque Matri admirabili, Sanctiſſimo quoque Benedicto, Glorioſæque Gertrudi, cognomento Magnæ. Amen.

SAN-

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI DOMINI

CLEMENTIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPÆ XI.

LITERÆ AD UNIVERSOS CHRISTI FIDELES DATÆ ADVERSUS eos,qui Conſtitutioni Sanctitatis Suæ, quæ incipit = *Unigenitus* = anno IncarnationisDominicæ millcſimo ſeptingenteſimo decimo tertio,ſexto Idus Septembris, editæ debitam obedientiam præſtare hactenus recuſarunt, aut in poſterúm recuſaverint.

CLEMENS

EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei.

Univerſis Chriſti fidelibus præſentes Literas inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

PASTORALIS officij, quod ſuperni diſpoſitione conſilij gerimus, cura Nos admonet, ut Animarum ſaluti ubique terrarum procurandæ,ac præſertim Orthodoxæ Fidei, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, puritati ſervandæ omni ſtudio advigilemus. Ea propter cùm in quibuſdam ultrà Montes Provinciis, & præcipué in ampliſſimo Galliæ Regno, varia pravarum Doctrinarum, imò & Hæreſum ſemina, occaſione damnati cujuſdam Libri Gallico idiomate jam pridem editi, ſub titulo = *le nouveau Teſtament en François, avec des reflexions Morales ſur chaque Verſet, &c.* Aliter verò = *Abbregè de la Morale de l' Evan-*

l'Evangile, des Actes des Apotres, des Epitres de Saint Paul, des Epitres Canoniques, & de l'Apocalypſe = vel = *Pensèes Chretiennes ſur le Texte de ces livres ſacres, &c.* = germinare cognoviſſemus; iiſdem eradicandis, Noſtri non minùs muneris debito admoniti, quàm crebris multorum Catholici Orbis, ac præſertim Galliæ Epiſcoporum precibus excitati; quin etiam piis, ac ſæpiùs repetitis clarmem. Ludovici XIV. dum vixit, Francorum Regis Chriſtianiſſimi votis, & officiis adducti, quaſcunque potuimus Apoſtolicæ noſtræ ſolicitudinis partes, adjuvante Domino, interponere non prætermiſimus. Quæ autem, & quanta in hoc arduo, graviſſimoque negotio per plures annos egerimus, & paſſi ſimus, quæve inobedientium hominum, & paucorum (quod valde dolentes dicimus) illuſtrium etiam Eccleſiarum Antiſtitum veritati non acquieſcentium operá in idem inclytum Regnum mala provenerint, vobis feré omnibus minimé ignota eſſe exiſtimamus. Poſtquam ſiquidem, Divino in primis implorato præſidio, curâque omni, ſtudio, ac labore, prout rei gravitas expoſcebat, diutiſſimè collatis, adverſùs prædictum librum Conſtitutionem noſtram, quæ incipit = *Unigenitus Dei Filius* = anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingéteſimo decimo tertio, ſexto Idus Septembris, editam promulgavimus; in qua plures noxios articulos ex eodem libro excerptos cenſuris variis, quas reſpectivé, ut aiunt, hoc eſt, ſinguli aliquam ſaltem earum merebantur, notatos pro hujus Sanctæ Sedis more proſcripſimus; cujuſmodi remedii neceſſitatem tum memoratus Ludovicus Rex, tum plerique ex Galliâ Epiſcopi ſupradicti iteratis obteſtationibus inculcaverant, non aliter ſuborta diſſidia ſedari poſſe conſtanter affirmantes; tota quidem Chriſti Eccleſia Petrum per Nos, tametſi indignos, loquentem ſecuta, Apoſtolicam ejuſdem Conſtitutionis doctrinam debito obſequio, atque obedientiâ ſuſcepit. At Novatores, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident, ex inconſultâ eorundem paucorum Antiſtitum hæſitatione ita animos extulerunt, ut incredibili audaciâ Cõſtitutionem ipſam perverſé interpretari, & inceſſere, pravæque etiam doctrinæ per impudentes calumnias inſimulare non erubuerint. Itaque, ut reluctantes illos Epiſcopos ad ſectanda Fratrum ſuorum veſtigia excitaremus,

mus; ac turbarum, malorumque omnium fomitem, quem improvida illa cunctatio miniſtraverat, extingueremus, canonicas animadverſiones poſt diuturna trium annorum longanimitatis experimenta adhibere conſtitueramus. Verùm Venerabiles Fratres noſtri S. R. E. Cardinales, quibuſcum rationem conſilii noſtri communicare æquum eſſe cenſuimus, Nos enixè obſecraverunt, ut paulisper ſeverioribus remediis ſuperſedere vellemus, dum interim communibus literis Collegam ſuum Conſtitutioni noſtræ ſeſe ſubjicere detrectãtem, atque iiſdem propterea animadverſionibus obnoxiũ, ad unitatis, & pacis cõſilia revocare conarentur. Eorũ igitur precibus annuentes, ne quàm lenitatis viam intentatam relinqueremus, per illas ipſas inducias Nos quoque ad univerſos Archiepiſcopos, & Epiſcopos Regni Galliarum literas in formà Brevis die xx. Novembris MDCCXVI. expeditas dedimus, quibus rerum geſtarum ſerie, & Eccleſiarum perturbatione uberiùs expoſitâ, illos hortati ſumus, ut diſſentientes Coepiſcopos ſuos noſtro etiam nomine convenirent, eoſque officij ſui fraternâ charitate admonerent, necnon omnibus Sacerdotalis ſolicitudinis argumentis, imploratoque, noſtris etiam verbis, dilectiſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Ducis Aurelianenſis, ejuſdem Regni Rectoris, patrocinio, ad reparanda Eccleſiaſticæ unitatis, & diſciplinæ detrimenta, atque ad avertenda Catholicæ Religionis pericula flectere ſatagerent. Speravimus quidem uberem ex ejuſmodi noſtris literis fructum, junctoque nobiſcum præclariſſimorum Galliæ Præſulum zelo, qui maximò ſané numero pro veritate certabant, factum iri credidimus, ut diffidentes Fratres, quod Nobis adeò in votis erat, lucrari poſſemus. Atqui ſpe noſtrâ fruſtratos confeſtim Nos vidimus, dolenteſque clamare coacti ſumus: Suſtinuimus pacem, & non venit: quæſivimus bona, & ecce turbatio; & ſané tam gravis, utqui ex adverſo erant, illas ipſas noſtras, & hujus Sanctæ Sedis voces variis artibus pene intercludere tentaverint. Neque profectò feliciùs ceſſerunt officia illa, quæ Cardinales prædicti per impetratas à nobis, ut diximus, inducias præſtiterunt. Quamquam enim communi totius Sacri Collegij Epiſtola, ſuaſiones, conſilia, obſecrationes, atque omnem miniſterii ſui, fraternæque benevolentiæ fidem, ſedulitatem

dulitatem, ac ſolicitudinem adhibuiſſent, fruſtrà ſe tamen laboraſſe intellexerunt, neque alium, præter inanes ſcandalorum, ac diſſidiorum expoſtulationes, ſed ſine voluntate veram amovendi cauſam, unde illa emerſerant, operæ ſuæ fructum reportarunt. Non tamen propterea concidimus animo, imò nec dum à mitioribus conſiliis receſſimus: nihil interim curantes, quomodo homines modum hunc agendi noſtrum interpretarentur, quippe qui ſciremus Deo æqué per infamiam, & bonam famam ſerviendum eſſe. Itaque, ut aberrantes in viam juſtitiæ ſuaviter revocaremus, iteratis ſæpiùs hortationibus noſtris, etiam preces addidimus, eundemque in ſcopum, privatis literis manu noſtrâ conſcriptis, ea omnia paternæ manſuetudinis officia implevimus, quæ ſuggerere nobis potuit Chriſtiana charitas, quæ patiens eſt, benigna eſt, omnia ſuffert, omnia ſuſtinet. Pluresq́ interea Gallicani Antiſtites non minùs ſapientiâ, & doctrinâ, quàm pietate, ac ſtudio tuendæ Religionis illuſtres, ex iis ſcilicet, qui debitâ ſubmiſſione Cōſtitutionem noſtram amplexi fuerant: dignitatis, & muneris ſui probé memores, votiſque, & officiis noſtris obſecundantes, favente etiam eorum conetibus memorato Philippo Duce, ac Rectore, curas omnes ſuas, aſſiduoſque labores ad diſcordantium Fratrum animos permovendos enixè cenferre non omiſerunt. Sed hæc omnia proſperum illum, quem ſummopere præſtolabamur, exitum minimé habuerunt. Obſcurati ſiquidem ſunt renitentium oculi, né viderent, ac obturatæ ſunt aures, né audirent; adeò ut nonnulli eorum, non ſine bonorum omnium luctu, hoſtiumque Eccleſiæ plauſu, ad ea inſuper publicé devenire auſi fuerint, quæ omnes ex vobis, quibus illa innotuerunt, improbaſſe non dubitamus, quæque ipſimet, qui ea perpetrarunt, à nobis, & à Sanctâ Romanâ Eccleſiâ palàm, atque perpetuò damnanda, atque execranda eſſe non ignorabant. Quare Nos, qui ſupremo Divini Paſtoris mandato deeſſe nec poſſumus, nec debemus, quo & illius Oves paſcere, & Fratres noſtros confirmare præcipimur, animo nobiſcum reputantes, quòd Verbum Dei non eſt alligatum, poſtquam diu tentatis inutiliter conſiliis pacis hucuſque ſiluimus, adhuc ulteriùs tacere Nobis non tutum, Chriſtiano autem Populo perniciosum fore cenſemus. Ad vos proinde omnes

ex

ex unaquâque Natione, quæ ſub Cælo eſt, Chriſti fideles, paternas voces noſtras dirigimus, quò primùm quidem doloris noſtri participes, veſtras nobiſcum ad Deum preces deferatis, ut supernâ adſpirante gratiâ, qui hactenus contumaces fuerunt, non jam ulteriùs alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes ad debitam cum cæteris Chriſti fidelibus in ſanâ, Catholicâque Doctrinâ profitendâ veniant unitatem. Hoc nempe ex animo unicé quærimus, hoc dies, noctesque, nec ſine lacrymis, à Dòmino imploramus; neque enim obliviſci poteſt mulier infantem ſuum, nec Sancta Romana Eccleſia filios ſuos. Deinde ne quis Chriſtianum Populum ſeducere pergat inanibus verbis, vos omnes, ut neceſſe eſt, monitos volumus, & certos facimus, quòd fruſtrà, & quidem non ſine fermento malitiæ, & nequitiæ, iſtiuſmodi homines nobiſcum in Doctrinâ Religionis conſentire ſe jactant, dum interim, Heterodoxorum exemplo præeunte, editam à Nobis Conſtitutionem, quam univerſa Eccleſia veneratione debitâ complectitur, non modò alienis ab ipſo verborum tenore interpretationibus, ſed & apertis calumniis ſuperinductis, malignè carpere audent, & immanium errorum accuſatione perſtringere; perinde ac ſi ipſi ſoli, aliis Chriſti fidelibus ubique gentium deſipientibus, ſaperent, ipſi ſoli, reliquis cæcutientibus, lumen veritatis aſpicerent. Nec profectò minor eſt illorum culpa, qui ut faciliùs incautis illudant, cùm hæc ipſa moliuntur, eidem Conſtitutioni noſtræ nequaquam adverſari, ſed ſolas declarationes, in rebus tamen apud cæteros omnes planè perſpicuis, poſtulare ſe ſimulant, non quidem diſcere, ſed tentare cupientes, ut Eccleſiam, ſi poſſint, quæſtionibus inutilibus, & interminatis immiſceant, & luci Catholicæ veritatis tenebras quoquo modo obſcuritatis offundant. Ita ſané patientiâ noſtrâ abutentes, Apoſtolicæ auctoritati obſequium, ac reverentiam ſe exhibere gloriantur illo ipſo tempore, quo ei graviſſimam inferunt injuriam, iiſdem ſiquidem explicationum petitionibus ſatis aperté oſtendunt, ideo ſe Conſtitutioni noſtræ debitam obedientiam nondum præſtitiſſe, quia verentur, ne per illam Catholica Dogmata convellantur; nè laudabilis, & ab hac Sanctâ Sede probata Eccleſiaſtica diſciplina infringatur: neve demum ſalubriores Chriſtianorum morum

rum regulæ ſubvertantur; quod planè idem eſt ac vereri, ne defecerit Fides Petri, totaque Chriſti Eccleſia magiſterio Apoſtolicæ vocis imbuta à via veritatis,& ſalutis erraverit. Præterea, ut peſſimæ cauſæ ſplendidum patrocinium concilient, præfatæque Conſtitutioni maiorem undecunque invidiam faciant, ſe ab eâ ſuſcipiendâ retardari affirmant, eò quòd ſuſpicentur per illam damnari Sententias,atque Doctrinas, quas Inſignes Catholicorum Scholæ abſque ullâ cenſurâ hactenus tenuerunt, ac tradiderunt. Cùm tamen niſi ab antiquis ſemitis,Sanctorumque Patrum veſtigiis,imò & ab earundem Scholarum inſtituto, quod verbis profitentur, re ipſâ receſſiſſent, probè reminiſci deberent, quòd illarum Principes, quorum nomina pertinaciæ ſuæ temere prætendunt, quemadmodum, & cæteri illuſtriores Eccleſiæ Scriptores, ſuum ſemper eſſe duxerunt, ut ab Apoſtolicâ Sede diſcerent quid credere, quid tenere, quid docere deberent: ut ad illam ſcripta ſua examinanda, & emendanda dirigerent; ut inde lumen Catholicæ Fidei reciperent, ubi non poſſet Fides ipſa ſentire defectum; ut nemo eorum denique ſententiam ſuam adverſùs Petri auctoritatem defenderet. Cæterùm in hoc ipſo præpoſtero judicio conſuetum calumniandi morem non derelinquunt; niſi enim excæcaret eos malitia eorum, ac niſi diligerent magis tenebras, quàm lucem, ignorare non deberent ſententias illas, ac doctrinas, quas ipſi cum erroribus per Nos damnatis confundunt, paſam, & liberè in Catholicis Scholis, etiam poſt editam à Nobis memoratam Conſtitutionem, ſub oculis noſtris doceri, atque defendi, illaſque propterea minimè per eam fuiſſe proſcriptas. Verùm ſupercecidit ignis contentionis, & æmulationis, & non viderunt Solem lucidiſſimæ Veritatis. Hinc juſto Dei judicio ambulantes in tenebris, neſciunt planè quò vadant: ſcandalum ſiquidem de Conſtitutione Noſtrâ comminiſcuntur;ſed ſe ipſos potiùs de pervicaci ſuâ inobedientiâ ſcandalum facere non agnoſcunt. Sacroſanctâ Epiſcopatûs Dignitatem exaltare ſe velle declarant; ſed re ipſâ deprimunt,dum interim fraternitatem ipſi contemnunt,audaciſſimæ inferioris Cleri rebellioni fomentum tribuunt,univerſumque Eccleſiaſticum Ordinem Laicis Tribunalibus, vel in ipſâ Religionis cauſâ,indecorè,ac perperam ſubjici non atten-

dunt

dunt. De veteris, ac novæ Legis diſcrimine, tanquam de re ipſis ſolis perſpectâ, multa, & plerumque inutiliter diſputant, novæque præſtantiam, quam omnes agnoſcunt, & profitentur, inculcare non deſinunt; utriuſque tamen Legis plenitudinem, quæ eſt dilectio, minimé obſervant. Charitatem nulli impenſiùs laudant: nulli impudentiùs violant. Divinæ Gratiæ virtuté prædicant, quam Catholicus nullus negat: ſed damnatis erroribus faventes Spiritui Gratiæ contumeliam faciunt. Quod verò Nos de puſillorum ſcandalo ſolicitos plurimùm excruciat illud eſt, quòd dum plerique eorum hæc faciunt, vel conſentiunt facientibus, adhuc ſpecioſo quodam ementitæ ſeveritatis amictu ſe contegentes, rigidioris doctrinæ gloriam captare non ceſſant, inſtituendæque in melius Chriſtianorum vitæ, & ad normam Euangelij componendæ zelum magnificé oſtẽtant. Quare Nos pernicioſam hanc larvam, quæ Animabus pretioſiſſimo Chriſti ſanguine redemptis certum parare poſſet exitium, palam detrahere, urgente Nos Apoſtolici Miniſterij debito, volentes, ipſos primùm aberrantes Fratres, ut aliàs ſæpe privatim fecimus, publicé modò, & coram Univerſâ Eccleſiâ monitos facimus né ſibi ulterius de falſâ exactioris diſciplinæ famâ blandiantur; neque enim vera virtus abſque humilitate, pietas abſque obedientiâ, Chriſtiana demum perfectio abſque charitate poteſt conſiſtere. Porrò quæ humilitas? ſenſum proprium communi Fratrum ſententiæ, quin & ſupremæ Beati Petri Cathedræ judicio obſtinaté præferre? Quæ obedientia? Apoſtolicis definitionibus reluctari? Quæ tandem charitas? injuriis, & contumeliis agere, iras, rixas, & contentionos ubique diſſeminare? Agnoſcant igitur, Divini luminis irradiante fulgore, quàm gravibus coram Deo, & Eccleſiâ reatibus, & periculis involvantur. Meminerint ſcriptum eſſe, quòd quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare, & quaſi ſcelus Idololatriæ eſt nolle acquieſcere. Omnipotentis Dei, qui ſuperbis reſiſtit, tremendum, & imminens ſibi judicium timeant, Eccleſiæque pacem ſimul, & Reipublicæ tranquillitatem perturbare tandem aliquando deſiſtant. Reliquos deinde Vos omnes per univerſum Terrarum Orbem Apoſtolicæ Fidei cultores paterné admonemus, requirimus, & obteſtamur, ut ad eos, qui veniunt ad Vos in veſtimentis ovium, probé dignoſcendos, certiſſimam illam, quam Dominus, ac Salvator noſter Nobis reliquit,

liquit, Regulam adhibeatis, videlicet: A fructibus eorum cognoſcetis eos. Qui autem fructus iſti ſint, ex eorum, qui Conſtitutioni Noſtræ ſe ſe ſubmittere renuerunt, contumaciâ provenientes, toti jam pene Chriſtiano Orbi nimiùm perſpecti ſunt, & manifeſti; de illis proptetea, né acerbiſſimi doloris noſtri vulnera refricemus, prolixiùs eloqui libenter abſiſtimus. Nolite ergo, filij dilectiſſimi, Voſque potiſſimùm, qui ut loco, ita & periculo propinquiores eſtis, nolite effici participes eorũ, nolite omni ſpiritui credere, doctrinis, variis & peregrinis nolite abduci, ſed ſanam, & Orthodoxam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Doctrinam, quæ ſacrum Fidei depoſitum intemeraté ſervat tutò ſequimini, & firmitet cuſtodite. Nos verò, quos cæteris zelo Domûs Dei non minùs, quàm Dignitate, præire oportet, ut ingruentium tot malorum gravitati, quantum rerum, & temporum præſens conditio patitur, opportuné occurramus, præſertim né Paſtores errantes, & in errorem mittentes, diſperdere, & dilacerare gregem Domini, nemine cohibente, proſequantur. Néve oves Chriſti, Nobis tacentibus, rapi in præcipitia ſe ſinant, univerſis Chriſti fidelibus, quid interim graviſſimâ hac in re Nos agere duxerimus, palam edicere, ac declarare ſtatuimus. Noverint ergo omnes, qui ubicunque terrarum Catholico nomine gloriantur, Nos, qui Unigeniti Filij Dei, & Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti vices, nullo licét meritorum noſtrorum ſuffragio, in terris gerimus, eos omnes, cujuſcumque ſtatûs, gradûs, Ordinis, & conditionis illi ſint, etiamſi Epiſcopali, Archiepiſcopali, aut aliâ quàlibet, etiam Cardinalatûs Dignitate præfulgeant, qui memoratæ Conſtitutioni Noſtræ debitam, & omnimodam obedientiam præſtare hactenus recuſarunt, aut in poſterùm recuſare auſi fuerint, ut veros Sanctæ Romanæ Eccleſiæ filios non agnoſcere: neque ut Nobis, & Beati Petri Cathedræ, quod falſó autumant, adhærentes, & conſentientes, ſed contrà potiùs uti aperté inobedientes, ac notorié contumaces, & refractarios habere, tenere, ac reputare; & quoniam primò ipſi à Nobis, & Sanctâ Romanâ Eccleſiâ, ſi minùs expreſſis verbis, factis certé, pertinaciſque, & obduratæ mentis multiplici ſignificatione receſſerunt, illos ſimiliter à Nobis, tanquam à Noſtrâ, & ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ charitate prorſus ſegregatos haberi; nullamque proinde

No-

Nobis, & ipſi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ deinceps cùm illis communionem Eccleſiaſticam exituram, donec (quod faxit Deus) integré reſipiſcant, rejectâque penitus audaciâ refragandi, per exhibitionem veræ obedientiæ, quam complures eorum Romano Pontifici Beati Petri Succeſſori, ac Jeſu Chriſti Vicario in ipſâmet ſolenni profeſſione Catholicæ Fidei, interpoſitâ jurisjurandi Religione, ad Sancta Dei Evangelia ſæpiùs ſpoponderunt, priſtinæ charitati, & unitati ab eâdem Apoſtolicâ Sede reſtitui mereantur. Ad Vos poſtremò, Venerabiles Fratres, Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, cæterique omnes Eccleſiarum Præſules, gaudium noſtrum, & corona noſtra, Apoſtolicæ dilectionis noſtræ ſermonem convertimus, hortantes Vos, & obſecrantes in Domino, ut pro eo, quo polletis, Paſtorali zelo commiſſas Vobis Chriſti Oves à venenatis paſcuis, ideſt profanarum Vocum, & Doctrinarum novitatibus ſedulò arceatis, ſimulque paternam ſolicitudinem noſtram in revocandis ad ſaniora conſilia quibuſcunque diſſidentibus efficaciùs adjuvetis ita, ut Vobis indivulſam cùm Sanctâ Romanâ Eccleſiâ in Doctrinâ Fidei unitatem, quod jam plerique Veſtrûm egregié præſtitiſtis, firmiſſimé profitentibus, Chriſtiani omnes agnoſcant Vos longé ab iis eſſe, qui elongaverunt ſe à Nobis, ac illorum damnabilem inobedientiam unà Nobiſcum averſari, & improbare, eoſque, niſi reſipuerint, à communis ſocietatis charitate prorſus alienos habere. Utinam qui Paternis hactenus humilitatis noſtræ vocibus reluctati ſunt, Vobis omnibus non modò arguentibus, obſecrantibus, & increpantibus, ſed & ab eorum conſortio penitus abſtinentibus, erubeſcant, confundantur, & convertantur, detque illis Deus pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, ut ſecundùm Apoſtolicam Doctrinam id ipſum tandem dicamus omnes, & non ſint in Nobis ſchiſmata: ſimus autem perfecti in eodem ſenſu, & in eâdem ſententiâ, auxiliante Nobis per omnia gratiâ Dòmini Noſtri Jeſu Chriſti, cui eſt honor, & gloria in ſæcula. Amen. Ut autem præſentes literæ ad omnium Fidelium quibuſcunque locis exiſtentium notitiam faciliùs perveniant, volumus earum exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarij publici ſubſcriptis, ac ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſticâ Dignitate conſtitutæ munitis, eandem prorſus fidem haberi, quæ ipſis origi-

originalibus literis haberetur; ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ admonitionis, edicti, declarationis, hortationis, obſecrationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo decimo octavo, quinto Kalendas Septembris, Pontificatûs Noſtri anno XVIII.

I. Card. Pro-Datarius. F. Card. Oliverius.

Viſa de Curia L. Sergardus Pro-Abbreviator.

L. Martinettus.

Loco ✠ plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo decimo octavo, Indictione undecima, die verò 8. menſis Septembris, Pontificatûs autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Clementis Divina providentiâ Papæ XI. anno ejus xviij. ſupradictæ Literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, Magnæ Curiæ Innocentianæ, in Acie Campi Floræ, ac aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Antonium Placentinum Apoſtolicum Curſorem.

Ludovicus Cappellus Mag. Curſ.

FINIS.

INDEX

QUÆSTIONUM SPECTANTIUM AD VARIOS Tractatus Theologiæ Scholaſticæ, quæ in hoc opere uberiori calamo diſputantur.

Ad Tractatum de Viſione Dei.

UTrùm Lumen gloriæ ſit totale principium Viſionis Beatæ, an ſolùm comprincipium juvans intellectùm ad actum Viſionis eliciendum? cap. 4. ſect. 3. n. 8.

Ad Tractatum de Voluntate Dei.

Utrùm in Deo detur voluntas generalis, & antecedens ſalvandi omnes homines? cap. 7. ſect. 8. & cap. 11. à num. 1.
Utrùm hæc Dei voluntas antecedens ſit beneplaciti, an ſigni? cap. 7. ſect. 11. à num. 1.
Utrùm voluntas antecedens habeat aliquam efficacitatem? cap. 7. ſect. 11. à num. 13.

Ad Tractatum de Natura humana integra, & lapſa.

Utrùm ſtatui naturæ humanæ integræ gratia fuerit connaturaliter debita? cap. 11. num. 10.
Utrùm homo poſt lapſum Adæ, imò & poſt actuale peccatùm commiſſum habeat neceſſariam potentiam ad rectè operandum? cap. 3. ſect. 7. n. 1.

Ad Tractatum de Actibus humanis.

Utrùm omnia opera peccatoris ſint peccata? cap. 3. ſect. 5.
Utrùm omnes impiorum actiones humanæ peccaminoſæ ſint, & malæ? cap. 4. ſect. 1.

Ad Tractatum de Legibus.

Utrùm Divinæ Legis præcepta ſint impoſſibilia, ut obſerventur? cap. 4. ſect. 2.
Quænam differentia detur inter Leges Novam, & Veterem? cap. 6. ſect. 1.

Ad Tractatum de Gratia.

Utrùm ſtatus Gratiæ habitualis ſit neceſſarius, ut actiones humanæ non ſint peccaminoſæ, ſed moraliter honeſtæ? cap. 3. ſect. 5. cap. 7. ſect. 2. & cap. 15. per totum, & per ſectiones 1. 2. 3. 4. ejuſdem capitis.
Utrùm influxus habitualis gratiæ ſit neceſſarius ad omnes, & quoſcunque actus ſupernaturales eliciendos? cap. 4. ſect. 1.
Utrùm operatio Divinæ Gratiæ in nobis excludat noſtram cooperationem? cap. 4. ſect. 2. & cap. 6. ſect. 4. & cap. 8. ſect. 1. num. 2.
Utrùm detur hominibus gratia ſufficiens ad obſervantiam Legis à Deo conditæ? cap. 6. ſect. 2.
Utrùm verum ſit dari auxilium ſufficiens Divinæ Gratiæ? cap. 7. à num. 4. & per ſequentes ſectiones 1. 2. 3. 4. & aliis locis per totum cap. 7.
Utrùm efficacitas gratiæ creatam libertatem comprimat? cap. 7. ſect. 5. 6. & 7. & cap. 8. ſect. 1.
Utrùm Fides, aut remiſſio peccatorum ſit prima gratia, quam Deus impiis concedit? cap. 9. à num. 6.
Utrùm ſtatui naturæ integræ Divina gratia fuerit connaturaliter debita? cap. 11. num. 10.

Ad Tractatum de Juſtificatione impij.

Utrùm impiorum juſtificatio fiat per formam intrinſecè inhærentem, an per ſolam Chriſti juſtitiam impio extrinſecè imputatam? cap. 12.
Utrùm Fides ſit formaliter juſtificativa? cap. 16. num. 1. & 6.

Ad Tractatum de Merito.

Utrùm ad meritum neceſſaria ſit libertas à neceſſitate, nec ſufficiat libertas à coactione? cap. 8. ſect. 1. num. 1. 4. & ſeq.

Ad Tractatum de Virtutibus, & Vitiis.

Utrùm virtutes morales per quamlibet amiſſionem gratiæ ſemper deperdantur? cap. 3. ſect. 1. num. 5.

Ad Tractatum de Fide.

Utrùm, amiſſa gratiâ, Fides ſemper amittatur? cap. 3. ſect. 2. num. 20. & ſect. 3. per totam.
Utrùm Fides ſit prima gratia, quam Deus concedit? cap. 9. num. 6.
Utrùm Fides ſit virtus diſtincta, & ſeparabilis ab Spe, & Charitate? cap. 16. n. 18. & ſequentibus.
Utrùm Fides ſit forma juſtificans? cap. 16. num. 1. & 6.
Utrùm ſola Fides, omiſſis aliis bonis operibus, ſufficiat ad ſalutem? cap. 24.

Ad Tractatum de Summo Pontifice, & Eccleſia.

Utrùm Summus Pontifex è Cathedra loquens pro definiendis rebus, quæ ad Fidem pertinent, etiam extra Concilium infallibilitate gaudeat? In Procem. num. 2.
Utrùm in decretis morum Summus Pontifex poſſit errare? In Procem. n. 19.
Utrùm à Sententia Summi Pontificis ad futurum Concilium

Generale poſſit appellari? In Procem. num. 25.
Utrùm de fide ſit hunc Romanum Pontificem Regnantem eſſe verum Chriſti Vicarium, & Petri legitimum ſucceſſorem? In Procem. num. 29.
Utrùm Eccleſia conſtet ex ſolis juſtis, an etiam ex peccatoribus? Ex ſolis Prædeſtinatis, an etiam ex reprobis? cap. 28. per totum.
Quæ ſit forma conſtitutiva membrorum Eccleſiæ? cap. 28. ſect. 2. num. 6.
Eccleſia cur dicatur Catholica? Ibidem num. 10.

Ad Tractatus de Spe, & Timore.

Utrùm, amiſſa Gratiâ per quodlibet peccatum, Spes etiam ſemper amittatur? cap. 3. ſect. 2. num. 2. Et cap. 18. per totum.
Utrùm Spes ſit virtus diſtincta, & ſeparabilis à Fide? cap. 16. à num. 18.
De Timore laté agimus toto cap. 21. & cap. 22. & cap. 23.

Ad Tractatum de Charitate.

Utrùm omnes actiones humanæ debeant oriri à Charitate ſupernaturali, & ordinari in Deum ſummé dilectum? cap. 15. à num. 1. ante ſectionem 1. & tota ſect. 1. ejuſdem capitis.
Utrùm influxus Charitatis ſupernaturalis ſit effectivum principium omnino requiſitum, ut actiones humanæ ſint moraliter bonæ? cap. 15. ſect. 2.
Utrùm actiones humanæ debeant referri in Deum per Charitatem ſupernaturalem, ut ſint moraliter honeſtæ? cap. 15. ſect. 3.
Utrùm dentur virtutes aliquæ à Charitate diſtinctæ? cap. 17. num. 9.
Utrùm ſoli actus Charitatis ſint meritorij? cap. 17. à numer. 10.

Ad Tractatum de Incarnatione Verbi Divini.

Utrùm Chriſtus mortuus fuerit, & ſanguinem fuderit pro omnibus? cap. 6. ſect. 8. 9. 10. & cap. 10. numer. 1. & ſequent.

Utrùm Chriſti actiones fuerint à Deo prædefinitæ, liberæ, & meritoriæ? cap. 8. ſect. 2. num. 6. & ſequent.

Ad Tractatum de Sacramento Baptiſmi.

Utrùm hoc Sacramentum baptizatos reddat impeccabiles? cap. 14.

INDEX
RERUM PRINCIPALIUM, QUÆ IN HOC Volumine continentur.

A

SUi, & terrenorum omnium *abdicatio* non eſt neceſſaria ad ſalutem, cap. 10. num. 6. 10. & ſeq.
Nonnulli *actus ſupernaturales* ſunt qui à gratia ſanctificante nõ pendent, cap. 15. ſect. 2. num. 3.
Ut *actus humani* ſint moraliter boni, non eſt neceſſe quòd fiant propter Deum ſummé dilectum, cap. 15. ſect. 3. per totam.
Actiones humanæ qualiter in Deum debeant referri. Ibidem n. 2. 6. & 12.
Probabile eſt *Adamum* non fuiſſe gratià ornatum in ſui creatione, cap. 11. n. 8.
Certum tamen eſt *Adamum* potuiſſe à Deo creari abſque gratia. Ibid. n. 9.
Afflictiones hujus Mundi dantur aliquando, ut peccatum expurgetur, & meritum augeatur, cap. 26. num. 1.
Errant qui docent Deum nunquam *affligere* innocentes. Ibid. num. 2. & ſeq.
Deum diligere *amore* mercenario, ſive concupiſcentiæ peccaminoſum non eſt, cap. 10. num. 6. & ſeq.
Duplici *amore* diligitur Deus, cap. 11. num. 18.
Utrùm ad *amorem* Dei ſuper omnia, ut finis naturalis, requiratur actualis, aut habitualis gratia? cap. 15. ſect. 4. numer. 4.

Deus

Deus eſt amabilis *amore* naturali, & ſupernaturali, cap. 23. ſect. 1. num. 2. & ſeq.

A Summo Pontifice *appellantes* ad futurum Concilium Generale excommunicantur. Procem. num. 24. Nec valet *Appellatio*. Ibid. & ſeq.

Attritio, ſive imperfecta contritio laudatur à Concilio Tridentino, cap. 3. ſect. 5. num. 4.

Appellatio quid ſit? Procem. num. 28.

In Jure Civili prohibitum eſt *appellare* à Principe, aut à Senatu. Procem. num. 28.

Appellantes à Summo Pontifice ad Generale Concilium futurum committunt ſacrilegium contra perſonam Summi Põtificis, & Schiſmati favent. Procem. n. 27.

Divus *Auguſtinus* à Summis Pontificibus magnis laudibus honoratur, cap. 7. ſect. 10. num. 4.

Dari *auxilia* gratiæ ſufficientis eſt omnium Theologorum; & varié oſtendimus, cap. 7. num. 5. ante ſectionem primam. Et eodem cap. ſect. 1. per totam, & ſect. 2. per totam. Et ſect. 4. num. 5. & ſeq. Et ſect. 9. num. 12. 13. & ſeq. Et ſect. 11. num. 13.

Auxilia ſufficientia ad credendum nec etiam Barbaris negatur, cap. 7. ſect. 9. à num. 13.

Non ſolùm naturæ integræ, ſed etiam naturæ lapſæ conceſſa ſunt *auxilia* ſufficientia, cap. 7. ſect. 3. num. 9. & num. 13.

Unum *auxilium* ſufficiens poteſt eſſe alio uberius, cap. 7. ſect. 3. num. 10.

Quænam ſit differentia inter *auxilia* pro ſtatu naturæ lapſæ, & integræ? Ibid. num. 14.

Auxilium ſufficiens in ſe continet quidquid requiritur ad poſſe, ſive ad conſtituendum actum primum expeditum, cap. 7. ſect. 4. num. 9. 10. 11.

Janſenius negat *auxilia* ſufficientia, & Chriſtum pro omnibus paſſum, cap. 7. ſect. 8. num. 2. & num. 8.

Erravit

B

ERravit *Baius* docendo libertatem à coactione ſufficere ad meritum, cap. 7. ſect.5. §.2. num. 12.
Per *Baptiſmum* omnes pertinent ad Novum Teſtamentum, cap.6. ſect.4. num.7.
In *Baptiſmo* omnis pœna originalis peccati remittitur, cap. 7. ſect.2. num.6.
Baptiſmus non reddit homines impeccabiles, cap. 14. à num. 2.
Baptiſmus ſemper confert gratiam, nō ponentibus obicem. Ibid. num. 9.
Baptiſmus cum fictione receptus, ablata fictione, confert gratiam ſtatim. Ibid. num. 8.
Gratia *Baptiſmalis* ſolùm expellit id, quod habet veram,& propriam rationem peccati. Ibidem num. 13.
In *Baptiſmo* culpa, & illius pœna remittitur, cap. 26. num. 7.
Sancti P. *Benedicti* Regula præ oculis habetur in Conciliis, veluti norma venerabilis ad reformationem, cap.10. num.3.

C

CAuſa prima effectivé, & influxivé concurrit cum ſecundis, cap. 7. ſect. 1. num. 3.
Charitatis, & amoris Dei præceptum qualiter obliget? cap. 3. ſect. 6. num. 4. & 7.
Non datur præceptum operandi omnia ex *Charitate* propter Deum. Ibid. num. 6. Et latiùs toto cap. 15. à num. 1.
Præter *Charitatem* dantur plures aliæ virtutes, cap.17. num.9.
Non ſolùm actus *Charitatis*, ſed aliarum etiam virtutum ſunt meritorij. Ibidem num. 11.
Charitas expellit timorem, & quomodo? cap.21. ſect.2. num.1.
Chriſti Anima ornata fuit gratiâ, non autem Fide, cap. 3. ſect.3. num. 3.
Chriſtus pro omnibus fuit paſſus, & mortuus, cap.6. ſect.2. num. 12. & ſect.8. Et cap.10. num.3. & ſeq.

Chriſtus pro omnibus oravit, & quando, cap. 7. ſect.9 .num.6. & ſeq.
Chriſti Oratio an ſemper fuerit exaudita? cap. 7.ſect.10. n. 13.
Chriſti Voluntas humana Divinæ fuit per omnia conformiſ. Ibid. num.14.
Chriſtus etiam mortuus eſt pro illis,qui jam tunc erant in damnatione æterna. Et quomodo? cap.7.ſect.10.num.1.
Quomodo actiones *Chriſti* fuerint liberæ,& meritoriæ? cap.8. ſect.2. num.6.& ſeq.
Qualiter *Chriſtus* dicatur factus nobis juſtitia, cap. 12. num. 8.
Chriſtus eſt caput Angelorum, cap.38.num.3.& 4.
Decreta *Conciliorum*, niſi firmentur à Papa, infallibiles regulæ Fidei non erunt. Procem.num.10.
Conciliorum Generalium utilitas,& neceſſitas, Procem. num. 18.
Contritio quid ſit? cap. 22. num.12.
Contritio Charitatem involvit, ibidem.

D

DEus eſt cauſa prima omnium noſtrarum operationum, cap.4.ſect.3.num.4.
Deus multifariam in nobis eſt, cap. 19. num. 2.
Poteſt quis ratione naturali cognoſcere *Deum* peccatis offendi, cap. 23.ſect.2. num.4.
Offenſa *Dei*, ſive peccatum, ut talis cognita, poteſt naturaliter diſplicere, ibid. num. 5.
Diſpenſatio quid ſit, cap. 27.num. 3.
In lege ſolus Superior poteſt *diſpenſare*, ibidem.
In Divino, aut naturali jure neque Papa poteſt *diſpenſare*, ibid. num. 4.
Nec Deus poteſt *diſpenſare* in præceptis Decalogi, ibid. & ſeq.

E

ECcleſia qualiter Angelos comprehendat, cap. 28. num. 3. ante ſect. 1.
Non ſoli juſti ſunt de *Eccleſiâ*, ſed etiam peccatores, cap. 28. ſect. 1.

Non

Non ſolùm, neque ſemper Prædeſtinati ſunt de *Eccleſià*, cap. 28. ſect. 2. à num. 2.
Quænam ſit forma, per quam aliquis conſtituatur membrum Eccleſiæ? ibid. à num. 6.
Eccleſia cur dicatur Catholica? ibidem num. 10. & ſeq.
Ab *Eccleſià* non poteſt veritas deficere, cap. 37. num. 2. & ſeq.
Catholica, & Romana Dei *Eccleſia* non ſeneſcit, nunquam deficiet, ſemper ſtabit, ibidem, num. 6. & ſeq.
Eunuchus Candacis laudatur, cap. 29. ſect. 3. num. 2.
Poteſtas *excommunicandi* non Eccleſiæ cœtui, ſed perſonaliter Petro, & ſucceſſoribus data eſt, cap. 33. num. 1. & ſeq.
Excommunicatio ex variis principiis poteſt eſſe injuſta, cap. 34. num. 2. & ſeq.
Neque omnis excommunicatio injuſta eſt eo ipſo irrita, ibid. num. 5. & ſeq.

F

Concluſio deducta ex una præmiſſá de *Fide*, & alterà evidenter notà, eſt de *Fide*. Proœm. num. 31.
Fides non deperditur per quodlibet peccatum, quoties amittitur gratia, cap. 3. ſect. 2. num. 2. & ſeq. & ſect. 3. per totam, & cap. 16. num. 19.
Fides dividitur in vivam, & mortuam; formatam, & informem, cap. 3. ſect. 2. num. 4.
Actus *Fidei* in adulto ante ſuſceptionem Baptiſmi, producitur ab habitu Fidei, cap. 3. ſect. 3. num. 1.
Habitus *Fidei* quomodo excludatur per peccatum hæreſis, cap. 3. ſect. 3. num. 11. 13.
Neques *Fides*, neque peccatorum remiſſio eſt gratia prima, quam Deus nobis concedit, cap. 9. num. 6.
Fides non eſt forma juſtificans, cap. 16. num. 1. 5. & 6.
Fides diſtinguitur à Charitate, & Spe, cap. 16. num. 1. & 18.
Fides eſt ſeparabilis ab Spe, & Charitate, cap. 16. num. 19.
Præter *Fidem* dantur nobis à Deo alia ad ſalutem media, cap. 16. num. 22. & cap. 24. num. 2.
Fides ſine operibus non ſufficit ad ſalutem, cap. 24. n. 3. & ſeq.

Habitus *Fidei* à ſolo Deo poteſt phyſicè produci, & infundi, cap. 25. num. 2.
Non poteſt homo mereri de condigno eandem primam *Fidei* infuſionem, ibid. n. 3.
Noſtræ *Fidei* augmentum non eſt ſolum, ac purum donum indebitum liberalitatis Dei, ibid. num. 5. & ſeq.
Actus *Fidei* noſtræ eſt liber, & meritorius, ibid. num. 8. 9. & 10.
Fides quomodo, & per quos actus in hac vitâ augeatur, ibid. n. 12. & ſeq.
Eſſet vera *Fides* Theologica, quam haberet Gentilis, deductam ex principiis naturalibus, ſed cum auxilio Divinæ gratiæ, cap. 7. ſect. 9. num. 18.
Finis hominis duplex eſt, cap. 11. num. 4. 5. 18.
Qualiter homo dirigatur ad ſuos fines, naturalem, & ſupernaturalem? cap. 11. num. 18.

G

G*Entilis* quomodo ad Fœdus Judaicum admittebatur; cap. 6. ſect. 4. num. 6.
Quomodo poſſit *Gentilis* ſe diſponere ad infuſionem Fidei, eamque mereri de congruo, cap. 25. num. 8.
Gratia habitualis non requiritur ad actiones moraliter tantùm bonas, cap. 3. ſect. 5. num. 5. & 6. & ſect. 7. num. 5. & 6.
Status *gratiæ* ſanctificantis non eſt logicè requiſitus ad eliciendos omnes actus virtutum ſupernaturalium, cap. 4. ſect. 1. num. 1. & ſeq.
Multiplex *gratiæ* diviſio. Ibid. num. 3. & cap. 7. num. 4.
Probabile eſt habitum *gratiæ* non influere in actus Charitatis; cap. 4. ſect. 1. num. 5.
Gratia habitualis non infunditur immediatè in potentiis, ſed immediatè in eſſentia Animæ, & per modum naturæ, cap. 4. ſect. 1. num. 6. Concurſus Divinæ *gratiæ* ad noſtras actiones non excludit noſtram cooperationem, cap. 4. ſect. 2. num. 9. & cap. 6. ſect. 4. num. 1. & cap. 8. ſect. 1. num. 2.
Gratia neceſſaria, & ſufficiens ad obſervanda Præcepta Dei, nobis non deeſt, cap. 4. ſect. 2. num. 4. & aliis.

Multorum eſt opinio Divinam *gratiam* aliquando hominibus negari propter graviſſima, & innumera peccata, cap. 4. ſect. 3. num. 2.

Gratia exterior quid ſit? cap. 5. num. 1.

Gratia exterior de ſe ſemper eſt utilis, ibid. num. 2.

Et nullo modo poteſt ea *gratia* inſervire ad obdurandum cor hominis, ibid. num. 4.

Gratia exterior juvat ad victoriam tentationum, ibid. num. 5.

Deus nulli hominum denegat *gratiam* ſufficientem ad obſervandam legem, quam ſtatuit, cap. 6. ſect. 2. à num. 1.

Differentia inter *gratiam* ſufficientem, & efficacem, cap. 7. num. 1.

Nonnulli articuli ex damnatis, negantes *gratiam* ſufficientem, ibid. num. 2.

Impoſſibile eſt hominem *gratiâ* deſtitutum, poſſe obſervare perfecté totam Dei Legem, cap. 7. ſect. 2. num. 8.

Non ſolùm naturæ integræ, ſed etiam naturæ lapſæ conceſſa ſunt auxilia gratiæ ſufficientis, cap. 7. ſect. 3. num. 9. & 13.

Efficacitas *gratiæ* non comprimit noſtram libertatem, cap. 7. ſect. 5. num. 2. & deinde §. 1. per totum, & §. 2.

Naturæ Angelicæ *gratia* non fuit connaturaliter debita, cap. 11. num. 9.

Neque item naturæ humanæ integræ, cap. 11. numer. 10. & ſeq.

Gratia juſtificans quid ſit? cap. 12. num. 11.

Augmentnm *gratiæ* qualiter, & per quænam opera fiat? cap. 17. à num. 15.

Influxus *gratiæ* ſanctificantis non eſt per ſe requiſitus, ut actiones humanæ ſint naturaliter bonæ, cap. 15. ſect. 2. numer. 1.

Aliquot actiones ſupernaturales à gratia ſanctificante non pendent, ibid. num. 3.

I

JAnſenij propoſitiones damnatæ à multis Summis Pontificibus, cap. 7. ſect. 2. num. 10. 11. item cap. 36. num. 5. & ſeq.

Præfatæ

Præfatæ propoſitiones *Janſenij* Fidem, & mores lædunt, cap. 36. num. 5. & ſeq.
Janſenius negat auxilia ſufficientia, & Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum, cap. 7. ſect. 8. num. 2. & 8.
Quamplures actus eliciuntur ab *impiis*, qui tamen ſunt moraliter boni, cap. 3. ſect. 5. num. 2. & cap. 13. ſect. 1. per totam.
Etiam ab *impiis* eliciuntur nonnulli actus ſupernaturales. Ibid. num. 5.
Impius adhuc poſt amiſſam gratiam retinet ſufficientem, & neceſſariam potentiam ad bene operandum moraliter, cap. 3. ſect. 7. num. 1.
Valde dubium, an abſque auxilio adjuvantis gratiæ poſſit *impius* elicere actus in virtutibus moralibus? Ibid. num. 2. 3. & 4.
Moralis poteſtas ad bona opera virtutum moralium, conceditur *impiis* ex indulgentia Dei, cap. 3. ſect. 8. num. 5. & ſeq.
Quænam ſit *infidelitas* puré negativa? cap. 7. ſect. 9. num. 20.
Infideles multa operantur honeſté, & laudabiliter, cap. 13. ſect. 1. num. 3.
Inſtinctus naturalis quid ſit? cap. 23. ſect. 1. num. 1.
Juramentum eſt actus Religionis, cap. 40. num. 2.
Juramenta illicita prohibentur ſub præcepto, licita ſub conſilio. Ibid. num. 5. & ſeq.
Datur præceptum præſtandi *juramenta*, & quando? Ibid. numer. 8.
Juſtiſſimè exigitur *juramentum* de damnandis erroribus Janſenij, ibid. num. 8.
Licitum eſt *juramentum* exigere cum juſta cauſa ab eo, quem non certò ſcimus eſſe pejeraturum. Ibid. num. 9.
Et aliquando etiam ab eo, qui ſub dubio cenſetur pejeraturus. Ibidem.
Aſt cum neceſſitate, ab eo etiam, quem certò credimus pejeraturum. Ibid.
Juſtificatio apud S. Scripturam dicitur creatio, & cur? cap. 8. ſect. 2. num. 3. & ſeq.
Errat Calvinus, negans quòd gratia intrinſecé, inhærens nobis

bis infundatur in noſtra *juſtificatione*, cap. 12. per tot.
Non poſſet impius ſe diſponere ad *juſtificationem*, ſi omnia illius opera peccata eſſent, cap. 15. ſect. 1. num. 3.

L

LAtria quid ſit? cap. 19. num. 5.
In *Lege* veteri quomodo homines juſtificabantur, cap. 6. ſect. 3. num. 4.
Quo tempore *Lex* vetus ceſſaverit? cap. 6. ſect. 4. num. 4.
Utrùm *Leges* Eccleſiaſticæ, aut Civiles, ut obligent, prærequirant populi acceptationem? cap. 33. ſect. 2. num. 14. & ſeq.
Quænam promulgatio ſufficiat, ut *Leges* Pontificiæ obligare dicantur? Ibid. num. 17.
Efficacitas gratiæ non comprimit *libertatem* creatam, cap. 7. ſect. 5. num. 2. & deinde §. 1. per totum, & §. 2.
Erravit Baius aſſerendo in operibus meritoriis ſufficere *libertatem* à coactione, cap. 7. ſect. 5. num. 12.
Deus non deſtruit *libertatem* per gratiam, imò perficit, cap. 7. ſect. 5. §. 2. num. 16. & ſect. 6. & 7. & cap. 8. ſect. 1. numer. 1.
Quomodo ſint, aut poſſint eſſe *libera* quæ fiunt ex timore? cap. 23. ſect. 2. num. 6.
Actus *Luxuriæ* ideo prohibiti, quia de ſe ſunt mali, cap. 27. num. 6.

M

NEmo poteſt *mereri* de condigno infuſionem Fidei, cap. 25. num. 3.
Ad meritum de condigno requiritur ſtatus gratiæ, ibidem.
Meritum quid ſit, & an detur? cap. 8. ſect. 1. num. 3. & cap. 11. num. 1.
Ad *meritum* neceſſaria eſt libertas, cap. 8. ſect. 1. num. 4. & 5.
Neque ſufficit libertas à coactione, ſed requiritur libertas à neceſſitate. Ibid. num. 7. & ſect. 2. num. 15.

Im-

Implicat, gratiam Adami, produxiſſe *merita* humana, cap. 11. num. 1.

Meritum duplex; naturale, & ſupernaturale, cap. 15. ſect. 3. num. 15.

An ad rationem *meriti* ſupernaturalis, ſufficiat in operante ſtatus habitualis gratiæ, abſque alia ulla operis relatione in Deum? cap. 17. num. 3. & ſeq.

Bona opera quæ fiunt in gratia, ſunt *meritoria* ulterioris gratiæ, & beatitudinis, cap. 24. num. 8. & ſeq.

Nullum eſt *meritum*, ſi nihil operamur, cap. 25. num. 1.

Non eſt de praxi Apoſtolica, quód populus, & Sacerdos ſimul, in *Miſſarum* celebrationibus, repetant verba Canonis, & conſecrationis, cap. 30. num. 2.

Varij ritus antiqui, dùm *Miſſarum* ſolemnia agebantur, cap. 30. per totum.

Sacrificium *Miſſæ*, linguis vernaculis celebrari non debet, cap. 30. num. 6.

Poſſunt peccatores, imò debent, Sacrificio *Miſſæ* intereſſe, cap. 32.

Doctrina *Molinæ*, eſt nova, & peregrina, ibid. num. 2.

Monarchica gubernatio; eſt omnium optima, cap. 33. ſect. 1. num. 5.

Qui cum juſta cauſa *mutuum* petit ab uſurario non peccat, cap. 40. numer. 9.

N

N*Abucodonoſor*, poſt ſeptennium pœnitentiæ Deum laudat, cap. 6. ſect. 2. num. 9.

Naturæ, & integræ, & lapſæ, conceſſa ſunt auxilia ſufficientia, cap. 7. ſect. 3. num. 9. & num. 13.

Quænam ſit differentia inter auxilia, & adjutoria Divinæ gratiæ, pro ſtatu *naturæ* integræ, & ſtatu *naturæ* lapſæ? cap. 7. ſect. 3. num. 14. & cap. 12. num. 13.

Gratia non fuit debita *naturæ* integræ, cap. 11. num. 2. num. 10. & ſeq.

Quiſnam ſit ille ſtatus *naturæ* integræ, in quo Adamus creatus eſt? cap. 11. num. 6.

O

O*Pera* noſtra; alia viva; alia mortua; alia mortifera; alia mortificata, cap. 3. ſect. 2. num. 4.
Oratio impiorum, non ideo eſt peccaminoſa, cap. 20. per tot.
Oratio eſt ad ſalutem neceſſaria, & de præcepto Divino, cap. 20. num. 1.
Oratio impiorum, multoties impetratoria eſt, cap. 20. numer. 2.
Dici nequit, quòd ſubtractio ſufficientis gratiæ, fiat in pœnam *Originalis* delicti, cap. 7. ſect. 2. num. 5.
In Baptiſmo omnis pœna *Originalis* peccati remittitur. Ibid. num. 6. & 7.
Magna Dei miſeratio erga homines, poſt lapſum in *Originale*. Ibid. num. 7.
Peccatum *Originale* quid eſſentialiter importet? cap. 14. numer. 15.
Originale peccatum, quatuor vulnera naturæ humanæ inflixit, ibid. numer. 14.
Effectus varij *Originalis* peccati, cap. 26. num. 8.
Juſtitia *Originalis* quid eſſet? Ibid. num. 8.

P

AUthoritas, & juriſdictio *Papæ*, nulli hominum, nec toti Eccleſiæ, ſubjecta eſt, cap. 33. ſect. 1. per totam.
Papa de cujus electione, & authoritate prudenter dubitatur, tenetur obedire Concilio Generali, cap. 33. ſect. 2. num. 7.
Pelagianorum, & Semipelagianorum error, qualis? cap. 36. numer. 9. & ſeq.
D. *Petri* cum Simone Mago diſputatio circa libertatem creatam, cap. 7. ſect. 6. num. 5.

Petri de Oſma error, à Xyſto IV. damnatur cap. 31. num. 1.
Pharaonis cor, Deus quomodo induraverit, cap. 5. num. 9.
Pœnitentia orta ex pœnarum metu, non inducit in deſperatio-nem, cap. 21. ſect. 1. num. 8.
Summus *Pontifex* loquens è Cathedrà, in iis, quæ pertinent ad Fidé, gaudet infallibilitate. Procem. num. 2. & ſeq. & cap. 36. num. 1. & ſeq.
Et hoc, etiam extra Concilinm., ibid. num. 8.
Summus *Pontifex* eſt regula firma, pro dirimendis controverſiis in materiis Fidej. Procem. num. 5.
Mos fuit Eccleſiæ, omni ætate, recurrere ad Summum, *Pontificem* pro ſolvendis controverſiis circa dogmata Fidej, ibid. n. 6.
Summus *Pontifex*, quando dicatur è Cathedrà loqués? ibid. n. 8.
Infallibilis aſſiſtentia Spiritûs Sancti in definitionibus Fidei, Summis *Pontificibus* promiſſa eſt à Deo, independenter à Concilio Generali. Procem. num. 9.
Eccleſia tenetur obedire Summo *Pontifici*, etiam extra Concilium præcipienti, num. 10.
Summus *Pontifex*, etiam ut perſona particularis, non poteſt errare in Fide. Procem. num. 13.
Non requiritur quod Summus *Pontifex* Doctores conſulat, ut ejus definitio in rebus Fidei ſit infallibilis. Procem. num. 15.
Si *Pontifex* Doctores non conſulat, ut definiat in rebus Fidej, non ideo procedet imprudenter. Ibid.
Hinc prudenter procedet, ſi conſulat Eminentiſſimos D. D. Cardinales: aut aliquos Docthores, quanvis non in publicum cætum congregatos. Procem. num. 16.
Summus *Pontifex* poteſt errare in decretis morum, quæ pendent ex ſolo facto. num. 19.
Non poteſt errare in decretis morum, Eccleſiam docendo, intuitu ſalutis æternæ. Prom. num. 20. & cap. 36. num. 1. & ſeq.
Pontifex in decretis morum, loquitur etiam aliquando de Cathedrà. Proæm. num. 21.
Nullus *Pontifex* loquens è Cathedrà, unquam erravit. ibid. num. 24.
De Fide eſt, Clementem XI. eſſe verum Summum *Pontificem*. Proæm. num. 29.
De Fide eſt, eſſe verum Summum *Pontificem*, omnem illum,

qui ab univerſâ Eccleſiâ ut talis eſt acceptatus; & circa cujus electionem prudens dubium non eſt, ibid. num. 33.
Summus *Pontifex* damnans aliquam *propoſitionem*, eam reddit extrinſecè, & intrinſecè improbabilem. Procem. num. 23.
Maxima cura, & ſtudium impenditur à S. S. *Pontificibus* antequam *propoſitio* aliqua à Sede Apoſtolicà damnetur. cap. 35. num. 7. & cap. 39. num. 2. & ſeq.
Propoſitionum damnatarum notæ, ſive cenſuræ, quomodo intelligendæ, & quomodo applicandæ ſint, cap. 1. & deinceps uſque ad finem ejuſdem.
Præcepta Dei, impoſſibilia non ſunt, cap. 4. ſect. 2. num. 3.

R

Religio, quid ſit? cap. 19. num. 3.
Poteſt dari vera virtus *Religionis* ſine charitate, cap. 19. per totum.
Religio varios actus includit, tam internos, quàm externos, & quinam illi ſint? cap. 19. à num. 5.
Peccatorum *remiſſio* non eſt prima gratia, quam Deus nobis concedit, cap. 9. num. 6.
Reprobatio negativa, quænam ſit? cap. 7. ſect. 11. num. 11.

S

NOnnulli exiſtimant habitualem juſtitiam, fuiſſe requiſitam neceſſariò, ad celebrationem *ſacrificij* in lege veteri, cap. 3. ſect. 6. num. 2. Vide alia verbo *Miſſa*.
Abſolutio Sacramentalis, debet antecedere *ſatisfactionem*, cap. 31. per totum.
Sacra Scriptura non eſt clara indubitabilis, & firma Regula, pro dirimendis controverſiis, in materiis Fidei. Procem. num. 5.
Scripturam Sacram non licet vulgari idiomate imprimere, legere, aut retinere, cap. 29. num. 3.
Lectio Sacræ *Scripturæ* non eſt pro omnibus, cap. 29. ſect. 1. per totam.

Variæ

Variæ rationes, cur lectio Sacræ *Scripturæ* ſit difficillima, cap. 29. ſect. 2. à num. 1.
Eſſet vera *Spes* Theologica, quam haberet Gentilis, deductam ex principiis naturalibus, aſt cum auxilio Divinæ gratiæ, cap. 7. ſect. 9. num. 18.
Spem permanere in impiis conſtat etiam ex Tridentino, cap. 3. ſect. 5. num. 4.
Spes non amittitur per omnem, & qualemcunque amiſſionem gratiæ, cap. 18. per totum.
Spes eſt diſpoſitio ad gratiam, ibid. num. 1.
Spes involvitur in timore ſervili, cap. 23. ſect. 3. num. 2. & 6.
Utrùm *ſubſiſtentia* ſit principium operationum, quæ ſuppoſito tribuuntur? cap. 28. ſect. 3. num. 3. & ſeq.
Actus *ſupernaturales* eliciuntur etiam ab impiis, cap. 3. ſect. 5. numer. 5.
Actus *ſupernaturalis* quomodo contineatur in virtute potentiæ naturalis? cap. 4. ſect. 3. num. 6. & num. 9.

T

INter Novum, & Vetus *Teſtamentum* multiplex differentia, cap. 6. ſect. 1. à num. 1. & ſeq.
In Veteri *Teſtamento* æterna bona etiam promittebantur. Ibid. num. 5. & ſeq.
Teſtamenti Veteris Sacrificia quomodo gratiam conferebant? cap. 6. ſect. 1. num. 14.
Nullus homo eſt, qui ad Vetus pertineat *Teſtamentum*, ut ad Novum non debeat pertinere, cap. 6. ſect. 4. num. 2.
Per Novum *Teſtamentum* Judæi, & Gentiles in unam Eccleſiam conjuncti ſunt, cap. 6. ſect. 4. num. 3.
Vetus *Teſtamentum* erat pro ſolis Judæis. Ibidem num. 5.
Vetus *Teſtamentum* quo tempore ceſſaverit? Ibid. num. 4.
In Veteri *Teſtamento* extiterunt multi filij Dei per gratiam, cap. 22. num. 4. & ſeq.
Timoris Dei in quatuor membra diviſio, cap. 21. ſect. 1. numer. 1. & ſeq.
Timor ſervilis ſanctus, & honeſtus. Ibid. num. 4. & ſeq.

Actus

Actus *Timoris* ſervilis pertinet ad virtutem Spei. Ibid. numer. 9.
Timor ſervilis non ſolùm manum cohibet à peccato, ſed etiam avertit cor ab ejus affectu, cap. 21. ſect. 1. num. 10.
Timor eſt diſpoſitio ad gratiam, ibid.
Abſurdum eſt dicere baptizatum legem implentem ex *timore* pertinere ad vetus *Teſtamentum.* Ibid. num. 12.
Timor ſervilis culpam deteſtatur, & quomodo? cap. 21. ſect. 2. num. 3. 4.
Charitas expellit *Timorem,* & quomodo? cap. 21. ſect. 2. num. 1.
Timor ſervilis plurimum inſervit ad amorem, juſtificationem, & Beatitudinem conſequendam, cap. 21. ſect. 2. num. 7. & ſeq. & cap. 23. ſect. 3. num. 4.
Timor ſervilis comitatur Spem, cap. 23. ſect. 3. numer. 2. & 6.
Quæ fiunt ex *Timore*, quomodo poſſint eſſe libera? cap. 23. ſect. 2. num. 6.
Timor non repræſentat Deum, ut injuſtum, & intractabilem, cap. 23. ſect. 3. per totam.
Timor eſt donum Dei, cap. 23. ſect. 3. num. 5.
Traditiones Eccleſiaſticæ non poſſunt eſſe regulæ indubitabiles, & firmæ pro ſolvendis controverſiis circa Fidem. Procem. numer. 5.

V

Quid ſit *Virtus*, & quotuplex? cap. 3. ſect. 1. n. 3. & ſeq.
Virtutes morales permanent poſt amiſsionem gratiæ, ibid. num. 5. & ſeq.
Virtutes, & *vitia* quomodo diſtinguantur ſpecie, & inter ſe? Ibid. num. 14.
Clara *viſio* Dei eſt naturæ indebita, præciſa ſupernaturali elevatione, cap. 11. num. 20.
An perfectioritas actûs amoris, & *Viſionis* Dei proveniat à perfectioritate potentiæ? cap. 4. ſect. 3. num. 5.
Quomodo intellectus concurrat ad actum *Viſionis* Beatæ? Ibid.
Voluntatis Dei quo ad nos multiplex acceptio, cap. 7. num. 4. & infra ſect. 8. n. 3. 4.

In

In Deo datur *Voluntas* ſalvandi omnes homines, etiam poſt Adæ lapſum, cap. 7. ſect. 8. & ſect. 10. num. 5. & ſect. 11. num. 8. & cap. 10. num. 3. & ſeq.

Ab hac *Voluntate* non excluduntur barbaræ Nationes, cap. 7. ſect. 9. à num. 13.

Neque ab eâdem *Voluntate* ſunt excluſi parvuli, qui in utero matris ſunt mortui. Ibid. num. 21.

In Deo *Voluntas ſigni* ſemper importat aliquem internum actum beneplaciti, cap. 7. ſect. 11. num. 2.

Dei *Voluntas antecedens* non ſolùm terminatur ad media pro ſalute hominum, ſed etiam ad ipſam ſalutem terminatur. Ibid. à num. 3.

Non repugnat ſimul in Deo *voluntas antecedens* ſalvandi omnes, & *antecedens voluntas* non dandi Gloriam aliquibus, cap. 7. ſect. 11. num. 12.

Deus *voluntate antecedente* omnibus offert auxilia ſufficientia ad ſalutem. Ibid. num. 13.

Voluntas Dei antecedens quo ſenſu ſit abſoluta, & ſimpliciter voluntas, quo ſenſu ſit conditionata, & velleitas? Ibidem num. 14. & 15.

FINIS.

84-62

KXIII
1 2 3

CA721
P645d
1-SIZE